Digitized by Google

I H S
DOMUS ARGENTINENSIS
SOC. JESU.

Dedit	Loc. Bibl.
Vaut 48 marks (Cat. Rosenthal)	L 2/4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VETVS
LITVRGIA
ALEMANNICA
DISQVISITIONIBVS PRAEVIIS,
NOTIS, ET OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA,

QVAM

SANCTISSIMO D. N.
PIO VI.

D. D. D.

MARTINVS GERBERTVS,

MONAST. ET CONGREG. S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBAS S. Q. R. I. P

PARS PRIMA.



Typis San-Blaſianis MDCCLXXVI.

Digitized by Google

Ὅτι μεν ουν και ευχαι και ευχαριςιαι ὑπο των αξιων γινομεναι, τελειαι μοναι και ευαρεςοι εισι τω Θεω θυσιαι, και αυτος φημι. Ταυτα γαρ μονα και χριςιανοι παρελαβον ποιειν, και επ' αναμνησει δε της τροφης αυτων ξηρας τε και ὑγρας, εν ᾗ και του παθους, ὁ πεπονθε δι' αυτους ὁ ὑιος του Θεου, μεμνηνται.

Equidem preces & gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, ſola eſſe perfecta & Deo accepta ſacrificia, & ipſe pronuntio. Haec enim Chriſtiani quoque ſola peragere didicerunt, etiam in recordatione alimoniae ſuae ſiccae & liquidae, in qua etiam paſſionis, quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur. S. IVSTINVS *M. Dial. cum Tryph.*

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



SANCTISSIME PATER!



Ad ſolium Pontificium me ſapiens Salomon manuducit: *Ad locum*, ait Eccle. I. 7. *vnde exeunt flumina, reuertuntur.* Ad primam ſuam ſcaturiginem, *Romanam* D. Petri ſedem, reduco veterem Liturgiam *Alemannicam.*

)(2 Id

Id vero vt fidentius agam, addidit animum incredibilis illa TVA, SANCTISSIME PATER! humanitas, ac beneuolentia, quam mihi annis abhinc quatuordecim *Romae* commoranti exhibuiſti, ſponte TVA obſcurum me hominem in meo ad *S. Calliſtum* hoſpitio perquirere, inuiſere, horamque non vnam (quum grauiſſimis diſtinereris negotiis poſt mortem *Hieron.* Card. COLVMNAE, S. R. E. Camerarii, cuius tunc vices ſuſtinuiſti) mihi impendere haud grauatus.

Is mihi indigno quod obtigerit honos, indulgentiſſimo illi TVO erga D. BENEDICTI aſſeclas adſcribere fas eſt animo, quem tot aliis teſtatum feciſti titulis, tuis imprimis *S. Gregorii* alumnis, inſtituti *Benedictini* candidi habitus praeferentibus teſſeram; quam *Romae* abbatiam piis auxiſti largitionibus: veluti poſtea monachos nigros, quos vocant,

pri-

Digitized by Google

primariae Congregationis *Benedictinae Caſinenſis* ſyncellitas fouiſti, praepoſitus monaſterio *Sublacenſi*; vbi S. Legislator poſuit S. Ordinis primordia, poſtquam aliquot prius annos ibidem in ſacra delituiſſet ſpecu. Egregia tunc ſimul TIBI oblata eſt occaſio, amplae dioeceſi praefecto, cultum diuinum exornandi, atque eccleſiaſticam diſciplinam ſuo reſtituendi vigori, totam ſuperatis montium iugis dioeceſim luſtrando.

Ardenti huic pro Dei honore zelo, quo ſemper flagrabas, adſcribo, quod mei *Italiam* peragrantis, ac *Romanas* praecipue bibliothecas, ſacris de cauſſis, diuinum maxime cultum concernentibus, perluſtrantis rationem aliquam habueris. Cuiusmodi quidem eſt *Cantus* & *Muſica ſacra*, non poſtremum hodie cumprimis diſciplinae ſacrae caput, haud adeo, ut Officii diuini Maieſtatem deceret, conſtitutum apud nos ex praepoſtera quadam *Italorum* imita-

tione, ingenio ſuo indulgentium, neque ſe ſe legibus Sacelli Pontificii continentium, vbi vnice Dei templo digna viget muſica, ac cantus, qui nullas niſi humanas, hoc eſt, rationabiles admittit voces, ſonosque. Opere illo a me nuper humillime TIBI oblato, & a TE ſingulari ſuſcepto clementia, iam mihi dubio nullus ſupereſt locus, fore, vt ſperatum inde referam fructum, eo vtinam ſucceſſu, quem immortalis memoriae Pontifex BENEDICTVS XIV. in ſua encyclica, inſtante anno iubilaeo 1750. edita, in animo habuerat; percepi autem poſtea *Italiam* peragrando, idem eſſe bonorum omnium votum.

Alterum, quod tunc *Romae*, ceu apud fontem ſuum ac ſcaturiginem, vt initio indicaui, agebam, ſpectabat ipſam hanc veterem Liturgiam *Alemannicam*, de qua praeſentes diſquiſitiones meas apoſtolicae Cathedrae TVAE demiſſiſſimo conſecro cul-

tu,

Digitized by Google

tu, & apoſtolico TVO zelo totum committo; quo quam ingenti aeſtuares, mox initio ſuſcepti Eccleſiae gubernaculi commonſtraſti in epiſtola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos vniuerſae Eccleſiae catholicae, ineunte hoc anno 1776. data. In ea, poſtquam ſaluberrima monita, ſanctiſſimaque dediſti praecepta pro formando inſtruendoque Clero, penes quem animati templi Dei eſt vigor ac continentia, diuinaeque liturgiae decus ac ornamentum, mox ad id progrederis, BEATISSIME PONTIFEX! *quod*, patere vt TVIS vtar verbis, *maxime fidelium animos commouere, atque in ſacrarum rerum venerationem ſolet adducere, decorem videlicet Domus Dei, & eorum, quae diuino cultui ſunt addicta, nitorem, dignitatemque.*

Ecquid eſt vero, quod pietatis illum ſenſum, quo intime imbueris, atque deuotiſſimi Deo animi affe-

affectum, quo erga res omnes abriperis, quae ad diuinum Numen placatum nobis peccatoribus propitiumque reddendum, eiusque cultum & honorem promouendum faciunt? ecquid eſt, inquam, quod tenerrimum hunc illum piiſſimae mentis habitum magis pandat, quam lacrimae illae laetitiae indices, quas non ſemel emiſiſſe es conteſtatus in bulla extenſionis Iubilaei ad vniuerſum catholicum orbem, *Romae* an. 1775. celebrati, quum vrbis ampliſſimas vias maxima fidelium multitudine redundantes intuebaris, quorum omnium vna mens eſſet, diuinam ſibi miſericordiam in fletu, & cordis amaritudine conciliare: mirifice recreatus, quum intelligeres, ciuium religionem cum aduenarum pietate mutua inter ſe aemulatione decertare? Perinde vero affectus fuiſſes, ſpiritalique perfuſus gaudio, ſiquidem coram conſpicari hoc anno apud exteros nos

li-

Digitized by Google

licuiſſet mirum illum ardorem & contentionem apud pleroſque omnes, vt tanti indulgentiarum theſauri quisque ſe participem redderet, ex vnanimi ſupplicantis populi per orbem catholicum conſenſione. Quibus vero omnibus in vrbe & orbe vt praecelleres, ſingulari Dei prouidentia contigit: quum duodecimo ſtatim die, ex quo, PETRI Cathedram adeptus, ſummi Pontificatus apicem tenebas, anno magno Iubilaei reuertente ſacras portas die IV. Kal. *Martii*, ſeruato ſanctiſſimarum caeremoniarum ritu, ſumma recluderes religione, neque praeires tantum caeterorum ſupplicum vota, ſed etiam vinceres deuotione, atque precandi aſſiduitate.

Facis id quidem ad exemplum illius ex TVIS anteceſſoribus, cuius cum fauſto omine nomen ad-

Digitized by Google

optare voluiſti, Sanctiſſimi Pontificis PII V. Huius vero inter caetera praeclara virtutum & ſanctitatis ſpecimina continuum in publico officio, quod iam ſolemnius inſtituiſti, depraedicat Eccleſia orationis ſtudium, tantamque contentionem & efficaciam, vt celebris illa de *Turcis* relata ad *Echinadas* inſulas victoria non tam armis, quam PII V. P. M. precibus attribueretur. Idem quum primum ad Cathedram D. PETRI ſuffectus eſſet, nihil antiquius habuit obſeruantia congrua diuini cultus in eccleſiis, & veneratione debita feſtiuitatum, edita bulla primo Pontificatus ſui anno 1566. Mox operam impendit reformando breuiario, vt vocamus ſacras preces, laudes & gratias Deo perſoluendas in horis canonicis, *quae*, inquit in bulla eam in rem an. 1568. vulgata, *diuini officii formula pie olim ac ſapienter a ſummis Pontificibus, praeſertim GELASIO ac GREGORIO*

primis

primis conſtituta, a GREGORIO autem Septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua inſtitutione deflexiſſet, neceſſaria viſa eſt, quae ad priſtinam orandi regulam conformata reuocaretur.

Poſt alios Pontifices de reformando breuiario imprimis curate egit BENEDICTVS XIV. tunc quum TE ſibi ſtudiorum ſuorum adiutorem adiunxiſſet, vt adeo iam eo temporis TE ad tantum opus paratiſſimum, nunc promtiſſimum ſperent, qui, vt tandem aliquando res dudum deſideratiſſima effectum eatur, in votis habent. Ad hoc vero praeclarum exornandum inſtitutum inter Monumenta noſtra liturgica imprimis conferent Collectae illae, ſeu orationes pulcherrimae, quae habentur in antiquiſſimis ſacramentariis, digniſſimae quidem, quae SS. ſummorum Pontificum ac Praeſulum LEONIS M.

GE-

Digitized by Google

GELASII, & GREGORII M. nec non D. AMBROSII praeferant nomina, vt abundius ex illis Codd. Mſſ. patebit, quos in lucem protracturus ſum poſt has meas diſquiſitiones liturgicas, quas nunc vna mecum meisque ad ſacratiſſimos abiicio pedes

SANCTITATIS TVAE

demiſſiſſimus & obedientiſſimus Filius

MARTINVS GERBERTVS.

PRÆFATIO.

VT poſt ſummorum Virorum in re liturgica inſigne ſtudium, ac maximos labores, quibus rem exhauſiſſe, editis compluribus operibus, videri queant, idem tractare ſuſciperem argumentum, occaſio ſe ſponte præbuit.

Animum applicueram operi *de Cantu & Muſica ſacra a prima Eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus*, quæ pars Liturgiæ ſacræ cenſenda eſt, a nemine quidem hactenus niſi parcius, velut aliud agendo in liturgicis, tacta. Igitur hac parte expleſſe pro modulo meo videri poteram lacunam; quæ ipſa aliam prodebat, ſeſeque mihi obiiciebat pervolutanti ad propoſitam cantus eccleſiaſtici hiſtoriam, inter innumeros pæne mſs. codices liturgias etiam noſtra ætate certatim editas, ac illuſtratas ex veteribus monumentis eccleſiaſticis, in quibus paſſim liturgica occurrunt, atque de divinis officiis, ritibus, cærimoniisque ſacris agitur.

Tardius ex inſtituto materia hæc pertractari cœpit ab ISIDORO *Hiſpalenſi* duobus de eccleſiaſticis officiis libris, aliisque, quos in unum collectos volumen HITTORPIUS primum edidit, pſeudonymum quidem cum cæteris ALCUINUM, quem illuſtr. *Frobenius* FORSTERUS editione operum ALCUINI proxime in lucem proditura in locum ſuum reſtituit, perinde etiam opuſculum alterum, quod ad cenſum

noſtrum pertinet de cærimoniis baptiſmi, quod eſſe AMALARII *Trevirenſis* diſcimus ex codicibus *Turicenſi* & *San-Blaſiano*, in quibus nempe nomen AMELERE, ſeu AMALARII integrum perſcriptum legitur; dum alias ſola littera initiali A. pro more ævi medii proclive fuit celebrius ALCUINI nomen divinare, cuius, ex *Anglia* acciti, diſciplinæ ſe tradidit erudiendum CAROLUS M. rituum eccleſiaſticorum imprimis ſtudioſus, ut ex variis palam fit conſultationibus, quæſtionibusque, aliis etiam præſulibus propoſitis, partim a MABILLONIO editis: eoque pertinent *Fragmenta quædam* CAROLI *M. Imp. Rom. aliorumque incerti nominis de veteris Eccleſiæ ritibus ac cæremoniis*, a *Wolfg.* LAZIO eruta, *Antverpiæ* apud *Io.* BELLERUM an. 1560. publicata, adiecto opere *Rhabani* MAURI, *de virtutibus, vitiis, ac cæremoniis antiquæ Eccleſiæ* ab eodem reperto: ſuntque alia eiusdem auctoris eiusdemque argumenti opera T. VI. *Opp.* an. 1626. *Coloniæ Agrip.* excuſa: quædam porro apud laudatum HITTORPIUM, & in *Bibliotheca PP. Lugdun. Walafridi* etiam STRABONIS inſignis liber *de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum*, Tom. XV. p. 181. & Tom. XVIII. p. 469. *Micrologus* poſt HITTORPIUM & PAMELIUM editores ſuo auctori IVONI *Carnotenſi* aſſertum egregium ad præſens argumentum opuſculum. Eodem pertinet S. BRUNONIS, *Signienſis* epiſcopi opuſculum *de Sacramentis Eccleſiæ, myſteriis atque eccleſiaſticis ritibus*. T. XX. p. 1725. HONORII item *Auguſtodunenſis* presbyteri inter alia *Sacramentarium*, ſeu de *Cauſſis & ſignificatu myſtico rituum divini in Eccleſia officii* liber a *Bern.* PEZIO T. II.

P.

Digitized by Google

P. I. *Theſaur. Anecdot.* p. 247. ſeq. editus. RUPERTI *Tuitienſis de divinis Officiis* libri XII. T. II. *Opp. Mogunt.* an. 1631. ed. p. 752. ſeq. Huc porro referendus INNOCENTII III. P. liber *de myſteriis Miſſæ*, cum aliis eius operibus, epiſtolis & ſermonibus editus.

Quanto autem in pretio ſemper fuerit *Guillelmi* DURANDI *Rationale divinorum officiorum*, indicio ſunt tum Mſſ. quæ paſſim extant, cum innumeræ propemodum editiones inde a primis typographiæ incunabulis, ac primum quidem exemplar impreſſum in membranis *Moguntiæ per Iohannem* FUST, *& Petrum* SCHOYFFER *de Gernzheym anno Incarnationis Dominicæ* 1459. Eodemque adhuc ſæculo *Nurenbergæ* per *Ant.* KOBURGER an. 1481. & poſtea an. 1486. *Argentinæ*, ſine typographi mentione, ac deinceps ſæpiſſime recuſum etiam annotationibus illuſtratum, adiecto paſſim alio divinorum officiorum rationali a *Io.* BELETHO ante DURANDUM compoſito: neuter vero confundi debet cum recentioribus, in eadem materia egregie verſatis *Io. Stephano* DURANTI, & *Ant.* BELLOTTE: quibus addi poſſunt complures alii, qui ritus & cærimonias ſacras explicarunt, illuſtraruntque GRESSOLIUS, FILESACUS, GRANCOLAS, BISSUS, BONARTIUS, CARRACIOLUS, MAGIUS, *Chriſt.* MARCELLUS, *Claud.* VILLETTE, *Mich.* BAUDRY, DE-VERT, LE-BRUN. His accenſendi ſunt, qui in GAVANTUM ſunt commentati, *Caiet. M.* MERATI, *Claud.* ARNAUD.

Præ cæteris vero laudandi Card. BONA, *Hugo* MENARDUS, *Edm.* MARTENIUS; quique ante hos in colligendis mo-

Digitized by Google

numentis liturgicis ſtrenuam navavit operam poſt CASSANDRUM & HITTORPIUM, PAMELIUS, qui duobus tomis edidit *Miſſale SS. Patrum latinorum, ſive Liturgicon latinum, iuxta veterem Eccleſiæ catholicæ ritum: in quo de ſacrificio miſſæ, eiusque inſtitutore de continua ad nos uſque ſucceſſione, de cæremoniis, ritibus, & conſuetudinibus circa illud haberi ſolitis, copioſiſſime tractatur cum miſſis Ambroſiana & Moſarabe olim in Hiſpaniis uſitata, DD.* HIERONYMI *lectionario,* GREGORII *P. antiphonario, eiusdemque ac* GRIMOLDI & ALCUINI *abbatum Sacramentorum libri, ex quibus vetus iuxta uſum Romanum in eccleſia miſſas celebrandi ritus concinnatus eſt*, ut habet inſcriptio rari operis ed. *Coloniæ* an. 1590. *De Galliarum quoque*, ut in præfatione Tomi primi loquitur, *& Germaniæ miſſa veteri idipſum præſtiturus, ſi ullo unquam tempore ad manus pervenerint; ad utrumque antiquitatis ſtudioſos omnes, Hiſpanos, Gallos, Germanos, ut mutuas operas conferant*, obſecrat.

Quod ipſe tum votis expetierat, proxima ætate a Ven. THOMASIO, ac MABILLONIO impletum accepimus votum, excepta *Germania* noſtra, quæ hactenus in producendis ſuis monumentis liturgicis ſegnior eſt viſa, præterquam quæ ſparſim MARTENIUS grandi de antiquis eccleſiæ ritibus opere collegit, atque etiam ASSEMANNUS in *codice liturgico Eccleſiæ univerſæ* recudit. Quæ tamen tanta non ſunt, ut defectum illum reſarciant, quem relinquit vetus liturgia *Germanica* hactenus deſiderata.

Intelligis, Lector! quid meum accenderit ſtudium, atque ad

Digitized by Google

ad hanc capeſſendam induxerit provinciam, eam potiſſimum circa *Germaniæ* regionem, in qua primam aſpexi lucem, *Alemanniam* inquam, in cuius veluti meditullio verſor, atque iam in domeſtica bibliothecæ noſtræ *D. Blaſii* ſuppellectili eum reperi adparatum, qui ad ornandam ſuſceptam haud modicum conferat Spartam. Non tamen hic ſubſtiti, ſed ad peragrandam integram provinciam, ac litteraria perſcrutanda ſcrinia ſacrariaque animum induxi, unde congererem commoda inſtituto huic monumenta, quæ ſolent religioſius ſervari, nec difficulter cum peritis communicari: quod gratanter agnoſco, ac ſuis quæque poſſeſſoribus in acceptis refero; imprimis vero *Romanæ* eccleſiæ, unde cum religionis chriſtianæ flore ratio etiam cultus divini, ſeu liturgia ſacra ad nos pervenit: ut nihil iam dicam de prima effloreſcentis fidei ſemente, identidem ſuffocata a maioribus noſtris gentilitiis ſuperſtitionibus addictiſſimis, iugumque Chriſti unacum *Romano* excutientibus imperio; donec *Francicum* ſubire compulſi, paullatim manſuefacti etiam Chriſtianum ſuſceperunt.

Hinc eſt, quod magis congruat antiquiſſima Liturgiæ *Alemannicæ* forma cum miſſali *Francico* a Ven. THOMASIO & MABILLONIO edito, qua parte idipſum cum *Romana* iuxta *Gelaſianum* præſertim ſacramentarium convenit; differt vero a *Gallicano* veteri, *Gothico*, *Mozarabico* & *Ambroſiano*, niſi in quibus & hæ liturgiæ *Romano* ritui ſunt ſimiles, quemadmodum tum reliquæ omnes Occidentales præprimis quamdam inter ſe habent convenientiam; ut tamen *Ambroſiana* magis cum *Romana* congruat, quam vetus *Gallicana* ac *Gothica*, *Mozarabicæ* ſimilior, atque etiam *Græcæ*.

Digitized by Google

Vel hinc iam aliquid de ætate Monumentorum noſtrorum veteris liturgiæ *Alemannicæ* ſtatui poteſt. Quodſi enim remotior illa epocha ſpectanda foret, qua *Alemanni* primum in prœlio apud *Tolpiacum* anno 496. CLODOVEO victas dederunt manus, potius liturgia *Gallicana* ſeu vetus *Francica* apud noſtrates illos maiores requirenda foret. At cum ipſe CLODOVEUS, ut apud GREGORIUM *Turonenſem* in hiſtoria *Francorum* lib. II. c. 30. legere eſt, veluti ex voto reportandæ ab *Alemannis* victoriæ, Chriſto nomen dederit, quis de cultu chriſtiano *Alemannorum* quid ſtatuat, ſtatim poſtquam iugum *Francorum* ſubierunt? qui ſervitutis impatientes toties *Romanum* dominatum, imperatorum etiam chriſtianorum, excuſſerunt, repulſa ſimul occaſione ſuſcipiendæ fidei, quæ illis haud aliunde, quam ex orbe *Romano* eluceſcere poterat quaquaverſum a Meridie ex *Italia*, ab Oriente ex *Illyrico*, ab Occidente vero e *Gallia Alemanniæ* imprimis contermina, ut Diſquiſitione prima originem, ac propagationem religionis chriſtianæ in *Alemannia* explicavimus, *Romano* primum florente imperio, deinde ſub *Francorum* principatu, qui ex *Germanis* primi ipſi ſuſceperunt lumen fidei; quique apud eos, quos ſuæ ſubiecerunt ditioni, nihil non egerunt, ut ad agnitionem veritatis adducerent.

Ex his primi *Alemanni* fuerunt, quibus devictis *Burgundionibus* bellum intulit CLODOVEUS religionis quadam captata occaſione, cum ipſe a coniuge ſua CHROTILDE, ex ſtirpe *Burgundica*, ad chriſtianam religionem maxime fuerit ſollicitatus; ſed tamen haud magis GUNDEBALDUS *Burgundiæ*,

quam

quam HERMANFRIDUS *Toringiæ* rex ad ſalutare hoc conſilium adduci potuere, uterque litteris licet gravibus, quæ extant apud CASSIODORUM *Var.* lib. III. ep. 2. & 3. impulſus. Expeditionem *Burgundicam* CLODOVEI poſt *Alemannicam* narrat GREGORIUS *Turonenſis* lib. II. c. 32. quæ fuit ſub CLODOVEI ſucceſſoribus demum confecta perinde ac *Thuringica* diviſo circa an. 530. inter *Saxones* & *Francos* regno, de quibus ſingulis alia occaſione in ipſo opere adduximus D. HIERONYMI locum ex vita S. HILARIONIS, dum *inter Saxones*, inquit, *& Alemannos gens extat non tam lata, quam valida: apud hiſtoricos Germania, nunc vero Francia appellatur.*

S. HIERONYMO, qui aliquando iuvenis ſcholam *Trevirenſem* triverat, non poterat eſſe ignotus locorum illis in *Germaniæ* partibus ſitus, per quæ illi ex *Pannonia* patria transeundum erat in *Germaniam Belgicam* primam, cuius metropolis erat *Trevirorum* urbs, veluti *Colonia Agrippina Germaniæ* ſecundæ, primæ vero *Moguntia*, quam idem S. Doctor in epiſtola ad GERONTIAM ſive AGERUCHIAM cum aliis urbibus expugnatum devaſtatamque deplorat. *Moguntiacum,* inquit, *nobilis quondam civitas capta, atque ſubverſa eſt, & in eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obſidione deleti. Remorum urbs præpotens, Atrebatæ extremique hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoratus, translatæ in Germaniam.* Attinent hæc etiam *Alemannorum* ſeu *Suevorum* cum *Alanis* & *Vandalis* expeditiones, a quibus *Moguntiacum* everſum magno conſenſu tenent auctores circa

an.

Digitized by Google

an. 413. poſtquam iam *Franci* rerum in *Galliis* potiri cœpiſſent, nec *Alemanni* finium ſuorum prorogandorum ſegnes eſſent, ita, ut poſtea apud *Tolpiacum Iuliacenſe* oppidum *Coloniam Ubiorum*, *Agrippinam* verſus manus conſerere cum *Francis* poſſent &c.

Haud erat, cur *Franci* cæſis ſubditisque *Alemannis* de reſtringendis *Alemanniæ* limitibus laborarent, quippe quam totam ſui iuris fecerant. Erant termini *Alemanniæ* iidem adhuc ſæc. VI. ſub dominio *Francico*, ac antea *Alemanniæ* liberæ ſæc. V. *Danubium*, *Rhenus*, ac *Mœnus*. *Regio illa Suevorum*, ut IORNANDES *de rebus Geticis* c. 55. ſcribit medio iam fere ſæc. VI. *ab Oriente Baioboros habet*, *ab Occidente Francos*, *a Meridie Burgundiones*, *a Septentrione Thuringos*. Ab Oriente limes indubitatus *Alemanniam* a *Boiaria Licus* ſeu *Lechus* fluvius disterminat; ab Occidente ſub *Francis* acceſſiſſe aliquid *Alemanniæ Dan.* SCHOEPFLINUS ex APOLLINARI SIDONIO in *Alſatia illuſtrata* T. I. p. 628. obſervavit, ut non ſolum ad *Vogeſum* uſque promotum fuiſſe limitem, verum etiam eam *Helvetiæ* partem *Rheno* vicinam, a *Burgundionibus* occupatam, *Alemannis* habitandam obtigiſſe, nullus dubitet. Factum id ea in plaga, quæ diœceſi *Conſtantienſi* adhæret, cuius olim *Vindoniſſa* erat ſedes *Burgundiæ* urbs, quæ poſtea *Conſtantiam* translata fuit haud procul a finibus *Rhætiæ*, cuius etiam maxima pars *Alemanniæ* accenſetur verſus meridiem. Supereſt ſeptentrionalis limes, quem intelleximus a IORNANDE *Thuringiam* fuiſſe. Quapropter amplitudine ſua eam etiam omnem regionem comprehendit, quæ

nunc

nunc *Francia Rhenenſis* dicitur ab ea diſtincta, quæ, diviſo inter *Saxones* & *Francos Thuringiæ* regno, *Francis* obtigit eo tempore, quo *Alemannia* in provinciam magni *Francici* regni redacta, ducibus quidem propriis, ut deinceps curatoribus cameræ regebatur (qui nempe regibus ac poſtea imperatoribus *Francicis* erant obnoxii) donec, ſciſſo *Franciæ* regno, paullatim ducatus *Alemanniæ* perinde ac *Franciæ* orientalis aliam, ſui iam compotes, indueret faciem.

Ea politici regni mutatio nos nunc haud moratur; eccleſiaſticæque *Alemanniæ* ſtatuimus metropolim *Moguntiam*, quam quidem REGINO in chron. ad 953. aliaque Monumenta T. III. hiſtoric. Act. acad. *Palat*. p. 349. alibique citata, metropolim *Franciæ* orientalis deſignant. Accedunt itaque *Alemanniæ* noſtræ eccleſiaſticæ veteri typo cum epiſcopatu *Argentoratenſi* duo alii *Germaniæ* primæ epiſcopatus *Vormatienſis* & *Spirenſis*, quemadmodum in *Rhætia Curienſis* cum *Auguſtano*; nec *Baſileenſem* epiſcopatum penitus *Alemannia* extorrem cenſemus, etſi VESONTINUM, archiepiſcopum *Burgundiæ*, agnoſcat: tum quod pars diœceſis in *Alemanniam* ſe protendat, cum quod ipſa etiam *Baſilea* in *Rauricio* agro ſita, *Alemanniæ* regno accenſita legatur. Anonymus *Ravennatenſis lib. IV. Coſmogr.* hic omnium longiſſime progreditur, ipſum VESONTIUM, LINGONAS &c. *Alemanniæ* adiiciens: *In qua patria*, inquit, *plurimas fuiſſe civitates legimus, ex quibus aliquantas deſignare volumus, id eſt Lingonos, Bizuntia, Nantes, Mancroda. Item iuxta ſupra ſcriptum Rhenum ſunt civitates, id eſt, Gormetia, quæ confinalis cum*

prænominata Maguntia civitate Francorum, *item civitate Altripe*, *Sphira*, *Porca*, *Argentaria*, *quæ modo Stratisburgo dicitur*; *Brececha*, *Bazela*, *Auguſta*, *Carſtena*, *Caſſangita*, *Wrcacha*, *Conſtantia*, *Rugium*, *Bodungo*, *Arbore Felix*, *Bracantia*. Igitur quod aliquando *Baſilea Alemanniæ* accenſita fuerit mirum haud eſt, *Sita*, ut verbis WIPPONIS in vita CONRADI *Salici* utar, *in quodam triviali confinio*, *id eſt Burgundiæ*, *Alemanniæ & Franciæ*. Interim *Baſilea* hodieque eum in eccleſiaſtico ordine hierarchicum ſervat ordinem, quem ei antiquiſſimum volumen de magiſtratibus *Romanis* ſeu indiculus provinciarum aſſignat in provincia *Maximæ Sequanorum* cum caſtro etiam *Vindoniſſenſi*, ſede olim, ut diximus, epiſcopali, *Conſtantiam* poſtea translata, eſtque hodie ampliſſimus epiſcopatus, veluti *Alemanniæ* meditullium.

Apprime hæc, quæ de urbibus *Rheno* adhærentibus diximus *Alemanniæ* accenſitis, utrumque occupantibus litus, iis conveniunt, quæ SIDONIUS *Apollinaris* ad an. 454. quando *Romani Alemannos* infeſtos habuerunt, canit:

Francus Germanum primum Belgamque ſecundum
Sternebat, *Rhenumque*, *ferox Alemanne*, *bibebas*
Romanis ripis & utroque ſuperbus in agro
Vel civis vel victor eras.

Francum equidem in *Germania* prima collocat, cuius metropolis, ut diximus, erat *Moguntia Franciæ* urbs ab illis etiam nominata, qui eam, ut modo vidimus, cum *Alemanniæ* urbibus recenſent, quippe in collimitio utriusque regionis ſitam:

unde

unde ex utraque eidem archiepiſcopo ſuffraganei epiſcopi aſſignantur in brevi annotatione de civitatibus & metropolibus orbis catholici a GOLDASTO T. III. *Rer. Aleman.* edita, ex antiquiſſimo cod. quem anno regni CAROLI *magni* quadrageſimo ſecundo, imperii autem nono, ſcriptum exiſtimat. Quæ vero ibi poſt utramque *Belgicam* notatur *prima provincia Germaniæ habet civitates numero II. Metropolis civitas Agrippina, id eſt, Colonia. Civitas Tungris. Secunda provincia habet civitates numero octo. Metropolis civitas Moguntiacus. Civitas Argentoratenſis, id eſt, Stratburg. Civitas Nemnetis, id eſt, Spira. Civitas Vangionum, id eſt Wormatia. Civitas Wirzburgenſis. Civitas Conſtantia. Caſtrum Rubilocus, quod Eichſtetti dicitur. Civitas Auguſta Vindelicum, id eſt Auverpurch.* Notitia hæc iam iterum utramque *Germaniæ* provinciam *Colonienſem* & *Moguntinam* diviſam exhibet, cum antea in gratiam S. BONIFACII, ut videtur, in unam coaluiſſe legatur ſub CAROLOMMANNO & PIPINO, ut ex OTHLONO in vita S. BONIFACII diſcimus, decreviſſe eosdem principes *eccleſiam Moguntiacenſem, quæ prius alteri ſubiecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum eccleſiarum efficere; moxque legatione facta, illud a præſule apoſtolico impetravere.* Nempe in litteris ZACHARIÆ P. ad S. BONIFACIUM beati PETRI apoſtoli auctoritate ſancitur, *ut ſupradicta eccleſia Moguntina perpetuis temporibus, tibi, & ſucceſſoribus tuis, in perpetuum ſit confirmata, habens ſub ſe has quinque civitates, id eſt Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiraciam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicatio-*

nem Chriſti lumen agnoſcere fecit. Nihil hic de illis *Alemanniæ* epiſcopatibus, quos paullo ante vidimus *Moguntino* archiepiſcopo paruiſſe, legimus in notitia ſcripta ſub CAROLO M. filio PIPINI compoſita ad notitiam illam, quam paullo ante citavimus, quæ HONORII Imp. temporibus congruit, atque ad ſtatum quidem politicum imperii *Romani* pertinet, ad quem tamen eccleſiaſticam etiam hierarchiam concinnatam fuiſſe aliunde conſtat. Neque vero eam *Alemanniæ* partem illis *Germaniæ* gentibus accenſeri potuiſſe, quæ primum per prædicationem S. BONIFACII, aut eius emiſſariorum, Chriſti lumen agnoſcere debebant, vel ex iis, quæ principio ſtatim operis de exordiis & propagatione chriſtianæ religionis in noſtra *Alemannia* diſquiſivimus, eluceſcit.

Alteram diſquiſitionem de monumentis inſtituimus ad veterem liturgiam *Alemannicam* facientibus: quæ varia ſunt, prout generalius eſt liturgiæ nomen de diverſis ſacris ritibus & functionibus in officio divino, ac publico miniſterio religionis circa ea omnia, quæ pertinent ad cultum ſacrum, τὰ τῆς λειτουργίας πράττειν, ut rem antiquiſſimum concilium *Antiochenum* in codicem canonum univerſæ Eccleſiæ receptum c. 4. exprimit; BALSAMON autem in not. ad concilium *Sardicenſe* λειτουργεῖν & ἱερουργεῖν ſynonyma facit, id eſt Sacris operari: quod iam propius accedit ad eum, qui præcipuus eſt ſoli Deo debitus ſacrificii cultus, unde SS. PP. *Græcis* ſacerdotes proprie dicuntur λειτουργοὶ τοῦ Θεοῦ; τοῦ θυσιαστηρίου; οἱ τὴν λειτουργίαν τοῦ θυσιαστηρίου πεπιστευμένοι, *miniſtri Dei, altaris, quibus miniſterium altaris commiſſum eſt:* quo eodem ſenſu recte etiam λειτουργοὶ τῆς καινῆς διαθήκης dicun-

dicuntur *miniſtri novi teſtamenti*, quod nempe morte ac ſanguine Chriſti teſtatoris firmatum eſt oblatumque ſemel in cruce ſacrificium, quod in ſui commemorationem faciendum præcepit ac offerendum iuge ſacrificium.

Unde Sacra λειτουργία proprie ac ſpecialiter dicitur ordo ille ſacrificandi, ac ipſi libri, qui ordinem illum continent, quos nos *miſſales* vocamus, veteres autem *ſacramentaria* haud abs re vocabant, quod quidem ritum ſacramenti Euchariſtiæ cumprimis, ac plerumque etiam aliorum ſacramentorum adminiſtrandorum ordinem complecterentur, ſtatasque precum formulas, quæ eædem omnino ad nos uſque ſunt conſervatæ, inde ab antiquiſſimis temporibus ſingulari ſemper circa hanc rem adhibita cura & cautione, prout iam in antiquiſſima ſynodo *Laodicena* can. 18. eſt ſtatutum, *idem precum miniſterium omnino debere fieri in Nonis & Veſperis*, quod utique in ſacratiſſima liturgia multo magis præcavendum erat; atque ad illas ſacratiores orandi ſacrificandique formulas, vel maxime pertinere exiſtimandum eſt, quod generalius in concilio *Carthaginenſi* an. 398. can. 23. decernitur: „Quicun„que ſibi preces aliunde deſcribit, non eis utatur, niſi prius „cum inſtructioribus contulerit.“ Id ſimul palam facit, quam cauti ac religioſi olim fuerint circa eiusmodi formulas novas & veteres. Amplius id adhuc prodit concilium *Milevitanum* can. 12. „Placuit & illud, ut preces vel orationes „& miſſæ, quæ probatæ fuerint in concilio, ſive præfationes, „ſive manus impoſitiones, ſive commendationes ab omni„bus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi

„quæ a prudentioribus tractatæ vel approbatæ in ſynodo fue-„rint, ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam, vel „per minus ſtudium ſit compoſitum.“ Optandum fuiſſet, ut perinde hic canon in codicem canonum Eccleſ. univerſ. in eccleſia etiam orientali receptus ſpectatusque fuiſſet, uti ſuperiores illi, in quos commentatus ZONARAS: „Ut in ſupplicationi-„bus (inquit) probatæ tantummodo per ſynodum precationes „fiant reiectis aliis novis, *Carthaginenſis* ſynodi vigeſimo tertio „canone conſtitutum eſt. Idem hoc quoque canone decretum „videtur, ac ne cui ſcilicet pro arbitrio formulas precum con-„texere, easque in publicis conventibus recitare liceat, ſed eas-„dem, hoc eſt, iam traditas, in quocunque conventu omnes „retineant, definitum.“ Hæc ille ad relatum canonem decimum octavum: & ad can. 117. *Carthag.* concilii „Preces „igitur (inquit) in ſynodo confirmatæ, & a ſapientioribus „collectæ, quæcunque demum illæ forent, & quocunque no-„mine vocarentur, eas omnibus aliis reiectis exhiberi ſynodus „ſtatuit.

Sed ſi tanta religione actum ſemper in eccleſia orientali fuiſſet, puriores ad nos perveniſſent liturgiæ, quæ editæ proſtant græce ſub variorum etiam apoſtolorum PETRI, IACOBI, MARCI nomine, ceu principalium eccleſiarum *Romanæ*, ſeu *Antiochenæ*, *Hieroſolymitanæ*, & *Alexandrinæ*, de quibus legi meretur *Nic.* Le-NOURRY in apparatu ad Bibliothecam Patrum *Lugdun.* T. I. p. 19. ſeq. extant vero ipſæ liturgiæ illæ T. II. eiusdem Bibliothecæ PP. ſingulæ etiam ſeorſim editæ, S. PETRI quidem *Antverp.* typis *Plantinianis* an. 1589. & *Pariſiis* an. 1595. S.

S. MARCI vero a Card. SIRLETO græce, a quo in latinum verſa, tum lat. & gr. *Pariſiis* 1583. Ad S. IACOBUM vero refertur, quæ in Conſtitutionibus apoſtolicis legitur; longe vero illa purior (uti etiam omnibus aliis quæ ab *Euſ.* RENAUDOTIO collectæ proſtant ſingulari opere liturgiarum orientalium Tomis duobus poſt antiquiorem CLAUDII de *Saintes* minus copioſam editionem PLANTIN. *Antwerp.* an. 1560.) eſt eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* liturgia, quam in Catech. myſt. explicat S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus.*

Ulterius aſſurgunt primi latinarum *Romanæ* eccleſiæ, quas tulit ætas, liturgiarum fontes, quos itidem in codice noſtro liturgiæ *Alemannicæ* legimus. Ea nos ſingula ſuis tribuimus auctoribus, quantum licuit iuxta formam & denominationem vulgo a ſuis editoribus, aut etiam antiquis ſcriptoribus acceptam.

Ex his primus cenſetur *Codex ſacramentorum vetus Romanæ eccleſiæ a S.* LEONE *Papa I. confectus, primum editus ex cod. mſc. bibliothecæ capituli Veronenſis*, ut habet inſcriptio, eiusque ratio redditur in Prolegom. ad T. IV. ANASTASII bibliothecarii p. XII. ſeqq. a *Ioſ.* BLANCHINIO in lucem protractus proſtat *Romæ* imp. an. 1735. Varia autem de auctore huius liturgiæ fuit ac diſpar opinio, perinde ac de eius antiquitate & pretio, quod ſingulari diſſertatione *Romæ* an. 1748. edita vindicandum ſuſcepit *Iacobus* ACAMI, eodem anno, quo prodiit *Venetiis liturgia Romana vetus edente Ludovico Antonio* MURATORIO, ubi primum locum hoc *ſacramentarium Leoninum* occupat; attamen in diſſertatione prævia *de rebus litur-*

turgicis cap. 3. de hoc ſacramentario, *cui, per coniecturam præfixum fuit nomen ſancti* LEONIS *magni*, eo tandem delabitur, ut ad pontificatum FELICIS III. qui proximus anteceſſor fuerat GELASII, referendum exiſtimet, etſi pro SIMPLICII P. ceu iam defuncti anima, qui fuit FELICIS anteceſſor, oratio legatur p. 454. ubi ſub rubrica *ſancti Silveſtri* tres leguntur orationes, quarum duæ priores SILVESTRI, tertia vero SIMPLICII P. nomen habet. In prioribus autem illis orationibus non perinde mihi, ut MURATORIO, cultus S. SILVESTRI religioſus exprimi videtur; quin imo in illis perinde pro anima SILVESTRI oratur, ac in tertia pro SIMPLICIO. Neque etiam *ſancti* titulus ſtatim rem conficit, qui aliis etiam, quam *Rom.* Pontificibus, olim promiſcue fuit conceſſus adhuc in vivis degentibus epiſcopis. Isque in inſcriptione aliter ſe habet ac in aliis feſtis, ſeu *Natali* Sanctorum, ut in hoc & aliis omnibus ſacramentariis notantur feſta Sanctorum; deeſt porro in vulgato ſacramentario *Gelaſiano* (quod certe *Leonino* poſterius eſſe multis probari poteſt indiciis) feſtum S. SILVESTRI: in ſacramentarii vero *Leonini* oratione prima non Sanctorum, ut alias, ſed defunctorum, expreſſa item depoſitionis, id eſt diei obitus, fit mentio his verbis: *Deus, confitentium te portio defunctorum, preces noſtras, quas in famuli tui* SILVESTRI *epiſcopi depoſitione deferimus, propitiatus aſſume; ut, qui nomini tuo miniſterium fidele impendit, perpetua Sanctorum tuorum ſocietate lætetur.* Quæ quidem oratio ab iis abludit, quales in Sanctorum honorem eorum feſtis diebus celebrat eccleſia, illis autem ſimillima eſt, quæ pro

de-

Digitized by Google

defunctis funduntur; veluti etiam altera *infra actionem*, ſeu *ſuper diptycha: Hanc igitur oblationem &c.* quæ ibidem in miſſis pro defunctis tantum, non vero in natalitiis Sanctorum deprehenditur, atque ad noſtra uſque tempora, in feſtis tantum Paſchatis & Pentecoſtes pro recens baptizatis ponitur.

Ut igitur, quod ſentio, edicam; videntur mihi perinde orationes duæ de SILVESTRO P. quam tertia de SIMPLICIO ex diverſis codicibus a compilatore ſacramentarii, quod *Leoninum* dicimus, congeſtæ: quorum alter temporibus SILVESTRI P. alter ætati SIMPLICII P. accedebat: veluti totum illud ſacramentarium ita compoſitum & compilatum manifeſte ſe prodit: inde eſt, quod nihil frequentius ſit in hoc ſacramentario, quam hæc rubrica: *item alia*, miſſa ſcilicet ad unum eundemque diem, idem feſtum, vel argumentum; ſecus ac alia ſacramentaria ſe habent ad uſum eccleſiæ publicum comparata; ut adeo ſacramentarium *Leoninum* indigeſta quædam, ſit verbo venia, compilatio ac veluti cornu copiæ, promusque condus haberi queat, ad optionem ſcriptoribus faciendam ſelectumque inter tot ſæpe pro una materia orationes miſſales. Id ſuis locis littera *l.* in ſacramentario, quod inter monumenta veteris Liturgiæ *Alemannicæ* edimus, indicavimus.

Ex his vero, quæ diximus, palam fit, falſum fuiſſe Card. ORSI, qui illud pro *Gelaſiano* habendum exiſtimavit, iam refutatus a VEZZOSIO in præfatione ad Tom. VI. Opp. Ven. THOMASII p. XXX. ſeq. Firmatur vero *Io.* MORINI opinio lib. IX. *de pænitentia* c. 30. n. 2. a THOMASIO probata in præfatione ad ſacramentarium *Gelaſianum* de orationibus, quas

c etiam-

etiamnum habemus eaſdem, quas in antiquiſſimis ſacramentariis legimus, multas SS. SILVESTRO, IULIOque Pontificibus non eſſe poſteriores, & ex phraſi, ſtiloque ſapere omnino tempora, quæ imperatorem CONSTANTINUM præceſſerunt; dum vero, quod cum aliis laudatus etiam animadvertit THOMASIUS, S. LEONEM M. inter cæteros SS. Antiſtites egregie huic operi manum admoviſſe (quod cuique in eius operibus verſato illico ſe prodit) æquum omnino fuit, ut eius nomine inſigniretur ſacramentarium *Leoninum*.

Mancum illud eſt a capite, dimidia fere ſui parte, deſinit vero cum fine anni, ſeu menſe *Decembri*: unde ad calcem Natalicia Domini cum proximis feſtis S. IOANNIS Evangeliſtæ & Innocentum complectitur præter morem aliorum omnium *Romanæ* ſaltem eccleſiæ ſacramentariorum, quæ auſpicantur a vigilia Natalis Domini, qui vigeſima quinta *Decembris* in occidentali eccleſia conſtanter ab exordio celebratur, inde etiam idem mos vergente demum quarto ſæc. in Orientem pervenit, uti de eccleſia *Antiochena* teſtem luculentum S. IOANNEM *Chryſoſtomum* habemus in homilia, quam primam eo feſto habuit vertente anno 386. inſcribitur autem T. II. p. 354. homilia *in ſervatoris noſtri IESU Chriſti diem natalem, qui quidem dies incognitus adhuc illis temporibus ante paucos admodum annos innotuerat per aliquos, qui ex Occidente venerant, atque indicaverant.* Nempe cum necdum decimus annus eſſet, ex quo dies ille *Antiochenis* innotuerat, ut S. Doctor in homilia loquitur: ubi inter alias rationes, quibus utitur, ut probet Natalem Chriſti in vigeſimam quintam *Decembris* incidere, mox

pri-

primam hanc ponit pag. 355. *quod tanta celeritate quaquaverſus hoc feſtum denunciatum ſit, & ad tantum faſtigium excreverit, adeoque inclaruerit.* Nec abludit, quod hodie annus eccleſiaſticus a prima dominica Adventus, quod totum utique tempus illud ad Nativitatem Domini refertur, exordium ſumat, quod in unico ſacramentario olim *San-Gallenſi*, nunc *Turicenſi* ſæc. circ. X. obſervavi, præter morem eorum antiquiorum codicum, ex quibus ſacramentarium illud compoſitum eſt, ad triplicem ritum *Gelaſianum*, *Gregorianum*, & *Ambroſianum* concinnatum.

Eſt hic incomparabilis ſane codex ille, cuius ſi notitia ad THOMASIOS, MABILLONIOS, MURATORIOS perveniſſet, puto, quod alacres in *Alemanniam* eius videndi cauſa advolaſſent, nec detractaſſent ex locorum intercapedine itineris ex *Gallia* & *Italia* longitudinem, promte iſtinc ſuperatis alpium iugis.

Certe THOMASIUS multo aſſertius, feliciusque de ſacramentario *Gelaſiano* pronunciare potuiſſet, eiusque cum *Gregoriano* convenientia, diſcrimine, ac prærogativa *Gregoriani* præ *Gelaſiano*: quæ mihi non tam in eo ſita fuiſſe videntur, quod coarctaverit in unius libri volumine S. GREGORIUS *Gelaſianum* ſacramentarium, adeoque dies dominicos & feſta, quæ vocamus mobilia, cum immobilibus promiſcue poſuerit: cum ſucceſſu temporis multo convenientius, commodiusque ad hodiernum uſque diem ſit habitum, hæc a ſeſe invicem maioris commoditatis cauſa diſtinguere, & ſeparatim collocare. Tres mihi præ ma-

nibus ſunt antiquiſſimi codices, qui iisdem inſcribuntur verbis: *Liber ſacramentorum de circulo anni expoſitus a ſancto* GREGORIO *Papa Romano, ex autentico editus libro bibliothecæ cubiculi ſcriptus*, qui tamen inter ſe diſcrepant quoad locum, quo officia Dominicarum per annum poſita reperiuntur. In *San-Blaſiano* reliquæ Dominicæ feſtis ac nataliciis Sanctorum intermixtæ ſunt, ſolæque Dominicæ poſt Pentecoſten ſeparatim poſt feſta ordine ſuo collocantur; in *Petershuſano* ſic Dominicæ poſt Paſcha & Pentecoſten ſeparatim leguntur; in *Rhenaugienſi* econtra poſt officia Adventus in fine Dominicæ poſt Theophaniam, poſt Paſcha, & Pentecoſten ſimul, uti in *Solodorenſi*, quem una eademque manus exaravit, qua *San-Blaſ.* & *Petersh.* codex eſt ſcriptus.

Qua ratione vero, quod a IOANNE *diacono* in vita S. GREGORII & a *Walafrido* STRABONE *de eccleſ. reb.* c. 22. S. GREGORIUS circa *Gelaſianum* codicem feciſſe dicitur, *multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adiiciens*, præſtiterit, omnium apertiſſime ex laudato illo codice manifeſtatur, in quo paſſim tres miſſæ ad unum eundemque diem *Gelaſiana* nimirum una, altera *Gregoriana*, tertia demum *Ambroſiana* habentur: ac præterea etiam haud raro ſimplici littera G. *Gelaſianæ*; dupplicata GG. *Gregorianæ*, A. vero littera *Ambroſianæ* diſtinguuntur orationes. Id vero in miſſis *Gelaſianis* conſtanter animadvertere licet, quod poſt primam orationem miſſæ *alia* in *Gelaſianis* miſſis (quæ in *Gregorianis* deeſt, ſubtracta a S. GREGORIO) adiiciatur ante *ſecretam*, quam ſequuntur Præfationes, quæ in *Gregorianis* ſacramentariis, præſer-

ſertim in codicibus, qui ex authentico bibliothecæ cubiculi deſcripti (cuiusmodi plures meos ſubierunt oculos, ex quibus tres una eademque Calygraphi præſtantiſſimi manu deſcripti fuerunt *Solodorenſis* nempe, *Petershuſanus*, & *San-Blaſianus* ſæc. IX.) ad eum fere reſtringuntur numerum, quem PELAGIUS II. P. S. GREGORII anteceſſor dicitur conſtituiſſe; cum econtra in *Gelaſiano* multo plures habeantur. Legitur porro in catalogo *Roman.* Pontif. ex cod. *Veronenſis* eccleſiæ vulgato T. IV. ANASTASII biblioth. p. VII. de S. GELASIO: *Fecit autem ſacramentorum Præfationes cauto ſermone.* Eæ quidem variæ occurrunt in THOMASII ſacramentario *Gelaſiano;* quæ tamen non tantæ nonnullis ſunt viſæ, ut numero plures non inveniantur, aut in *Gregorianis* exemplis, aut in illo codicis *Veronenſis*, quod cum teſtimonio libri pontificalis non ſatis cohærere viſum eſt *Em.* GORIO; diciturque in GELASII ſacramentario tantam reperiri debere liturgicarum precum & Præfationum copiam, qua inſigniter detruncata in GREGORII emendatione, notabilis adhuc ſuperſit quantitas: ut obiectionem profert in præfat. ad T. VI. opp. Ven. THOMASII p. XXXIII. eam vero nos multo melius retundere poſſumus, cum in noſtro ſæpe laudato codice, antiquioribusque *Alemannico-Gelaſianis*, ad quem ille exactus eſt, multo plures, ad ſingulas nempe propemodum miſſas, habeantur Præfationes, quam in vulgato *Gelaſiano.*

In altero vulgatum THOMASII cum noſtris convenit, quod etiam ad ea referri debet, quæ S. GREGORIUS in *Gelaſiano* ſacramentario detruncavit, nomina nimirum Sancto-

rum in canone, quorum quædam in vulgato *Gelaſiano* eraſa ſunt ſolo retento ELEUTHERIO, in noſtris autem *Alemannicis* ipſius S. GREGORII nomen a ſcriptore ſc. adiectum præmittitur aliis, nempe AUGUSTINI, HIERONYMI, HILARII, MARTINI & BENEDICTI, quæ aliaque omnia paſſim in antiquioribus ſacramentariis obvia, deſiderantur tamen in illis codicibus ſacramentarii *a S.* GREGORIO *Papa Romano* editi, *ex authentico libro bibliothecæ cubiculi* ſcriptis. In quibus porro aliisque *Gregorianis* canon ipſe poſt ordinem miſſæ & Præfationem ab initio collocatur; cum in vulgato *Gelaſiano* poſt initium demum libri III. apud THOMASIUM *Ed.* VEZZ. T. VI. p. 172. in *Alemannicis* autem noſtris *Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi* ad finem; & quidem in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* ante librum ſecundum, quo caret *San-Gallenſis*, ponitur, poſt quem ſequuntur complures orationes, quas *Poſt communionem* dicimus; item *benedictiones ſuper populum*. Quæ nempe ipſæ ſunt *Gelaſiano* ſacramentario propriæ orationes ſingulis miſſis ſubiungi ſolitæ, a S. GREGORIO itidem detruncatæ, excepto tempore Quadrageſimæ.

Extra Quadrageſimam illæ orationes nonnunquam etiam leguntur in codice ſeu miſſali S. ELIGII, quo uſus eſt poſt *Hugonem* MENARDUM SAN-MARTHANUS in editione noviſſima operum S. GREGORII T. III. coniicitque ſcriptum ante CAROLI M. imperium, cum in illo nulla ſit imperatoris mentio. Provocat porro MENARDUS in præfatione ad virum doctiſſimum: „Qui nuper (inquit) *Vaticanam* & illuſtrio„res *Romæ* bibliothecas perluſtravit, mihique teſtatus eſt, ſe

nul-

„ nullum ibi librum Sacramentorum ſancti GREGORII vidiſ-
„ ſe, qui de antiquitate cum hoc S. ELIGII Miſſali certare
„ poſſit.“ Ita etiam editoribus S. GREGORII ex Congr. *S. Mauri* viſum eſt, perpenſisque omnibus æquiori lance, nullum *Eligiano* codici vel ob antiquitatem, vel ob integritatem præferendum duxerunt.

Secus nihilominus Ven. Card. THOMASIUM cenſuiſſe in eius vita proditum memoriæ ſe legiſſe teſtatur MURATORIUS in diſſert. *de Rebus liturgicis* c. 6. ſcilicet optaſſe illum, ut *Benedictini Gregorianum* a PAMELIO editum ſacramentarium in editione operum ſancti GREGORII M. prætuliſſent, quum illud magis conforme ac ſimile cenſeret primigenio textui ſancti Pontificis, quam alterum a MENARDO evulgatum. „Cæ-
„ terum (ſubdit MURATORIUS) quin PAMELII textus *Me-*
„ *nardino* ſit præferendus, ut arbitratus eſt THOMASIUS, ac
„ deinde confirmavit eximius Pater MABILLONIUS, nemo du-
„ bitare poterit, qui diligentiori lance utrumque expendat.
„ Nimis enim multa ſunt in *Gregoriano* ſacramentario ME-
„ NARDI, quæ ſanctum GREGORIUM auctorem nequaquam
„ agnoſcunt, & a vetuſtis *Romanæ* eccleſiæ moribus recedunt,
„ ita ut S. ELIGII codex (quo tamen non ipſe ſanctus ELI-
„ GIUS, ſed monachi *ſancti Eligii* olim utebantur, & uſus
„ poſtea eſt MENARDUS ad ſuam editionem) non ſit eius an-
„ tiquitatis & integritatis, quam ſibi perſuaſerunt monachi
„ *Benedictini*. In oculos primo ſtatim occurrunt innumeræ,
„ ut ita dicam, Præfationes illæ, quæ ad ſingulos ferme fe-
„ ſtos dies, & ad omnes totius anni Dominicas, vel ad ipſas

„ vi-

„ vigilias, & ad privatarum neceſſitatum miſſas adiunguntur.
„ Atqui tantam Præfationum copiam a S. GREGORIO profe-
„ ctam atque probatam, a credendo nos vetera monumen-
„ ta deterrent.

Hoc quidem ita ſe habere, vel ea, quæ modo de Præfationibus dixi, manifeſte produnt; ſed tantum abeſt, ut antiquitati ſacramentarii S. ELIGII (quod ipſe meis oculis venerabundus ſuſpexi *Pariſiis*, ubi hodie codex ille apud *S. Germanum de Pratis* ſervatur) aliquid demat Præfationum copia, ut maiorem potius conciliet, *Leonini*, *Gelaſiani* vulgati, noſtrorumque geminorum antiquiſſimorum *Alemannicorum* ſacramentariorum exemplo, imprimis autem illius, quem ad triplicem ritum *Gelaſianum*, *Gregorianum* & *Ambroſianum* compoſitum primum inter monumenta veteris Liturgiæ *Alemannicæ* edimus; ubi paſſim annotavimus ſacramentarii *San-Eligiani* cum *Gelaſiano* convenientiam, ita tamen ut plerumque ad formam *Gregoriani* ſit reformatum; unde etiam titulus eſt ſervatus, inſcribiturque ad inſtar aliorum paſſim adhuc obviorum *Liber Sacramentorum de circulo anni expoſitus a S.* GREGORIO *Papa Romano editus, ex authentico libro bibliothecæ cubiculi ſcriptus, qualiter miſſa Romana celebratur.* Sed cum in pleriſque, quæ in ſimilibus codicibus ex authentico bibliothecæ cubiculi deſcriptis notavimus, ab iisdem abeat, & cum *Gelaſiano* conveniat, dubium non eſt collectorem præter *Gregorianum* etiam *Gelaſianum* compilaſſe.

Facileque inducor, ut ALCUINI hanc compoſitionem eſſe exiſtimem circa finem ſæculi octavi factam, prout nempe ex chro-

chronico *Centulenſi* apud DACHERIUM in ſpicilegio *Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus modernis temporibus ab* ALBINO *ordinatus* memoratur ipſi MURATORIO, atque ex *Micrologi de eccleſ. obſerv.* cap. 60. Sequentia, quæ rem adhuc magis explicant, verba: „Fecit idem ALBINUS in ſancta Eccleſia „non contemnendum opus: nam *Gregorianas* orationes in li„bris ſacramentorum collegiſſe aſſeritur paucis aliis adiectis, „quas tamen ſub obelo notandas eſſe indicavit. Deinde alias „Orationes, ſive Præfationes, etſi non *Gregorianas*, eccleſia„ſticæ tamen celebritati idoneas collegit, ſicut Prologus teſta„tur, quem poſt *Gregorianas* orationes in medio eiusdem li„bri collocavit.“ Verba hæc etiam *Hugo* MENARDUS in præfatione ad ſacramentarium S. ELIGII, a ſe cum notis editi, refert, ubi de libris ſeu additionibus, ALCUINI, RODRADI, GRIMOLDI ad ſacramentarium *Gregorianum* agit; ad rem autem præfationem ſub nomine GRIMOLDI abbatis habet PAMELIUS T. II. *Liturg.* p. 388. poſt quam officia dominicarum per annum affert, quas veluti ſuppleverit cum præfationibus plurimis ad calcem libri reiectis. Merito autem defectum dominicarum per annum in ſacramentario D. GREGORII explodit MENARDUS; neque etiam poſt MENARDUM VEZZOSIO veriſimile fit (Præfat. in T. VI. *Opp.* Ven. THOMASII p. XXXIV.) aut GREGORIUM aut GELASIUM officia pro ſingulis anni temporibus ordine diſponentes, ea omiſiſſe, quæ dominicis maxime diebus convenirent.

Paullo ante recenſui plures antiquiſſimos codices libri ſacramentorum de circulo anni, expoſiti a S. GREGORIO P. R.

quorum plerique in ipſa inſcriptione dicuntur ex authentico editi libro bibliothecæ cubiculi: qui quidem diſcrepant inter ſe, quoad locum, quo reperiuntur officia dominicarum; in nullo vero, uti nec in aliis, quos prope innumeros per *Germaniam*, *Italiam* & *Galliam* luſtravi, defectum aliquem, quoad officia dominicarum in ſacramentariis *Gregorianis* deprehendi, qualis hic notatur in ſacramentario etiam S. GREGORII.

Quoad *Gelaſianum* haud male rem ſuboluiſſe VEZZOSIO, ſæpe laudatus codex noſter, quem edimus, prodit, in quo earum etiam dominicarum officia, quæ in vulgato *Gelaſiano* uſque ad dominicam ſeptimam poſt Pentecoſten deſiderantur, ordine ſuo ponuntur *Gelaſianæ*que inſcribuntur; deſunt vero miſſæ *Ambroſianæ* poſt Pentecoſten in noſtro illo codice, quæ apud PAMELIUM ſex ſaltem habentur cum hac nota (T. I. *Liturg.* p. 397.) *In ſequentibus Dominicis uſque ad Adventum Domini præterquam in Dominica dedicationis eccleſiæ repetuntur viciſſim orationes illæ & Præfationes, quas in præcedentibus poſt Pentecoſten Dominicis reperire eſt.*

Convenit vero noſter codex triplicis ritus cum PAMELII *Ambroſiano* in numero ſex dominicarum Adventus; ſicuti etiam S. ELIGII codex cum noſtro antiquiſſimo *Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi Gelaſiani* ritus convenit in numero quinque dominicarum Adventus, ita, ut quæ remotior ſit a Natali Chriſti dicatur quinta, & quæ hanc ſequitur, quarta, & ſic deinceps: quemadmodum AMALARIUS lib. III. *de officiis* c. 40. teſtatur hanc eſſe dominicarum Adventus rationem in an-

antiquis miſſalibus, ut in eis ſcriptum reperiatur: *Hebdomada quinta ante Natale Domini.* Quod MENARDUS in ſua præfatione annotavit.

Collectorem ſacramentarii triplicis ritus, quod inter monumenta veteris liturgiæ *Alemannicæ* edimus, officia etiam liturgiæ *Ambroſianæ* ad uſum eccleſiaſticum accommodare voluiſſe, inde coniicimus, quod formam denominationemque orationum *Ambroſianarum* cum uſu & conſuetudine *Romanæ* eccleſiæ, quæ uſu in *Alemannia* obtinuit, commutarit, & quidem ſecundum ritum *Gelaſianum*, *Ambroſiano* accommodatum, quo poſt primam orationem, quæ in miſſa *Ambroſiana* dicitur *Oratio ſuper populum*, ſequitur *alia &c.* Exempli cauſa, in vigilia Nativitatis Domini notantur apud PAMELIUM ad calcem p. 446. etſi ſacramentarium a Nativitate Domini ordiatur, tres orationes pro totidem lectionibus, quod eſt ſingulare liturgiæ *Ambroſianæ*, ideoque totum prætermittitur a noſtro collectore, qui incipit p. 2. ab oratione inſcripta *Super populum* apud PAMELIUM: *Deus qui hunc diem ſacratiſſimum &c.* ſequitur *alia* in noſtro ſacramentario: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem &c.* quæ notatur apud PAMELIUM *Super ſindonem.* Poſt hanc legitur oratio *Super oblata*, quæ ritu *Ambroſiano* alta voce eſt dicenda, a noſtro autem collectore *Secreta* vocatur. Sequitur *Præfatio* apud utrumque eadem *Cuius hodie faciem &c.* Deinde *Poſt communionem* itidem utrobique eadem, *Sacroſancti corporis & ſanguinis D. N. I. Ch. &c.* Additur in noſtro ſacramentario *Alemannico oratio ad veſperum* & aliæ. *Ad matutinum*

item in Cantemus. *In Benedicite. In laudes. Ad completorium.* Sed an ad *Ambroſianum* etiam ritum ſint referendæ, non annotatur: quid? quod eiusmodi orationes ritu *Romano* frequentes olim ſint celebratæ ad horas Canonicas, de quibus apud PAMELIUM p. 314. nihil occurrit, quod attinet ritum *Ambroſianum.*

Quæ comparet in noſtro ſacramentario *Feria II. miſſa de Nativ. Domini Adeſto Domine &c.* eadem fere apud PAMELIUM notatur *In aurora Nat. Dom.* ritu *Ambr.* Quæ vero apud nos Feria III. notatur, *Deus qui reſtaurationem &c.* apud PAMELIUM *infra octavam* ponitur. In feſto Epiphaniæ Domini habetur *Denunciatio diei Paſchatis per diaconum*, de qua nihil in codice, quem edimus. Dominica prima Quadrageſimæ apud *Ambroſianos in capite Quadrageſimæ* eſt; miſſas autem in feriis Quadrageſimæ ſtudioſe omittit PAMELIUS, quod fere eædem ſint cum officio *Gregoriano.* Idem in nonnullis dominicis poſt Epiphaniam facere potuiſſet, paſſimque orationes *Ambroſianæ* cum *Romanis* conveniunt *Gregorianis, Gelaſianis*, ac etiam *Leoninis* alicubi, ubi hæ ab illis ſunt diverſæ. Per octavam Paſchæ ſingulares miſſæ leguntur pro baptizatis, & in maiori eccleſia, apud PAMELIUM, & in noſtro. Octavæ baptizatorum mentionem facit S. AMBROSIUS prologo in Pſalm. 118. annotante PAMELIO.

Extat *miſſale Ambroſianum*, *ſeu ſecundum regulam ſancti* AMBROSII impreſſum *Mediolani* apud *Chriſtoph.* VALDARFER an. 1482. & apud *Leonardum* PACHEL an. 1499. de quibus editionibus agit SAXIUS in hiſtoria litterario-typographica *Mediolanenſi.* Has aliasque cum haud viderim editio-

tiones, dicere nequeo, quomodo cum *Pameliana* editione congruant: quæ certe haud raro a noſtris differt, cum in orationibus, tum etiam in feſtis & feſtivitatum vigiliis.

Legitur porro apud eundem PAMELIUM T. I. p. 642. *Miſſa Mozarabe D.* LEANDRO *Hiſpalenſi epiſcopo peculiariter in Hiſpaniis uſitata.* Creditur autem S. LEANDER cum S. ISIDORO ritus illius præcipuus auctor: quatenus autem conveniat, quæ PAMELIUS edidit cum Miſſali mixto ſecundum regulam ſancti ISIDORI dictum *Mozarabes*, cum præfatione *Alphonſi* ORTIZ *Toleti* an. 1500. impreſſo, haud ſcio, cum ad manus haud ſit, perinde ac *breviarium mixtum ſecundum regulam Beati* ISIDORI, dictum *Mozarabes* cum præfatione eiusdem *Alphonſi* ORTIZ *Toleti* an. 1502. imp. Pertinet huc libellus orationum antiquiſſimi ritus *Gothico-Hiſpanici* cum annotationibus P. *Ioſ.* BLANCHINI editus T. I. *Liturgiæ antiquæ Hiſpanicæ-Gothicæ, Iſidorianæ, Mozarabicæ Toletanæ mixtæ illuſtratæ,* quam ſequitur pſalterium Ven. THOMASII in quo hæ ac conſimiles orationes ſaluberrimo inſtituto ſingulis ſubnectuntur pſalmis; præmittitur autem *Ioannis* PINII tractatus *hiſtorico-chronologicus de liturgia Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana mixta*, in quo de origine Lit. *Hiſp.* copioſe tractat auctor; nuper vero *Henricus* FLOREZ in *Hiſpania ſacra* T. III. ut in ipſo opere indicavimus.

Pateſcit autem ortus & progreſſus eius liturgiæ ex ritu partim occidentalis, partim etiam orientalis eccleſiæ, quem *Gothi* ſecum ſæc. IV. in *Hiſpaniam* attulerant perinde ac in

Digitized by Google

Galliam Narbonenſem: unde etiam miſſale *Gothicum* nomen accepit a Ven. THOMASIO, & MABILLONIO editum cum miſſalibus *Gallicanis* & *Francorum*, quorum tamen precationes ſubinde eædem etiam ſunt cum *Romanis*, noſtrisque *Alemannicis*, ut ſuis locis indicavimus: eſſetque haud dubie maior adhuc ſeges, ſi integra adhuc extarent ea monumenta, imprimis miſſale *Francorum.*

Id MORINUS de ſacris ordinat. P. II. p. 261. ad ſæc. VI. MABILLONIUS vero lib. III. *Liturg. Gall.* n. 7. ad ſeptimum reponit. Eo autem tempore certatim Apoſtoli ex inſulis *Britannicis* in *Gallias* & *Alemanniam* commearunt, ut ſuo loco oſtendimus, qui forte ritum ſuum, quem *Romanum* a SS. AUGUSTINO & ſociis acceperunt, *Gallicano* (iam id apoſtolis illis a S. GREGORIO edoctis) conformandum eſſe exiſtimarunt: animadvertere quippe licet precum formulis *Romanis* aliquoties denominationes *Gallicanas* ad eum fere modum eſſe inditas, ut in noſtro codice *Alemannico*, quem edimus, compilator orationes *Ambroſianas* titulis inſignivit *Romanis.* Fecit tamen collector miſſalis *Francorum* ritu ad *Leoninum* aut *Gelaſianum* maxime accedente, etſi in Canone habeantur verba *Diesque noſtros in tua pace diſponas*, quæ S. GREGORIO tribuuntur.

Qualiscunque vero demum diverſitas eſſe videatur in his aliisque liturgiis veteribus, & recentioribus, apud diverſas quasque gentes, quam longiſſime a ſe diſſitas, utriusque eccleſiæ orientalis, & occidentalis, ſeu *Græcæ* & *Latinæ*, mirus ſeſe ubique prodit conſenſus a remotiſſimis inde tempori-

ri-

ribus, primaque eccleſiæ ætate uſque ad præſens, tum in iis quæ ad eſſentiam incruenti ſacrificii euchariſtici, reliquique cultus divini, ac officii ſacri, cum etiam quod exteriorem ſacrificandi, divinique Numinis celebrandi formam univerſim attinet, quemadmodum S. IUSTINUS in Apologiis ac deinceps SS. PP. ſcriptoresque eccleſiaſtici eam nobis explicatam litteris reliquerunt, ac etiamnum obtinet uſu & obſervantia. Utrumque iam partim explicavimus in opere *de Cantu & Muſica ſacra*, quæ ad hoc pertinent, ut auguſtiorem reddant celebrationem divini Numinis, ac ſacrificandi ritum; partim in ſequentibus de veteri liturgia *Alemannica* diſquiſitionibus demonſtratum ivimus.

His ceu authentica ac inconcuſſa firmamenta in altera operis ſectione accedunt ipſa monumenta veteris liturgiæ *Alemannicæ*, quæ quidem ſua convenientia & identitate, ut ita dicam, cum antiquiſſimis liturgicis formulis *Romanæ* imprimis Eccleſiæ ceu matris, unam eandemque manifeſtant fidem circa Chriſti in Euchariſtia præſentiam, eiusque in ſacrificio miſſæ oblationem pro vivis & defunctis: circa panis & vini oblationem, eorumque ſymbolorum in corpus & ſanguinem Chriſti transſubſtantiationem, perpetuo conſenſu in ſolemnibus actionis tam auguſtæ formulis expreſſo cum aliis fidei articulis, dogmate communi in orientalibus & occidentalibus eccleſiis quam diverſiſſimi ritus, temporis & locorum per nationes regionesque: apud quas omnes quoad rem ipſam ſtatasque formulas nulla hactenus fuerat diſſenſio uſque ad noviſſima hæc tempora, quibus avita religionis forma hic etiam labefactatur,

non

non tantum in ſacratiori illa divinæ liturgiæ parte ſacrificio eucharisſtico, verum etiam in cæteris ritibus & cærimoniis externis, quibus ſacramenta alia adminiſtrantur & quæ dici amant ſacramentalia, variæ variarum rerum benedictiones, conſecrationes, aut etiam execrationes, exorciſmi, de quibus omnibus formulæ & ratio in libris liturgicis præſcribuntur.

Argumentum de exorciſmis, quibus antiquiores libri liturgici magis abundant, paucis primum abſolveram; dum in recognitione operis iam ſub prelo ſudantis impellor, rem altius repetere, ad aſſerendam Eccleſiæ a Chriſto relictam poteſtatem, nullo non exercitam tempore, atque apud fideles quosque pro inçonteſtata habitam ad noſtra uſque tempora, noviſſimis illis iam nunc quam olim utique propinquioribus, quibus ſolvendus prædicitur ſatan. Fateor me ægre ad hanc tractandam adductum eſſe materiam, veritum, ne ſuperſtitioſis opinionibus, auſibusque irreligioſis patrocinari videar, vel invitus, a quibus paullatim deſuevit hodie vulgus etiam credulum; mundus vero proximis ſæculis veluti faſcinatus fuit, anilibusque fabulis, ac deliris imaginationibus ſuis ita dementatus, ut ubique inſectari ſe lemures & ſpectra, in animum induxerit, ſpiritusque defunctorum hominum undique vagari & humanum genus perſequi ſomniarit; cuius credulitatis vix ullum apud veteres habetur veſtigium, nec ſupereſt ibi hodie gentium, ubi vana deſiit perſuaſio; ceſſant fumigare rogi ad exterminium miſerarum, quas propria exagitavit phantaſia, hyſtericaque paſſio; nihil iam, præterquam ſi hebetudo cum perverſitate, & deſperatione mentis coniuncta in transverſum

ege-

Digitized by Google

egerit, a paupere diabolo ſperatur divitiarum, nihil ab eo opis vel auxilii, qui mendax ab initio nil niſi humanum exitium; nil niſi præſtigias, fraudes, & dolos molitur impoſtor, ac irreconciliabilis hoſtis.

Sed vel hinc cautos nos præſtare debemus divino utriusque S. Scripturæ paginæ moniti oraculo, funeſtisque inde a protoparentibus noſtris exemplis, atque auctoritate omni retro ætate graviſſimorum virorum ac Eccleſiæ Patrum, quorum innumera quidem adduximus teſtimonia, ut tamen multo adhuc plura recenſeri potuiſſent, adeo eorum ſcripta ſunt referta ſalutaribus monitis ac præceptis; ut periculoſum perinde ſit ac temerarium refragari, ac omnia ea perfricta negare fronte, quæ craſſis noſtris non percipimus ſenſibus, nec corporali aſſequimur obtutu, aut humano captu perceptioneque.

Ob oculos ponimus illis, apud quos adhuc fidei aliqua ſcintilla micat, admirabile IESU nomen ac crucis trophæum, quo devictum antiquum ſerpentem fidelis quisque confiteatur neceſſe eſt. „Vidiſti (cum D. CHRYSOSTOMO loquor hom. „ de *Cœmeterio & Cruce* T. II. p. 400.) crucis præclara fa„cinora? Dicam tibi quiddam adhuc mirabilius. Diſce mo„dum victoriæ & tunc magis obſtupeſces. Per quæ enim dia„bolus vicerat, per eadem Chriſtus eundem devicit, & ac„ceptis, quibus uſus fuerat, armis eum debellavit. Et quo„modo? Audi. Virgo, lignum, & mors cladis noſtræ fue„runt ſymbola. Virgo erat EVA. Necdum enim virum co„gnoverat, lignum erat arbor. Mors mulcta ADAMI. At„tende vero rurſus, virgo, & lignum & mors ſymbola ex„titerunt, & quidem victoriæ ſymbola. Nam loco EVÆ

„ eſt MARIA: loco mortis ADAMI, mors Chriſti.“ Sic vero abſorpta eſt mors in victoria, ut hoſtis nobis (quod intus, & exterius experimur, undique nos, dum in hac mortali vita ſumus, circumdantibus inimicis) relictus ſit ad luctam, ac pugnam, quam ſtrenue pugnantes, victores cum illis ſanctis evadamus, quorum etiam cineres contremiſcunt. „Unde igi-
„ tur (iterum cum S. CHRYSOSTOMO l. c. p. 493. loquor)
„ non hunc ſolum Crucifixum, ſed etiam pro ipſo occiſorum
„ favillas dæmones contremiſcunt. Cuius rei gratia, ſaltem
„ nomen audientes crucis in fugam reſiliunt: cum certe ſi ſe
„ res haberet aliter, magis eos opporteret irridere, quam fu-
„ gere. An forte crux quid clarum videtur ac nobile? Imo
„ e contrario turpis & exprobrabilis mors. Eſt enim & uti-
„ que pœnalis mors, & omnino deterrima, & apud *Iudæos*
„ maledicta, & inter gentiles abominanda. Unde igitur il-
„ lam dæmones reformidant, niſi de virtute Crucifixi! Si
„ enim illam per ſeipſam timerent, quamquam & hoc ipſum
„ diis eſſet indignum, tamen & ante illum, & poſt illum ple-
„ rique crucifixi ſunt, & cum ipſo etiam duo. Quid igitur
„ ſi invocat aliquis nomen latronis vel alterius cuiusquam cru-
„ cifixi, dæmonne forte timebit ac fugiet? Nequaquam, quin-
„ imo ridebit. Si vero IESUM addideris *Nazarenum*, velut ab igne repente diffugient.“ Id vero ſingulare eſt, quod idem *de utilitate lect. ſcript.* T. III. p. 79. notavit, carnifices fuiſſe apoſtolis dæmonas: „Carnifices ſunt (inquit) qui reos vir-
„ gis cædunt, qui in ligno ſuſpendunt, & latera deradunt,
„ qui caſtigant, qui puniunt. Visne igitur iſtos videre? Non
„ homines habent, ſed ipſum diabolum, & dæmones: qui cor-

„ po-

Digitized by Google

„ pore ſunt & carne circumdati, miniſtras habebant incor-
„ poreas virtutes. Audi ſane quo pacto cum auctoritate PAU-
„ LUS illis imperaret: ſiquidem de eo, qui formicatus erat,
„ ſcribens dicebat: *Tradite huiusmodi ſatanæ in interitum car-*
„ *nis.* Rurſus cum alii blaſphemarent, hoc ipſum fecit.
Tradidi enim illos, inquit, *ſatanæ, ut diſcant non blaſphe-*
mare."

Sed hæc hic veluti in diverticulo, quo cum nos abduxerit hic ſanctus Doctor, ab eo ad propoſitum opportune reducimur graviſſimis verbis, quibus hom. I. *de proditione* IUDÆ T. II. p. 384. hortatur, ut rite ac præparati accedamus *ad tremendam hanc menſam*, incruenti nimirum ſacrificii ac dominici corporis ſacramentum. „Omnes itaque (inquit)
„ accedamus cum congruenti temperantia ac vigilantia: nul-
„ lus ultra IUDAS eſto, nullus improbus, nullus veneno in-
„ fectus, neque alia in ore verſans, alia in mente retinens.
„ Adeſt Chriſtus & nunc is, qui menſam illam apparavit, hic
„ ipſe hanc nunc exornat. Non enim homo eſt, qui facit,
„ ut propoſita efficiantur corpus & ſanguis Chriſti, ſed ipſe
„ Chriſtus, qui pro nobis crucifixus eſt. Figuram implens
„ ſtat ſacerdos, verba illa proferens: virtus autem & gratia
„ Dei eſt. *Hoc eſt corpus meum*, inquit. Hoc verbum
„ transformat ea, quæ propoſita ſunt. Ac quemadmodum
„ vox illa: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, ſe-
„ mel quidem prolata eſt, omni vero tempore naturæ noſtræ
„ vim præbet ad filiorum procreationem; ita & vox hæc ſe-
„ mel prolata in eccleſiis ad unamquamque menſam ab illo
„ ad hodiernum uſque tempus, & uſque ad adventum eius

„ ſacrificium perfectum efficit. Nullus igitur ſimulatus acce-
„ dat, nullus nequitia plenus, nullus venenata mente, ne in
„ condemnationem particeps efficiatur. Tunc enim poſt ac-
„ ceptam oblationem, diabolus inſiliit in IUDAM, non do-
„ minicum corpus deſpiciens, ſed IUDAM ob impudentiam
„ contemnens; ut diſcas in eos maxime, qui divina myſteria
„ indigne participant, frequenter & irrumpere diabolum, ut
„ tunc IUDÆ contigit.“ Ea erat olim ſacrificii dominici œ-
conomia, ut qui menſæ dominicæ adſtarent fideles, Euchari-
ſtiæ etiam participes eſſent; illi vero, qui participare nollent,
ante communionem abſcedebant, hos vero graviſſime paſſim
inceſſunt ſancti Patres, imprimis S. CHRYSOSTOMUS, qui
cæteris in hac re diſſertior, frequentiorque, divinæ liturgiæ ma-
ximus cultor, ipſe illius conditor liturgiæ, qua *Græci* hodie-
que præcipue utuntur, non dubitat eiuscemodi cum IUDA
contendere. „ Quid facis mi homo? præſente Chriſto, ad-
„ ſtantibus angelis, propoſita iſta tremenda menſa, dum adhuc
„ fratres tui myſteriis initiantur, tu relictis illis abſcedis? At-
„ qui ad prandium quidem ſi vocatus fueris, tametſi prius
„ ſaturatus ſis, recumbentibus cæteris non audes ante amicos
„ diſcedere: hic vero dum Chriſti myſteria celebrantur, dum
„ ſanctum illud ſacrificium adhuc peragitur, omnia in medio
„ relinquis, & abſcedis? quis hæc tandem venia digna cenſue-
„ rit? quis defenſione purgarit? Vultis dicam cuiusnam opus
„ perficiant illi, qui ante complementum finemque diſcedunt,
„ neque cœna abſoluta gratiarum actionis hymnos offerunt?
„ Durum fortaſſe videbitur, quod ſum dicturus, ſed neceſſe
„ eſt tamen, ut ob plerorumque negligentiam dicatur. Quando
„ ul-

Digitized by Google

„ ultimæ cœnæ communicavit IUDAS nocte illa poſtrema, cæ-
„ teris omnibus recumbentibus, ipſe ſe proripiens exceſſit; il-
„ lum imitantur & iſti, qui ante ultimam gratiarum actionem
„ diſcedunt. Niſi enim exiiſſet ille, proditor factus non eſ-
„ ſet: niſi condiſcipulos deſeruiſſet, non periiſſet, non eum
„ lupus ſolum repertum devoraſſet: niſi ſeipſum a paſtore ſe-
„ gregaſſet, belluæ præda factus non eſſet. Idcirco nimirum
„ ille cum *Iudæis*, iſti vero cum Domino hymno dicto exie-
„ runt. Vides ut extrema illa poſt ſacrificium oratio ad il-
„ lud fiat exemplum.“ Extremam illam indigitat orationem, quæ in omnibus liturgiis eiuſcemodi eſt *poſt communionem*, ut etiamnum vocatur. Quod vero primum de angelis tremendo ſacrificio adſtantibus dicit, id teſte S. NILO S. CHRYSOSTOMUS ſæpenumero conſpexit; ipſe vero S. CHRYSOSTOMUS eiusmodi viſionem a ſanctis viris non uno tantum percepiſſe ſe narrat lib. VI. *de ſacerd.* ut iam in *Princ. theol. myſt.* S. I. c. 2. §. 17. retuli. Solet autem ea commemoratione ad reverentiam tanti myſterii excitare ſolemnibus haud raro verbis, quæ etiamnum quotidiana in liturgia ubique frequentantur gentium, relatis: „Non promiſiſti ſacerdoti (hom.
„ IX. *de pœnitentia* T. II. p. 349. ait) qui dixit: *Surſum men-*
„ *tem & corda*, & dixiſti, *habemus ad Dominum.* Non re-
„ vereris, & erubeſcis quod illa hora mendax inveniaris? Pa-
„ pæ! menſa myſtica parata eſt, & agnus Dei pro te immo-
„ latur; ſacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra men-
„ ſa erumpit, Cherubim adſtant, Seraphim advolant, & ſpi-
„ ritus ſex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ
„ virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt: ignis ſpiritualis

„ e cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem „ ex immaculato latere effuſus eſt: & non erubeſcis ac revereris, nec te pudet in illa tremenda hora mendacem te deprehendi? Centum ſexaginta octo horas habente hebdomada, unam & ſolam horam ſibi ipſi ſegregavit Deus, & hanc „ in opera ſæcularia & ridicula, & in vana colloquia abſumis? „ Cum qua poſtea fiducia ad myſteria accedis? Num ſi ſtercus in manibus haberes, auderes contingere fimbriam terreni regis? Ne quaſi panem id reſpicias, nec quaſi vinum „ exiſtimes, neque enim hæc ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit. Ne ſic cogites. Quemadmodum enim, cera igni admota, nihil ſubſtantiæ amittitur, nihil ſuperfluit; „ ſic & hic puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia. Propter quod & accedentes ne putetis vos accipere divinum „ corpus ex homine, ſed ex ipſis Seraphim forcipe ignem, ut „ ſcilicet HESAIAS vidit, vos accipere putate: & quaſi divino & impolluto lateri admoti, ſic ſalutari ſanguini participemus.“ Alibi ſanctis angelis etiam martyres conſociat, ſermone nempe in *Aſcenſionem D. N. I. Ch.* habito in martyrio *Romaneſiæ* extra urbem *Antiochiam* p. 448. „Propterea (inquit) vos huc adduximus, ut illuſtrior conventus „ fieret, ſplendidiusque ſpectaculum non hominum ſolum, ſed „ & martyrum collectorum, neque martyrum dumtaxat, verum etiam angelorum. Etenim & angeli præſentes ſunt, „ angelorum & martyrum concurſus fit hodie. Videre cupis angelos pariter ac martyres! Aperi oculos fidei, & cernes ſpectaculum illud. Nam ſi omnis aer angelis repletus „ ſit, quanto amplius eccleſia: ſi vero eccleſia, quanto ma-

„ gis

„ gis dies iam præſens, quando eorum aſſumtus eſt Domi-„ nus?“ Alias vero dum ſpirituum cœleſtium Cherubim & Seraphim Deo aſſiſtentium præſentiam commemorat, ad ſolemnia illa iam S. IUSTINO M. memoratæ ſæc. II. glorificationis id eſt Præfationis in miſſa verba alludit, quemadmodum poſtea in canone ipſo angelorum ad divinum altare ſacrificium deferentium in omnibus liturgiis Orientis & Occidentis fit mentio, ſancti item non ſemel memorantur martyres; atque in eorum etiam ac aliorum Sanctorum memoriam & honorem Deo ſacrificium offertur, aliaque per diem peraguntur officia, & per annum feſta celebrantur, ut in diſquiſitionibus noſtris oſtendimus, quod veterem noſtram liturgiam *Alemannicam* attinet, liturgicaque produnt vetuſtiſſima quæque monumenta.

Ea inter ut ſunt ordine prima & præcipua imprimis ſeſe commendant S. Spiritus unctione plenæ collectæ illæ ac orationes, quæ eædem quidem hactenus conſtanter in ſacrificio miſſæ ſunt adhibitæ, ut tamen in deſuetudinem abierit potior eorum pars, in antiquiſſimis ſacramentariorum codicibus veluti deliteſcens adhuc; ac ſi fruſtra in lucem protractæ fuiſſent precationes illæ, ſanctiſſimorum Pontificum ex merito ſuſtinentes nomen LEONIS, M. GELASII & GREGORII M. Quibus in Monumentis noſtris *Alemannicis* adhuc *Ambroſianæ* accedunt multo maiori, quam a PAMELIO ante duo fere ſunt editæ copia. Conſtat vero ex relatis a MABILLONIO *Muſæi Ital.* T. I. p. 95. ſeq. epiſtolis PAULI ſacerdotis, & GEBEHARDI religioſorum virorum ſanctæ eccleſiæ *Ratisbonenſis* miſſis ad presbyterum MARTINUM (*Mediolani* temporibus CONRADI *Salici* theſaurorum S. AMBROSII cuſtodem) &

AN-

ANSELMUM, ut libros eiuſcemodi officii *Ambroſiani* transmitterent ſacro conſecrandos etiam in *Germania* uſui. „Fuit „olim (*Ratisbonenſes* illi inter alia ſcribunt) tanta *Mediolanenſis* „eccleſiæ gratia, & excellentia; ut AURELIO, & AUGUSTI„NO cæterisque *Africanis* præſulibus non ſufficeret in dubiis „rebus *Romanum* conſulere pontificem, niſi pariter conſule„rent & *Mediolanenſem*. Deſine ergo admirari imitatrices ſan„ctorum Patrum inquiſitiones noſtras, & adhibe opportunas „opitulationes tuas: ut ordo AMBROSII dulciſſimi ſancti Spi„ritus organi, quem diſcipulus eius doctor eximius AUGU„STINUS traduxit in *Africam*, nobis transferatur in *Germa*„*niam* ad excitandam & dilatandam boni odoris fragrantiam.“ Egit id poſt aliquot ſæcula CAROLUS IV. Imp. ut in eccleſia quadam *Pragenſi* officium divinum ritu celebraretur *Ambroſiano*. Quid vero impediat, ut exemplo maiorum noſtrorum orationes ſaltem eiusmodi, ſervato interim ritu *Romano*, ad uſum revocarentur, cum earum non modica pars conveniat atque eædem omnino ſint cum illis, quæ in vulgatis *Leonino*, *Gelaſiano*, & *Gregoriano* leguntur ſacramentariis, quæ omnia certe par non eſt, ut ceu theſaurus lucernaque abſcondita fulgentiſſimorum ſcilicet Eccleſiæ luminum, quorum præferunt ſingulæ nomina, ſub modio ponantur, ſed ſuper candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo ſunt, Eccleſia ſc. Dei, ad ſplendorem cultus officiique divini & fidelium ædificationem: quem ſi ſuſcepti operis tulero fructum, egregie meo perfunctus mihi videbor labore.

V. I. O. G. D.

ELEN-

ELENCHUS DISQUISITIONUM
DE
VETERI LITURGIA ALEMANNICA.

PARS I. DISQUISITIO I.
Origo ac propagatio religionis chriſtianæ in Alemannia.

CAPUT I.
De prima chriſtianæ fidei origine in Alemannia ſub Romano imperio.

I.

De nomine ac finibus veteris *Alemanniæ*. 2. Lux chriſtianæ religionis in *Alemannia* ex *Italia*, 3. *Illyrico* & *Norico*, ac 4. ex *Gallia* præcipue; 5. primum forte in *Hercynia*. 6. Confirmantur hucuſque dicta teſtimoniis ſæculi I. 7. Sæculi II. 8. Sæculi III. 9. Sæculi IV. 10. Status *Alemanniæ* quinque primis Eccleſiæ ſæculis.

CAPUT II.
De propagatione religionis chriſtianæ in Alemannia ſub regno Francico.

I.

Regni *Francici* origo ac ſtatus cum *Alemannico* connexus. 2. Prælium ad *Tolpiacum* utrique genti quoad religionem ſalutare. 3. Religio chriſtiana in *Alemannia* ſub ſtirpe *Merovingica*: 4. Itemque ſub ſtirpe *Carolina*. 5. Sub qua ex *Britannicis* inſulis præcones Evangelici illuc adſciti. 6. An primus ex iis S. Fridolinus? 7. Hunc inſecuti SS. Columbanus & Gallus; 8. Pirminius; 9. Præcipue vero S. Bonifacius, *Germaniæ* propterea dictus apoſtolus: 10. Eiusque adiutores. 11. Qui ſimul etiam vitæ monaſticæ ſectatores ac propagatores fuere; 12. Scholis poſtea, per monaſteria præſertim, erectis. 13. Cura adornandæ eccleſiæ in conventibus procerum ac ſynodis habita: 14. Ordinata hierarchia eccleſiaſtica.

CAPUT III.
Status eccleſiæ Alemannicæ poſt ſeparatum a regno Francico Germanicum imperium.

I.

Novo conſtituto *Germanico* regno, 2. Status eccleſiæ *Alemannicæ* floret, non ſine gravibus tamen concuſſionibus, 3. Etiam a paganis *Ungaris*, 4. Et hæreticis perturbatus: 5. Qui liturgicum ordinem laceſſiverunt.

DISQUISITIO II.
De monumentis antiquis ad illuſtrandam veterem Liturgiam Alemannicam facientibus.

CAPUT I.
De variis variarum gentium, ac etiam Alemannicis Liturgiis, ſeu ſacramentariis.

I.

De Liturgiæ nomine. 2. Libri Sacramentorum, myſteriorum. 3. An primis Eccleſiæ ſæculis extiterint? 4. Liturgiæ *Græca*, 5. Liturgia *Armena*, *Sclavonica*, 6. *Africana*, 7. *Ambroſiana*, 8. *Mozarabica*, 9. Cum *Gallicana* veteri comparata. 10. Miſſale *Gothicum*, 11. *Francorum*. 12. Sacramentaria alia duo *Gallicana*, & miſſa S. Germani. 13. Miſſa Illyrici an ad ritum *Gallicanum* pertineat? 14. Liturgia *Britannica*. 15. Liturgiæ aliarum gentium cum *Romana* commutatæ. 16. Liturgia *Romana* a prima origine. 17. Vetuſtiſſimum eiusdem ſacramentarium ex codice *Veronenſi*, *Leoninum* dictum; 18. *Gelaſianum*, 19. *Gregorianum*. 20. Huius variæ editiones. 21. Additiones ab aliis factæ. 22. *Alemannici* ſacramentarii, 23. Eorumque ætas. 24. Anni eccleſiaſtici exordium. 25. Notæ quædam ſingulares antiquiſſimi ſacramentarii *Alemannici*, præcipue in diebus Rogationum, Officiis feriæ V. in Quadrageſima, & circa alia feſta particularia: 26. Imprimis quoad Præfationes, 27. Et Canonem. 28. Notæ ſacramentarii *Sanblaſiani*, geminique *Solodorenſis* & *Petersbuſani*. 29. Eorum inſcriptio

f

ſcriptio & forma a miſſalibus plenariis diſtincta. 30. De rubrica, *Gloria in excelſis* a presbyteris nonniſi in Paſchate eſſe dicendum. 31 De Præfationibus ſingularibus eiusdem ſacramentarii *San-Blaſiani*. 32. De Canone, rubricis ad Canonem, & benedictionibus epiſcopalibus ad calcem eiusdem ſacramentarii.

CAPUT II.

De aliis libris ad Liturgiam ſpectantibus.

1.

Varia aliorum codicum liturgicorum genera; ſcilicet 2. Antiphonarius, ſeu Gradualis, 3. Ab ADRIANO P. miſſus, & in *Alemannia* relictus cum altero: 4. Quod hodie Antiphonarium proprie dicimus, ſeu Reſponſale. 5. Liber *Comes* inſcriptus, & alii Lectionarii pro Miſſa, 6. Et pro horis canonicis. 7. Homiliarii libri. 8. Obſequiale, Benedictionale & Pœnitentiale. 9 Officiales libri, breviaria præcipue, 10. Pſalterium, 11. Acta Martyrum ac faſti. 12. Origo martyrologiorum & calendariorum. 13. Martyrologia *Alemannica*. 14. Calendaria. 15. Necrologia.

CAPUT III.

De aliis monumentis & auctoribus ad Liturgiam Alemannicam facientibus.

1.

Libri peculiarium precum miſſæ, qualis ab ILLYRICO edita. 2. De eius antiquitate & uſu. 3. Comparatur cum aliis ſimilibus etiam *Alemannicis*. 4. Rubricæ & rituales libri antiquiores. 5. Ordo *Romanus* ex codicibus *Alemannicis*, 6. Cuius commentatores ſunt AMALARIUS & BERTHOLDUS *Conſtantienſis*. 7. De aliis eiusdem AMALARII, & cognominis *Trevirenſis* ſcriptis liturgicis, aliorumque de ritibus Baptiſmi. 8. De *Alemannicis* liturgicis ſcriptoribus, 9. Et Canonum collectoribus.

CAPUT IV.

Firmamenta cauſæ catholicæ adverſus obiecta Novatorum, ex Liturgia.

1.

Vis monumentorum liturgicorum contra adverſarios; 2. Quoad formam ac ritus externos. 3. De lingua in Sacris. 4. Cerimoniæ eccleſiaſticæ quando impugnari cœptæ? 5. Veſtes, vaſa ſacra. 6. Sacrificium, 7. Quoad realem præſentiam extra uſum, ſeu transſubſtantiationem. 8. Reliqua Sacramenta. 9. Myſteria Trinitatis, Incarnationis & gratiæ explicata. 10. Cultus Sanctorum. 11. Preces & Sacrificia pro defunctis.

DISQUISITIO III.

De publica in Eccleſia, ſacroque cum apparatu, celebratione Liturgiæ in Miſſa.

CAPUT I.

De ſacris ædibus, earumque ad celebrationem Miſſæ apparatu.

1.

Sacrarum ædium nomina apud noſtrates. 2. Alia ædium ſacrarum nomina. 3. Structura veterum *Alemanniæ* eccleſiarum. 4. Quarum præſtantiores recenſentur, quæ ætatem tulerunt. 5. Navis eccleſiæ. 6. Abſida & eius partes. 7. Altaria. 8. Miſſæ in locis ſacris fiant. 9. Ciboria antiqua, baptiſteria, ſacraria. 10. Reliquiæ ſub altaribus. 11. Crux ſuper altare, 12. Et alibi. 13. Luminaria. 14. Vela ac pallia altaris. 15. Imagines, vela eccleſiæ, picturæ, aliaque ornamenta.

CAPUT II.

De ſacris Vaſis.

1.

Vaſa ſacra, 2. Pretioſa ex auro, argento, gemmis: 3. Libri etiam liturgici. 4. Miniſteria, ornamenta, ac utenſilia diverſi generis: 5. Ad manus lavandas, 6. Ad thus adolendum, 7. Et faciendas oblationes. 8. Corporalia & pallæ; 9. Patena, 10. Calix. 11. Calices miniſteriales. 12. Sacra vaſa ad recondendam Euchariſtiam. 13. Calami ad ſumendum S. Sanguinem. 14. Cochlearia ad intinctam Communionem. 15. Flabellum. 16. Inſtrumentum ad Pacem dandam.

CAPUT III.

De Veſtibus ſacris.

1.

De tonſura, 2. Et habitu Clericorum. 3. Sacræ altaris veſtes, ſcilicet 4. Amictus, 5. Alba, 6. Cingulum, 7. Mappula, manipulus, 8. Fanon, 9. Orarium, ſeu Stola 10. Cum tintinnabulis. 11. Oraria habitu communi. 12. Linea, Subtile. 13. Dalmaticæ. 14. Caſula, Planeta. 15. Eius antiqua forma paſſim ſervata, 16. Ac hodieque hinc inde in uſu 17. Cappa, Pluviale, 18. Sandalia, Pecten, Caligæ; 19. Chirothecæ, 20 Annulus, 21. Baculus, Cambuta; 22. Crux pectoralis; 23. Mitra, infula; 24. Pallium, Rationale. 25. Uſus ſacrarum veſtium pro ſuis ordinibus. 26. Earum ornatus ac pretium. 27. Veſtes effigiatæ. 28. SS. Veſtium color.

DIS-

DISQUISITIO IV.

De Celebratione Sacrificii Miſſæ.

CAPUT I.

De Miſſarum generibus, ritibus, lingua, hora.

1.

De Miſſæ nomine. 2. Miſſa ſolemnis cum Symmiſtis, 3. Miſſa publica, 4. Privata, aut etiam plures per diem. 5. Miſſæ ritus, 6. Lingua, & 7. Hora.

CAPUT II.

De ordine Miſſæ uſque ad Offertorium.

1.

Præparatio ad Miſſam varia. 2. Lotio manuum; 3. Ante vel ſub veſtitu ſacro pſalmi & preces. 4. Pſalmus in ingreſſu ad altare. 5. Proceſſio cum miniſtris ad altare ſub Introitu. 6. An ſacerdos olim Introitum per ſe legerit. 7. Confeſſio cum pſalmo *Iudica:* Apologiæ. 8. *Kyrie eleiſon.* 9. *Gloria in excelſis.* 10. Salutatio populi. 11. Prima Collecta, ſeu oratio. 12. Eius clauſula: *Per Dominum &c.* 13. Laudes. 14. Seſſio poſt Collectam. 15. Lectio. 16. Reſponſorium, Graduale. 17. Evangelium. 18. Symbolum. 19. Sermo, ſeu concio.

CAPUT III.

De Miſſa fidelium ab Offertorio uſque ad Communionem.

1.

Ad Offertorium Miſſæ fidelium initium. 2. Oblationes a quibus factæ, 3. Qualesve in Miſſa? 4. Preces ad oblationes. 5. Oblatæ ſtudio confectæ ac proviſæ, ſive Hoſtiarum forma. 6. Quomodo hæ in altari compoſitæ. 7. Incenſum, Calix coopertus. 8. Lotio manuum. 9. *Orate fratres.* 10. Secreta ſeu oratio ſuper oblata. 11. Præfatio ſeu conteſtatio. 12. Sanctus. 13. Canon; 14. Eius auctores. 15. Qua religione ſervetur. 16. Canon ſecreto dicendus. 17. Oſculum initio canonis. 18. Expanſio manuum. 19. Cruces ſub canone. 20. De Diptychis. 21. Memoria Papæ. 22. Epiſcoporum, Abbatum &c. 23. Imperatoris, Regis, 24. Et pro omnibus orthodoxis &c. 25. *Memento Domine famulorum &c.* 26. *Pro quibus tibi offerimus*, vel *qui tibi offerunt.* 27. Nomina Sanctorum in Canone. 28. *Hanc igitur oblationem.* 29. Verba conſecrationis. 30. Elevatio. 31. *Unde & memores.* Oratio pro ſacerdote. 32. *Memento* mortuorum: ubi de diptychis mortuorum in Miſſa, 33. Et extra Miſſam. 34. Secunda Sanctorum commemoratio. 35. Benedictio diverſarum rerum ad *Per quem hæc omnia.* 36. Elevatio minor. 37. Oratio dominica. 38. Emboliſmus orationis dominicæ. 39. Benedictio epiſcopalis. 40. Fractio hoſtiæ. 41. *Agnus Dei.* 42. Oſculum pacis. 43. Denunciationes olim hoc loco factæ.

CAPUT. IV.

De Communione uſque ad finem Miſſæ; nec non de Eulogiis & Agapis.

1.

Ante communionem olim non communicantes dimiſſi. 2. Communio Sacerdotii, 3. Miniſtrorum, 4. Fidelium: 5. Quomodo & quouſque ſub utraque ſpecie? 6. De communione laica & peregrina. 7. Preces ad communionem. 8. Antiphona ad eamdem. 9. Ablutio. 10. Oratio ad Poſtcommunionem. 11. Oratio ſuper populum. 12. *Ite miſſa eſt.* 13. Benedictio populi. 14. Cætera, cum receſſu ab altari. 15. Eulogiæ. 16. Agapæ.

PARS II. DISQUISITIO V.

De Sacramentorum adminiſtratione.

CAPUT I.

De ſacramento Baptiſmi, ſimulque adminiſtrari ſolita Confirmatione & Eucharistia.

1.

De ordine aliorum Sacramentorum, imprimis Baptiſmi. 2. Catechumenatus cum pœnitentia & inſtructione. 3. Scrutinia, 4. Quibus temporibus, 5. Et quo ritu inſtituta. 6. Sal Catechumenis guſtandum datum. 7. Exorciſmi, inſufflationes. 8. Exorciſmus ſalis, ſignum crucis, impoſitio manus, unctio. 9. Apertio aurium, cum expoſitione Evangeliorum: ſaliva tangendi nares & aures ritus. 10. De abrenunciationibus & ſponſionibus, 11. Deque earum fide ſervanda. 12. Traditio redditioque ſymboli, Capitulavium Dominica

f 2 Pal.

Palmarum, 13. Cum oratione Dominica. 14. De Sponſoribus, ſeu patrinis, & matrinis. 15. De baptiſteriis. 16. Conſecratio aquæ baptiſmalis. 17. Baptiſmi tempora Paſcha & Pentecoſte, 18. In Epiphania, & aliis diebus: 19. In caſu vero neceſſitatis quovis tempore. 20. Miniſter Baptiſmi, 21. Eiusque formula. 22. Per immerſionem vel affuſionem collatus. 23. Unctio. 24. Confirmatio. 25. Communio Neophytorum. 26. Lac & mel infantibus datum, 27. Et panis benedictus, 28. Itemque cerei ſeu lampades, ac 29. Veſtes albæ.

CAPUT II.

De Sacram. Pœnitentiæ adminiſtratione.

1.

Libri pœnitentiales. 2. Sacramenti pœnitentiæ œconomia a prima Eccleſiæ ætate. 3. Quatuor apud veteres ſtationes pœnitentium. 4. Ordo agendi pœnitentiam feria IV. Cinerum. 5. Reconciliatio pœnitentium in Cœna Domini. 6. Generalis abſolutio & confeſſio. 7. Reconciliatio hæreticorum. 8. Miniſter pœnitentiæ. Caſus reſervati. 9 Privata pœnitentiæ adminiſtratio. 10. Publicæ & ſecretæ pœnitentiæ diſciplina. 11. Confeſſio peccatorum, 12. Articulatim requiſita. 13. Abſolutio cum impoſitione manus & oratione. 14. Pœnitentia quatenus iuxta Canones iniuncta, 15. Varia circa hoc Eccleſiæ diſciplina; 16. Recentius immutata, 17. Relaxato antiquæ pœnitentiæ rigore. 18. Reductiones pœnitentiarum. 19. Indulgentiæ.

CAPUT III.

De extrema Unctione & Viatico.

1.

De oleo infirmorum. 2. Unctionis infirmorum varii ritus: ſacra unctio. 3. Extrema unctio ante Viaticum. 4. Viaticum particula intincta, 5. Sub una vel duabus ſpeciebus, 6. Cum ablutione, ſeu vino non conſecrato. 7. Cura, ne quis ſine Viatico decedat, ſeu communione ſaltem reconciliatoria. 8. Damnatis ad mortem denegata alicubi Euchariſtiæ communio. 9. Mortuis Euchariſtia quomodo data.

CAPUT IV.

De ſacris Ordinationibus.

1.

De ritibus ad Ordinationum ſubſtantiam pertinentibus. 2. Ordinationum tempora. 3. De ordinibus & ordinandis. 4. Tonſura; 5. Ordines minores. 6. De confeſſoribus. 7. Subdiaconi, Diaconi; 8. Diaconiſſæ, Presbyteræ, Epiſcopæ: 9. Presbyteri; 10. Epiſcopi: 11. Abbates epiſcopi, chorepiſcopi.

CAPUT V.

De Celebratione Matrimonii.

1.

Benedictio ſacerdotalis nuptiarum, 2. Intra Miſſam; 3. In trigeſimo & annuali nuptiarum, ſecundis item nuptiis. 4. De annulo, velamine, corona nubentium, ac thalami benedictione. 5. De paranymphis, & nuptiis publicis nonniſi ſuis temporibus celebrandis.

DISQUISITIO VI.

De Conſecrationibus, Benedictionibus, Execrationibus &c.

CAPUT I.

De variarum rerum & perſonarum conſecrationibus, benedictionibus.

1.

Conſecrationes, benedictiones. 2. Dedicatio eccleſiæ, 3. Cum Sanctorum reliquiis in conſecratione altaris. 4. Benedictio vaſorum & donariorum eccleſiæ. 5. Benedictio campanarum, 6. Aquæ luſtralis & ſalis. 7. Benedictio aquæ & ſalis ad ſpargendum in domum, cum Miſſa in domo nova. 8. Benedictio cinerum, 9. Palmarum, 10. Ignis novi, 11. Sacri olei & Chriſmatis; 12. Cerei paſchalis, 13. Agnorum, cereorum &c. 14. Benedictio candelarum in feſto Purificationis B. M. V. 15. Benedictiones imaginum, crucis &c. 16. De idolothytis &c. 17. Benedictiones novarum frugum &c. 18. Variæ votivæ Miſſæ & preces. 19. Mulierum poſt partum in eccleſiam introductio. 20. Conſecratio virginum & viduarum. 21. Infantium oblatio ac profeſſio monaſtica. 22. Abbatum & abbatiſſarum benedictio. 23. Cenſurarum abſolutio & irrogatio publica. 24. Manumiſſionis in eccleſia cerimonia. 25. Regum ac Imperatorum inauguratio.

CAPUT II.

De Canonizatione Sanctorum, primum in Alemannia, & cultu Reliquiarum.

1.

Sanctorum corpora religioſe e tumulis levata, 2. Ac fidelium cultui expoſita, 3. Auctoritate *Romani* Pontificis. 4. Tranſlationes corporum Sanctorum ſolemnes, 4. Ac reliquiarum *Roma* allatarum, ad publicum præſertim cultum.

CA-

CAPUT III.

De purgationibus vulgaribus, ſeu Iudicio Dei.

1\. Primordia huiusmodi purgationum ad ſepulchra Sanctorum. 2. Fata purgationum vulgarium. 3. Ordines liturgici earumdem. 4. Probatio aquæ frigidæ & ferventis, 5. Ferri candentis, ſeu ignitorum vomerum, 6. Panis & caſei, 7. Menſuræ. 8. Examinatio crucis. 9. Purgatio per Miſſam ac Euchariſtiam. 10. Probationes per duellum. 11. Purgatio per iuramentum.

DISQUISITIO VII.

De Energumenis, eorumque Exorciſmis.

CAPUT I.

De Energumenis, variis modis ac malis artibus, quibus ad tentandum, infeſtandum, fallendumque genus humanum utuntur cacodæmones.

1\. Præſentis tractationis occaſio. 2. Inſtigante diabolo collapſum genus humanum in primis parentibus. 3. Antiquior de dæmonibus doctrina, etiam apud gentiles. 4. In ſacris ſcripturis exempla dæmonurgiæ. 5. Exemplum Chriſti. 6. Principes mundi huius, & rectores tenebrarum harum. 7. Quomodo diabolus eiectus eſt foras: 8. Quomodo ligatus? 9. Solvendus noviſſimis temporibus: 10. Hoſtis ſemper formidandus: 11. Ad luctam relictus. 12. An malus cuique homini adhæreat genius? 13. Humani generis hoſtes, caro, mundus & dæmon; 14. A cuius inſidiis nemo ſecurus eſt, 15. Ut tamen in noſtra ſit poteſtate: 16. Quocum ſemper pugnandum. 17. Traditus ſatanæ iuxta apoſtolum, ipſique angelus ſatanæ datus, qui eum colaphizet. 18. Sic ad bonorum profectum ſunt dæmonum inſultus, 19. In quantum Deus permittit. 20. Unde & in oratione dominica liberari a malo petimus. 21. Dæmon, caro, mundus hoſtes coniurati. 22. Omnes infeſtationibus diaboli obnoxii, etiam boni, 23. Et religioſi homines, 24. Quique cumprimis pietati ſanctitatique ſtudent; 25. In extremo præcipue mortis agone. 26. Diabolus an, aut quomodo omnium malorum cauſa? 27. Quomodo in animum ſeſe inſinuet, cogitationesque noſtras; 28. Phantaſiamque & paſſiones moveat, 29. Atque ad vitia inclinet, 30. Et a bono ad malum trahat. 31. Variis modis corporaliter infeſtati homines, 32. Et obſeſſi; 33. Infantes, 34. Adulti Chriſtiani 35. Miſere agitati. 36. Energumeni a Clero, ſacris, ipſoque baptiſmo quare & quomodo arcebantur? 37. Quomodo in corpus agant dæmones? 38. Diabolica phantaſmata, ſpectra. 39. Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis. 40. Loca a dæmonibus infeſtata. 41. Dæmones aereæ poteſtates. 42. An meteora producere poſſint? 43. Deo permittente corporis valetudinem vitiant, morbis aliisque malis; 44. Verbera, vulnera inflixerunt; 45. Ac mortem ipſam. 46. Magia quidem ſoluta per Chriſtum, iuxta SS. Patres; 47. Eiusque fallacia demonſtrata, 48. Ac impia ſuperſtitio. 49. Strigum ludibria, 50. Somnia, 51. Phantaſticæ metamorphoſes. 52. An dæmones meris nobis illudant præſtigiis? 53. Maleficia in corpore humano & alibi; 54. Philtra; 55. Faſcinationes, 56. Imprecationes, 57. Incantationes, ligaturæ, philacteria, 58. Necromantia, 59. Divinationes, obſervationes vanæ, 60. Sortilegia, 61. Incaſſum prorſus ad theſauros eruendos: 62. Cum diabolus nocere tantum intendat impia ſuperſtitione; 63. A qua tantopere cavendum. 64. Ne tamen in alterum incredulitatis extremum prolabamur.

CAPUT II.

De exorciſmorum in Eccleſia virtute, variisque excludendi dæmones ac eorum infeſtationes modis.

1\. De dæmonurgia communis SS. Patrum ſententia. 2. Poteſtas eiiciendi dæmones iuxta Evangelium, 3. Teſtimoniis a primis Eccleſiæ ſæculis demonſtrata. 4. Exorciſmi. 5. Exorciſtæ. 6. Promiſcuus a primis ſæculis exorcizandi uſus fidelium. 7. Statæ exorciſmorum formulæ. 8. Varia diſciplina circa SS. Euchariſtiam contra dæmonurgiam. 9. Exorciſmus in nomine Dei, 10. In nomine Chriſti Domini, 11. Et Salvatoris IESU, 12. Crucifixi. 13. Crucis ſigno pelluntur dæmones, 14. Phantaſmata fugantur, 15. Exploſæ magicæ præſtigiæ. 16. Crucis munimen in confeſſione chriſtiana, 17. In tentationibus variis. 18. Frequens S. Crucis uſus privatus & publicus in Eccleſia. 19. Exorciſmus aquæ, 20. Cum ſale, pulvere, oleo. 21. Unctio olei. 22. Campanæ, 23. Thymiamata, ac diverſarum rerum exorciſmi;

24 Eulogia; 25. Sufflatio, inſputatio. 26. Verberibus pulſi dæmones, 27. Aut increpando, 28. Cum indignatione iuſta; 29. Soloque imperio, 30. Contactu, 31. Impoſitione manuum; 32. Sola etiam præſentia Sanctorum, aut rerum ad eos pertinentium; 33. Ad Sanctorum lipſana, 34. Angelorum cuſtodia, 35. Deique genitricis MARIÆ tutela; 36 Per ſancta Evangelia, 37. Orationem, 38. Cum ieiunio & eleemoſyna: 39. Humilitate item ac reliquo virtutum agmine. 40. Remota triſtitia ac pavore animi, 41. Cum arm atura autem fidei iuxta apoſtolum, 42. Dum eius monitu reſiſtimus fortes in fide: 43. Procul amandata omni incredulitate: 44. Ne fiant noviſſima hominis illius peiora prioribus; 45. Cuius glorioſus eſſe debuerat in Chriſto, devicto hoſte, triumphus. 46. Circumſpecta, abiectis circa dæmonas erroribus, cautio; 47. Vigilantia item cum certa in Chriſtum fiducia.

PARS III. DISQUISITIO VIII.

De Horis canonicis.

CAPUT I.

De curſu nocturno & diurno horarum Canonicarum.

I.

De Appellatione curſus canonici, 2. Ac origine iuxta varium ritum & ordinationem in breviario; 3 Singulari etiam monaſtico. 4. Horæ canonicæ diſtinctæ: 5. Nocturnæ & matutinæ, 6. Pro feſtivitatum ratione: 7. Vetus horarum canonicarum dimenſio. 8. Earum officium liturgicum. 9. De Veſperis, 10. Et Completorio.

CAPUT II.

De ſingulis partibus horarum canonicarum.

I.

Pſalterii uſus continuus in curſu canonico, 2. Singulis pſalmis ſubnectendo *Gloria Patri.* 3. Integri præterea pſalterii per diem vel pſalmorum ſelectorum frequentatio. 4. Pſalmi imprecatorii. 5. Cantica conſuetudinaria cum pſalterio memoriter ediſcenda. 6. Hymnus *Te Deum laudamus.* 7. Symbolum S. ATHANASII. 8. Oratio dominica, ſalutatio angelica, ſymbolum. 9. Lectiones in officio nocturno ex ſcriptura, SS. Patribus, & geſtis Sanctorum. 10. Benedictiones ſuper Lectorem, ac clauſula lectionum. 11. Lectiones breves ſeu capitula. 12. Antiphonæ, reſponſoria, verſus. 13 Hymni. 14. Orationes. 15. Curſus B. V. officium defunctorum, omnium Sanctorum, ac commemorationes. 16. Antiphonæ de B. M. V.

DISQUISITIO IX.

De Feſtis.

CAPUT I.

De feſtis Domini.

I.

Dies feſti per annum. 2. Anni eccleſiaſtici exordium in liturgiis a vigilia Natalis Domini. 3. Natale Domini, 4. Cum octava. 5. Miſſa *probibendo ab idolis*, ob ſuperſtitiones Kalendis *Ianuarii.* 6. Epiphania Domini cum baptiſmo ſolemni. 7. Triduum ſacrum ante Paſcha. 8. Feria V. in Cœna Domini. 9. Feria VI. in Paraſceve. 10. De Miſſa Præſanctificatorum in Paraſceve. 11. Sabbatum ſanctum. 11. Reſurrectio dominica. 13. Paſcha annotinum. 14. Feſtum inventionis & exaltationis S. Crucis. 15. Aſcenſio Domini. 16. Pentecoſte. 17. Octava Pentecoſtes cum officio ſequentium dierum de Trinitate. 18. Solemne SS. Trinitatis feſtum in octava Pentecoſtes. 19. Feſtum Corporis Chriſti.

CAPUT II.

De Feſtis Sanctorum.

I.

Feſta Sanctorum qua cautione ſuſcepta. 2. Feſta B. MARIÆ V. 3. Apoſtolorum, 4. Martyrum & aliorum Sanctorum: 5. Quomodo celebrata. 6. De SS. ANASTASIA & EUGENIA. 7. Feſtum S. STEPHANI, 8. S. IOANNIS Evangeliſtæ, 9. SS. INNOCENTUM, 10. S. SILVESTRI P. 11. Feſta *Ianuarii.* 12. Feſtum Purificationis B. M. V. 13. Cathedræ S. PETRI. 14. Alia feſta *Februarii.* 15. Feſta *Martii*, 16. *Aprilis*, 17. *Maii*, 18. *Iunii*, 19. Feſtum S. IOANNIS Baptiſtæ, 20. Et SS. PETRI & PAULI. 21. Feſta *Iulii.* 22. Feſta

S. BE-

S. Benedicti. 23. Feſta *Auguſti.* 24. Aſſumtio B. Mariæ V. 25. Nativitas B. Mariæ V. 26. Alia feſta *Septembris.* 27. Feſta S. Michaelis & aliorum angelorum, cuſtodum, & archangelorum. 28. Feſta *Octobris.* 29. Feſtum omnium Sanctorum. 30. Alia feſta *Novembris.* 31 Feſta *Decembris.* 32. Feſtum Conceptionis B. Mariæ V.

DISQUISITIO X.

De certis ad divinum cultum diebus, & temporibus, eorumque obſervantia.

CAPUT I.

De ſtatis per ſeptimanam ſacris conventibus.

1.

Sacri Conventus, ac Miſſæ quotidianis diebus. 2. De Stationibus ac feſtis diebus. 3. De certis Stationum ac Synaxium per ſeptimanam diebus. 4. Fer. IV. & VI. ac nonnumquam ſabbato officium peculiare, ac in monumentis liturgicis per annum lectiones pro Miſſa. 5. De ſtatis conventibus die dominica.

CAPUT II.

De Adventu Domini & Dominicis poſt Natale Domini.

1.

Incerta Adventus Domini exordia, 2. Ac varia epocha. 3. Quatuor aut quinque dominicæ Adventus in noſtris liturgiis. 4. De officio & ritibus Adventus, 5. Eiusque ieiunio. 6. De officiis dominicalibus poſt Natale Domini & Epiphaniam.

CAPUT III.

A Septuageſima uſque ad Paſcha per ieiunium Quadrageſimæ.

1.

Septuageſimæ, Sexageſimæ &c. denominationes: 2. Ubi *Alleluia* deponitur. 3. De varia epocha auſpicandi ieiunium. 4. Feria IV. Cinerum. 5. De feriarum per Quadrageſimam officiis. 6. De abſtinentiæ quadrageſimalis obſervantia. 7. Ieiunium uſque ad veſperam. 8. De ritibus officii quadrageſimalis. 9. De feſtis Sanctorum in Quadrageſima. 10. De aliis quadrageſimalis temporis ritibus, præſertim a dominica mediana 11. De eleemoſyna & fermento ſabbato ante dominicam Palmarum. 12. Dominica Palmarum. 13. Feriæ ſequentes hebdomadæ maioris. 14. De tribus Quadrageſimis, & aliis quibuſdam ſtatis ſeu indictis ieiuniis.

CAPUT IV.

De Tempore Paſchali.

1.

Hebdomada ac Dominica in Albis. 2. Tempus paſchale. 3. Quædam ſingularia in officio cum *Alleluia.* 4. De relaxatione ieiunii. 5. Celebritas Quinquageſimæ paſchalis.

CAPUT V.

De Dominicis poſt Pentecoſten.

1.

Numerus dominicarum poſt Pentecoſten. 2. Concordia officiorum. 3. Præfatio de SS. Trinitate per has dominicas.

CAPUT VI.

De Quatuor temporibus.

1.

Origo trium vel quatuor temporum ieiunii. 2. In illis celebrandis varietas. 3. Donec ſæculo XI. fixa ſunt tempora menſis primi & quarti; 4. Item menſis ſeptimi & decimi. 5. Eorum officia.

CAPUT VII.

De Litaniis, Proceſſionibus ac Peregrinationibus ſacris.

1.

Collectæ, ſtationes, proceſſiones: 2. Litaniæ, ſupplicationes ſeu rogationes. 3. De proceſſione in feſto Purificationis & aliis B. Virginis: 4. In die Palmarum cum Euchariſtiæ etiam circumgeſtatione, ut in feſto Corporis Chriſti. 5. De proceſſionibus paſchalibus ob baptiſmum. 6. De proceſſionibus triduo poſt Natale Domini. 7. De proceſſione ſingulis diebus dominicis. 8. De litaniis menſtruis. 9. De litaniis ſeu proceſſionibus quibuſdam extraordinariis. 10. Litania maior. 11. De triduo Rogationum. 12. Litaniæ cum ieiunio etiam tempore paſchali; 13. Cum aliis exercitiis humilitatis. 14. Peregrinationes ſacræ.

DIS-

Digitized by Google

DISQUISITIO XI.

De Cura pro mortuis.

CAPUT I.

De Exequiis Funeris.

I.

Obſequium agonizantium. 2. Abſolutio defuncti. 3. Campanæ pulſus in agone & mox poſt obitum. 4. Pſalmodia ad cadaver, ac miſſæ ante ſepulturam. 5. Lotio cadaveris. 6. Quomodo veſtiti mortui? An cum Euchariſtia aliquando ſepulti? 7. Preces ac ritus funebres, 8. Præeunte ſacro. 9. Locus ſepulturæ. 10. Monumenta ſepulchralia.

CAPUT II.


De aliis precibus & ſacrificiis pro mortuis, ſtatutis temporibus.

I.

Officium defunctorum. 2. Miſſæ pro mortuis, 3. Qualiter celebratæ. 4. Miſſa, pro cuius anima deſperatur vel dubitatur. 5. *Græcorum* ſententia de ſalute damnatorum; 6. *Latinorum* item Patrum. 7. An ſaltem mitigentur precibus & ſacrificiis damnatorum pœnæ? 8. De Primo, Tertio, Septimo, Trigeſimo &c. pro mortuis agendis. 9. De Trentenario, vulgo S. Gregorii. 10. De anniverſariis. 11. De ſocietatibus initis pro defunctis. 12. De commemoratione annua omnium fidelium defunctorum.

DE

Digitized by Google



Joseph Hörr del. BEATI QUI HABITANT IN DOMO TUA DOMINE, IN SECULA SECULORUM LAUDABUNT TE. Pſ. 83. Peter Mayr ſc.

DE

VETERI LITURGIA ALEMANNICA.

DISQUISITIO I.

ORIGO AC PROPAGATIO RELIGIONIS CHRISTIANÆ IN ALEMANNIA.

CAPUT I.

De prima fidei chriſtianæ origine in Alemannia ſub Romano Imperio.

I.

De nomine ac finibus veteris Alemanniæ.

Hoc in tractatu de veteri *Alemannica* litur-gia, ſeu publici religionis chriſtianæ cultus obſervantia, ac ſacris ritibus, ante omnia faciendum duco, ut de o-rigine, ac propagatione religionis chriſtianæ in *Alemannia* verba faciam. Quod dum inſtituo, ipſe *Alemannici* nominis ortus eſt declarandus. So-lent vicini *Galli* univerſam, qua late patet, *Germaniam* hoc deſignare vocabulo, partis nomine toti regio-ni indito, uti contra *Galliam* ſuam

A Franciam

Franciam appellant: quæ ſi in amplitudine ſua ſpectetur, quando floruit *Francorum* regnum, *Gallicis* equidem non continebatur finibus; ſi in origine conſideretur, in *Germania* quærenda eſt, quam inferiorem vocamus ad *Rheni* defluxum. Ubi primum medio ſæc. III. poſt Chriſtum natum occurrit iſtud nomen apud VOPISCUM in *Aureliano* c. 7. quem narrat *Francos* irruentes, cum vagarentur per totam *Galliam*, ſic afflixiſſe, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderint. Idem quidem in PROCULO memorat, *Alemannos* tunc adhuc, poſt medium ſcilicet ſæculum III. *Germanos* dictos fuiſſe. At dudum ante *Antoninus* CARACALLA ſibi, teſte SPARTIANO in eius Vita c. 10. „*Alemannici* nomen adſcripſit (ut *Germanici*, *Parthici*, *Arabici*) quoniam *Alemannorum* gentem devicerat.“ Et VICTOR: „*Alemannos* (inquit) gentem populoſam, mirifice pugnantem prope *Mœnum* devicit. Inclaruit igitur *Alemannorum* nomen ex ſimili *Romanorum* limitum infeſtatione in ſuperiore *Germania*: „Quæ (ut ait *Dio* CASSIUS lib. LIII.) *Rheni* fontibus propior eſt; inferior, quæ ab hac uſque ad Oceanum *Britannicum* ſe extendit.“ Refert ibi *Celtas* quosdam: „quos *Germanos* vocamus, cum omnem *Celticam* regionem occupaſſent“ effeciſſe, ut ea *Germania* vocaretur. Quod conſiſtere poteſt, etſi veteres *Celtas* *Rheno* concludamus ad littus *Gallicum*, admiſſa nempe *Germaniæ* diviſione in cis- & trans-*Rhenanam* iuxta *Iulium* CÆSAREM, apud quem ipſa *Germaniæ* prima occurrit appellatio, quæ *celtica* lingua militem deſignat, ut ad TACITUM notat ALTHAMMER & WILLICH. *Rhenum* tranſeuntibus *Condruſis*, *Eburonibus*, *Cæraſis*, & *Pæmanis* inditum, id nomen a *Gallis* poſtea ampliſſimæ nationi commune fuit, quæ alio nomine hodieque *Teutonia* vocatur, atque alia adhuc diverſa habuit nomina provinciarum & populorum, ex quibus *Suevi* ſeu *Suabi* inter præcipuos fuerunt, hodieque nominatur provincia, unde primum *Alemanni* prodierunt.

Vid. Caroli le Cointe Annal. eccleſ. Franc. T. I. p. 14.

De bello Gallico lib. IV. c. 16. V. c. 2. VI. c. 2.

Non hic de vocis originatione diſputamus, dum *Alemannos* alii dictos cenſent quaſi *Allerleymannos*, id eſt, homines varios ex variis nimirum *Galliæ Germaniæ*que convenis, alii ab *Allmänn*, *Allmendt*, agris promiſcuis. Sed cum hoc commune fuerit *Germaniæ* populis, ſingularem huius appellationis rationem licet deprehendere in agris illis, quos *decumates* memorat TACITUS, relictos a *Marcomannis* aliquamdiu vacuos manſiſſe, a) donec *leviſſimus quisque* ex *Gallis Rhenum* tranſeuntibus paullatim ibi figeret ſedem, novusque inde populus ac civitas naſceretur. Vallo fuerunt *Rhenum* inter & *Danubium* ex parte ſaltem (*Marcomanni* enim latius

a) Vid. *Ioan.* IHRE Gloſſar. *Suiogoth.* *Ioan.* SCHILTERI Theſaur. antiq. *Teutonicarum*, v. *Allmänning*, *Almende*.

Digitized by Google

latius diffuſi fuerunt) concluſi agri iſti, a *Romanis*, cuius accolæ verſus Orientem & Septentrionem *Nicrum* inter & *Mœnum* fuerunt *Alemanni*, qui ſucceſſu temporum non ſolum vallum diſruperunt, verum etiam *Rheni* occuparunt littus *Gallicum* in *Helvetia* ac *Alſatia*: illud ſæc. IV. hoc V. effectum iverunt, ac late ſuos prorogarunt fines, ab ortu quidem uſque *Boiariam* ad *Licum*, ſeu *Lechum* fluvium; „Is (ut ait Eginhartus in Caroli M. Vita, *Boiarios* ab *Alemannis* dividit,“ a Meridie *Rhætos*, ſeu *Rhæticas* alpes, a Septentrione *Thuringos* & *Francos*, ad Occiduum *Rheni* defluxum in *Palatinatu* cis-*Rhenum*, & in *Alſatia* trans-*Rhenum* attigerunt. Nec iſtis ſemper contenti limitibus, propagarunt ultra, Orientem præcipue verſus contra *Romanos*, & poſtea contra *Francos* ad Occidentem ac Septentrionem; *Suevorum* tum abſorpto nomine, quo veniunt populi *Germaniæ cis-Rhenanæ* tractum inſidentes, qui ad dextram *Rheni* partem, *Rheni* ſuperioris ripam, ad *Mœni Rheni*que confluxum, & infra, in Orientem autem ad *Albim* uſque & ultra extendebatur, iuxta Strabonem, qui cæteris hic accuratior habetur. Aliis ſpeciatim ſtrictiorique ſignificatu *Rheno* viciniores dicti ſunt *Suevi*, *Alemanni* autem ultra *Rhenum* ſe ad alpes uſque porrigunt. a) a

II. Cum nomine *Alemannico* reſpublica *Alemannorum* paullatim excrevit, rebus *Romanis* collabentibus, quæ ſi integræ fuiſſent, facilius cum dominatu *Romano* eccleſia fuiſſet propagata. Teſtatur Lactantius *de Morte perſecutorum* c. 2. diſcipulos Domini per annos XXV. uſque ad principatum *Neroniani* imperii per omnes provincias & civitates eccleſiæ fundamenta ieciſſe. Propior in has partes ex *Italia* fuit via, atque ex ipſa urbe *Roma*, unde fidei chriſtianæ per Occidentem ſemina undique ſparſa eſſe, ſemper maxime gloriabatur eccleſia *Romana*, Petri ſedes, ut confidenter ſcribat Innocentius I. ad Eugubinum, in omnem *Italiam*, *Gallias*, *Hiſpanias*, *Africam* atque *Siciliam*, inſulasque interiacentes, nullum hominem inſtituiſſe eccleſias, niſi eos, quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes.

Lux chriſtianæ religionis in Alemannia ex Italia.

Nihil

a) „Quæcunque regiones (inquit Goldastus in dedicatione ad *Ioan.* Schwichardum, archiepiſcopum *Moguntinum*, præfixa Rer. *Alemannicorum* ſcriptor.) ab utróque *Rheni* latere alpibus includuntur, ab ortu eius uſque ad *Rauracos* comprehenſis ad *Acronii* dextram *Alpigovia*, & in *Rheni* defluxu continentibus terris, qua parte ſeſe *Brisgovia* extendit ac finit: ad ſiniſtram vero pleraque *Helvetia* & bona *Burgundiæ* parte Et hæc eſt vera illa ac vetus *Alemannia*, a *Francis* poſt victoribus in provinciam redacta, in ducatusque honorem conſtituta.

Nihil hic nec de *Germania* quidem, cuius tempore INNOCENTII ſpectabilis erat *Alemannorum* populus, ac ampla provincia, quæ ſe ex ſervitute *Romana* vindicabat. Quod ipſum tamen acceſſum evangelii impediebat, illis potiſſimum temporibus, quibus iam ſacris chriſtianis addicti erant *Romani* principes, cum antea adhuc infenſiſſimis illis licet Chriſtianorum hoſtibus ac perſecutoribus, nihilominus cum *Romanis* coloniis etiam chriſtianæ procedebant, quales apud nos erant inſignes *Auguſta Rauracorum* & *Vindelicorum*, illa ad *Rhenum*, hæc prope *Danubium*, *Vindelicia* cum *Rhætia* in *Romanam* provinciam redacta, diuque ad ſæculum IV. uſque *Romanis* agros decumates cis-*Rhenum* ad *Nicrum* uſque occupantibus. Mox eluceſcet, quo id cum incremento fidei chriſtianæ fuerit factum. Omnis quidem iugi impatientes *Alemanni*, belli tamen ac pacis habebant cum *Romanis* negotia; ac *Germaniæ* etiam liberæ cum *Romana* mutua fuerunt commercia, unde plantandæ eccleſiæ occaſiones ſe dabant, ardorque ſummus ac ſtudium præconum evangelii ad hoc aliunde ferebat, ut nullam nationem, barbaram quantumvis, reformidarent, nullum iter ad diſſitas quamvis gentes, nullumque periculum refugerent. *Alemanniæ* ſaltem trans-*Rhenanæ Romanis* obnoxiæ lux *Evangelii* facilius affulgebat.

Hic ego nihil dicam de incertis Apoſtolorum, virorumque apoſtolicorum miſſionibus has in plagas, LUCII præſertim, qui rex etiam miſſionarius dicitur a B. TIMOTHEO ad fidem converſus, quem *Rhætia* ac *Curia* præſertim *Rhætorum*, veterrima eccleſia alpibus incumbens, ac *Alemanniæ* meridionali, venditat. Dolendum eſt, quo magis in *Romano* imperio chriſtiana religio invaleſceret, ipſis ſeſe iugo Chriſti ſubdentibus imperatoribus, *Alemannos* hoſtilem maxime geſſiſſe animum, armisque infeſtaſſe *Romanas* provincias. Ut melior eſſe potuerit *Marcomannorum*, primorum incolarum ſors, quorum ducem ſeſe populumque *Romanis* tradidiſſe prodit PAULINUS in Vita S. AMBROSII, qui *Bohemiam* tunc uſque ad *Danubium* tenebat, ferturque eius uxorem FRITIGIL fama S. AMBROSII accitam, ab eo per epiſtolam accepiſſe fidei noſtræ principia. Hæc tantum refero, ut innuam melius veræ ſuæ felicitati ac ſaluti conſulturos fuiſſe *Alemannos*, ſi pacem ſaltem cum *Romanis* tunc coluiſſent, quando chriſtiana fuerunt imbuti fide, quæ cum ipſo fuit propagata imperio, quod apud nos ex *Italia*, ipſaque urbe *Roma* potiſſimum fieri potuiſſet.

Ex Illyrico & Norico.

III. Conſtans eſt traditio, S. MARCUM *Aquileiam* a S. PETRO eſſe miſſum. Qua de re quidquid ſit, antiquiſſima eſt *Aquileiæ* eccleſia ad *Italiæ* & *Illyrici* occidentalis collimitia, ne quid de orientali dicam, quo certe ipſe D. PAULUS pertigit, ac fidem intulit, quæ magis ſucceſſu temporis,

magisque

magisque propagata per univerſum *Illyricum* fuit, etiam occidentalem. *Laureacenſis* epiſcopus, auctoritate *Sirmienſis* extincta, metropolitanus factus creditur Carolo a S. Paulo *Geogr. S.* p. 72. *Laureacum* tamen metropolis *Pannoniarum*, & *Norici* eſſe potuit ſalvo iure *Sirmienſis*, ac etiam *Aquileienſis* eccleſiæ. Fuit hæc urbs primaria *Norici Ripenſis*, regionis admodum inſignis, ad *Danubii* & *Anaſi* confluentem, ſita in ampla camporum planitie, ubi nunc *Anaſiorum* oppidum vulgo dictum *Ens*. Illicque ferunt B. Laurentium, virum litteris & pietate inſignem, primum apoſtolum adveniſſe; ſed quis fuerit, & quando vixerit incertum eſt, perinde ac id, quod fertur de apoſtolatu S. Hermagoræ, epiſcopi *Aquileienſis*, & Fortunati, ut oſtendit P. *Hieronymus* Pezius differt. IV. ſcriptoribus rerum *Auſtriacarum* præmiſſa, *de iis, qui chriſtianam religionem primum in has oras importarunt, aut importatam ſtudioſius propagarunt*, ſolosque Syrum & Iuventium, ambos epiſcopos *Ticinenſes*, ſeu *Papienſes Laureaci*, reliquique *Ripenſis Norici* apoſtolos extitiſſe vult: hos nempe plantaſſe, S. Maximilianum archiepiſcopum *Laureacenſem*, rigaſſe. Quidquid ſit, quod eccleſiam *Laureacenſem* Symmachus P. in lit. ad Theodorum *Laureacenſem* metropolitam ab Apoſtolis fundatam ſcribit, atque Agapetus II. ſæc. X. idem teſtatur. Alia præter hæc apud Lambecium lib. II. c. 8. *Bibl. cæſar.* habentur de ea eccleſia, quæ dudum concidit, metropolitica poteſtate in *Salisburgenſem* eccleſiam translata, epiſcopatu cum *Paſſavienſi*, ſeu *Petavienſi* coniuncto, ubi celeberrimus fuit Victorinus epiſcopus & martyr ineunte ſæculo IV. quo tempore, teſte Eusebio de martyribus *Palæſtinis*, *varia omnis generis certamina eorum, qui pro pietate fortiter pugnaverunt, innumerabiles in ſingulis provinciis martyres præſtiterunt: in Lybia ſcilicet, & per univerſam Ægyptum ac Syriam, omnesque provincias, quæ ab Oriente uſque ad tractum Illyrici quaquaverſum protenduntur*.

De aliis in his plagis martyribus agit Velserus lib. III. Rer. *Boicarum*, de quibus non aperta adeo habentur documenta, atque ipſum hunc Victorinum etiam *Pictavia*, noſtra demum ætate, ſibi vindicare contendit errore MSS. catalogi de viris illuſtribus S. Hieronymi, ac etiam vulgati decreti *Gelaſiani*, ubi inter apocrypha opuſcula locum obtinet opus Victorini *Pictabienſis*, vel potius *Petabionenſis*, ut in antiquiſſimo *Palatino-Vaticanæ* bibliothecæ codice mſc. legitur apud Fontaninum de antiquitatibus *Hortæ Coloniæ Etruſcorum*. Qui hæc notat: „Victorinus optime dicitur *Petabionenſis*, non *Pictabienſis*, aut *Pictavienſis*, ut in vulgatis. *Petabio* ſeu *Petavio* fuit urbs epiſcopalis in *Pannonia* prima, quæ hodie *Stiria* vocatur. Quare noſter codex firmat ea, quæ *Ioannes* Launoius

T. II. P. II. p. 634. & ſeqq. ed. Coloniæ Allobrogum 1731.

NOIUS peculiari ſcripto aſſeruit, contra *Pictavienſes* VICTORINUM ſibi adiudicantes.“ Extat ſcriptum iſtud LAUNOII, ubi id multis probat, ex pluribus HIERONYMI locis, in quibus illius meminit iuxta editiones varias, atque *Petavionenſis* ſcribitur, etiam apud SOPHRONIUM, qui librum S. HIERONYMI de Viris illuſtribus *græce* vertit. Ex mſs. item codicibus *Gelaſiani* decreti de ſcripturis authenticis & apocryphis, eiusque editionibus tum inter Concilia, cum in decreto GRATIANI iuxta correctionem *Romanam*, ex variis item martyrologiis, ipſaque hiſtoria: ut dubium nullum reliquerit, eſſe hunc inſignem martyrem, ſeu teſtem chriſtianæ religionis eiusque eccleſiæ florentis in *Pannonia* prima, vel *Norico*, ubi is epiſcopus eccleſiam rexit labente ſæculo III. ac ineunte IV.

Lib. III. Rer. Boicar.

IULIANI imperio *Sabianæ*, quæ inter *Brixentas* in alpibus citra *Bauzanum* ſita, ad *Boicam* olim pertinuit, CASSIANUM epiſcopum docuiſſe proditum eſt, quem *Foro Cornelii* poſtea puerorum ſtilis confoſſum PRUDENTIUS verſibus memoriæ commendavit, ut VELSERUS habet, additque ab ATTILÆ morte, cum in magna rerum converſione & perturbatione *Barbarorum* gliſceret ferocitas & audacia, *Romani* contra ignavia & inertia torperent, omnia plena luctus & terroris eſſent, SEVERINUM multorum monachorum patrem, virum vitæ ſanctimonia excellentem, quam miranda opera ſupra hominis conditionem ab eo edita, & multa priusquam evenirent præcognita atque prædicta comprobarint ex iis regionibus, quæ ad Orientem ſolem vergunt, profectum, *Pannoniæ*, *Norico*, *Rhetiæ* tanquam propitium & ſalutare aliquod ſidus affulſiſſe, ſed præcipue *Norico*, adeo ut *Noricorum* apoſtoli nomen tulerit, quo elogio *Romana* eccleſia illum adhuc proſequitur. a)

a

Ex Gallia.

IV. Quodſi hinc aliqua evangelii lux accendi potuit *Alemanniæ* ab Oriente ad *Danubium*, multo id ſplendidius fuit ab Occidente ac meridionali *Rheni* littore ex vicina *Gallia* apud *Helvetios*, *Rauracos* & *Sequanos*, quæ ab AUGUSTO *Lugdunenſis* dicta: unde ſæc. IV. nova *Galliarum* in XVII. provincias ſecuta diviſione, *Maxima Sequanorum* ex *Sequanis*, *Rauracis*, *Helvetiis*que eſt nata. *Lugdunenſis* coloniæ, paucis ante Chriſtum natum annis, eundem auctorem fuiſſe ac *Rauricæ*, ſeu *Auguſtæ Rauracorum* PLANCUM, ſepulchrale monumentum prodit, quod in promontorio *Caietano* hodieque ſupereſt, ac vulgus *Orlandinam* vocat.

Certiora autem nobis ex antiquis monumentis ſuppetunt monumenta, quod *Lugdunenſem* eccleſiam attinet, quam habeantur de immediata miſſione

a) De S. SEVERINO videatur laudatus PEZIUS. Add. P. HANSIZIUS T. I. *Germ. Sacr.* & P CALLES *Annal. Auſtriæ* P. I.

ſione per S. Petrum aut S. Clementem SS. Eucharii, Valerii & Materni ad *Treviros* & *Colonienſes*, S. Trophimi ad *Arelatenſes*, S. Clementis ad *Viennenſes*, *Moguntinos* & *Metenſes*, S. Mansueti ad *Leucos*, S. Gantini ad *Meldenſes* & *Virdunenſes*, S. Lini ad *Veſuntinos*, S. Memii ad *Catalaunenſes*, S. Sixti ad *Remenſes*, S. Sinici ad *Sueſſionenſes*, S. Martialis ad *Lemovicenſes*, S. Ursini ad *Bituricenſes*, S. Frontonis ad *Petracorienſes*, S. Georgii ad *Vellaunios*, S. Saturnini ad *Toloſanos*, SS. Saviniani & Potentiani ad *Senenſes*, S. Altini ad *Aurelianos*, S. Gatiani ad *Turonenſes*, S. Dionysii ad *Pariſios*, S. Luciani ad *Bellovacenſes*, S. Nicasii ad *Rothomagenſes*, S. Exsuperii ad *Baiocenſes*, S. Taurini ad *Ebroicenſes*, S. Pauli ad *Narbonenſes*, S. Eutropii ad *Sanctonnenſes*, S. Iuliani ad *Cenomanenſes*, S. Austremonii ad *Avernos:* quod nos propius contingit, S. Beati ex *Anglia* reducis diſcipuli S. Petri apud *Helvetios Vindoniſſæ*, ſeu etiam *Vindocini.* Noſtra ætate multum de prima fidei in *Galliis* origine eſt diſceptatum.

Alii Irenæi & Tertulliani teſtimoniis nixi exeunte primo ſæculo, alii vero celebri Sulpicii *Severi* & *Turonenſis* Gregorii auctoritate tertio demum ſæculo enatam putant. Medius inter hos Abbadius ſæculo ſecundo plantatam in *Galliis* eccleſiam contendit, ita, ut intermortuam fere iterum reduxerint ſeptem illi epiſcopi, quorum epocham ex S. Saturnini *Toloſatium* epiſcopi actis ducit Gregorius *Turonenſis* lib. I. *Hiſtor.* cap. 28. Nec vero de primo etiam ſæculo exeunte ſaltem dubitare nos ſinit Irenæi teſtimonium, qui eccleſiarum apud *Celtas* expreſſe meminit: qui *Græcis* ſunt *Galli*, quo ſermone ſcripſit S. Irenæus, unde ex ſua patria ipſe in *Gallias* venit in epiſcopatu & martyrio ſucceſſor Potini, epiſcopi *Lugdunenſis*, ac glorioſi Chriſti, cum aliis, martyris in perſecutione Marci Aurelii labente ſæc. II. De qua Sulpicicius *Severus*: „Sub Aurelio deinde, Antonini filio, perſecutio quinta agitata. Ac tunc „primum intra *Gallias* martyria viſa, ſerius trans alpes Dei religione ſuſcepta.“ Qui eſt ipſe locus vexatus. Sed nihil definit, poteſtque commode accipi de ampliore per *Gallias* fidei chriſtianæ ſemente, frequentioribusque fundatis eccleſiis, de quibus extat inſigne S. Cypriani epiſcopi *Carthaginenſis* ad S. Stephanum P. epiſtola data an. 256. de Marciano epiſcopo *Arelatenſi*, qui ad Novatianum defecerat, in ordinem redigendo. „Quapropter (inter illa ſcribit) facere te oportet & pleniſſimas „litteras ad coepiſcopos noſtros in *Galliis* conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum, & divinæ pietatis inimicum collegio noſtro inſultare patiantur &c.“ Quæ verba non naſcentem modo eccleſiam deſignant, a paucis ſcilicet annis medio tertio ſæculo, uti cum nonnullis

Hiſt. Sac. Lib. II.

contendit

contendit LAUNOIUS, nulliſque firmis rationibus epiſtolam hanc S. CYPRIANO abiudicat, una cum libello epiſcoporum provinciæ ad LEONEM, in quo ad S. TROPHIMUM, qui fuit S. PAULI diſcipulus, refertur prima evangelii prædicatio, pariter ac in epiſtola ZOSIMI P. ad *Galliæ* epiſcopos, quam perinde explodit LAUNOIUS, uti etiam, quæ paſſim de S. CRESCENTE ex S. PAULO huc veteres interpretantur, *Galatiam* accipientes pro *Gallia*, S. EPIPHANIUS *Hær.* 55 (qui etiam S. LUCAM apoſtolum in *Gallia* facit) THEODORETUS in cap. IV. epiſt. ad TIM. ubi de *Galatia* expreſſe dicit, *Gallias enim ſic appellavit.* Ne quid de dubiis magis locis apud EUSEBIUM, HIERONYMUM & SOPHRONIUM, eius *græcum* interpretem dicam.

Illud ſi aſſertum eſſet, propius ea res nos tangeret, quum ſibi *Moguntia* CRESCENTEM adſcripſerit ad *Mœnum*, *Alemanniæ* limitem, perinde ac S. MATERNUM non *Treviri* ſolum & *Colonienſes*, ſed *Spirenſes* etiam, *Vormatienſes*, *Argentoratenſes*, ut quidem credebatur a S. PETRO ſubmiſſum: qui veriſimilius eſt *Colonienſis* epiſcopus, a CONSTANTINO M. in cauſa *Donatiſtarum* conſtitutus cum aliis iudex. Sed ut incerta relinquamus, cum ex ſupradictis palam ſit, *Lugdunenſem Galliam*, ac poſtea *Maximam Sequanorum*, *Sequanos* cum *Rauracis* & *Helvetiis* comprehendiſſe, quæ aſſertiora habentur ex ſæculo II. de *Galliarum* eccleſiis documenta, ad nos propius pertinere, nemo facile in dubium revocet, ſub POTHINO ac
Hiſt. lib. V. cap. 22. Ed. Holſt. p. 137. IRENÆO præſertim, qui, teſte EUSEBIO, *Galliarum* rexit eccleſias. (Τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει) „Ibi enim (inquit CAROLUS a S. PAULO in *Geographia ſacra*) per *Gallias Celticam*, ſeu *Lugdunenſem* intelligendam eſſe, quæ proprie *Gallia* dicebatur, ſicut & *Celtæ* proprie *Galli*, ex IULIO CÆSARE diſcitur, dum ait: *Gallia eſt omnis diviſa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur.*"

Hinc vero apoſtolicæ eccleſiarum in his tractibus origines comprobantur, inde a POLYCARPO, S. IOANNIS diſcipulo, a quo quidem etiam BENIGNUS, ANDOCHIUS, TYRSUS, & ANDEOLUS in *Gallias* miſſi leguntur, *Maſſilia* appulſi, inde *Lugdunum* profecti, ab ANDEOLO diviſi *Auguſtodunum* uſque pervenerunt. S. POLYCARPI vero diſcipulum ipſe ſe S. IRENÆUS prodit in epiſtola ad FLORINUM his verbis: „POLYCARPUS non ſolum ab „Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis, qui Dominum „noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in *Aſia*, in ea, quæ eſt *Smyrnis* eccleſia conſtitutus epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra „ætate (multum enim vixit) hæc docuit ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat &c." S. IRENÆUS, S. POTHINI ſucceſſor, in *Lugdunenſi* eccleſia *admirabili virtute enituit* (ſunt GREGORII *Turonenſis* verba) *qui in modici temporis ſpacio, prædicatione ſua maxime, in integro civitatem reddidit chriſtianam.*

Quem-

Quemadmodum vero inde in reliquas *Gallias*, ita etiam in vicinam hanc noſtram plagam, quæ poſtea *Alemanniæ* pars fuit trans-*Rhenana*, fidem paullatim diſſeminatam prima hac ætate veroſimillimum eſt, cum ſæculo IV. *Gallos* etiam unacum aliis gentibus nominare potuerit S. CYRILLUS *Hieroſol.* deſignareque *cuiusque gentis epiſcopos, presbyteros, diaconos, monachos, virgines, & reliquos laicos.* (*Catech. XVI. n. 22.*) Cumque *Auguſta Rauracorum* præſertim parium cum *Lugduno* nobilium fuerit natalium *Colonia Romana*, cuius hodieque tam auguſta ſuperſunt rudera, credibile quam maxime eſt, tum S. IRENÆUM, *Galliæ* parochiarum rectorem, huc ſtudium ſuum, curamque, ac deinceps alios eius exemplo impendiſſe. Quod etiam de propinqua ſuperiore *Alſatia Dan.* SCHOEPFLINUS probatum habet in *Alſatia illuſtrata.* a) (*T. I. p. 343. a.*)

V. Iſthæc religionis chriſtianæ incrementa ſævitiam perſecutorum incitaverunt. (**Primum forte in noſtris ſaltibus.**) Unde quando quintam ſub AURELIO, ANTONINI filio, perſecutionem agitatam notat SULPITIUS, tum primum intra *Gallias* martyria viſa dicit. Facile autem ſic contigit, dum efflorescentes primum eccleſiæ perſæpe conciderunt, ac lente ſurrexerunt, ut vetuſtus auctor Actorum S. SATURNINI, Epiſcopi & M. apud RUINARTUM ſcribit, ſenſim & gradatim in regionibus noſtris, apoſtolorum prædicationem coruſcaſſe, & (*Act. Mart. ſincera pag. 110.*) ante DECII & GRATI conſulatum raras in aliquibus civitatibus eccleſias paucorum Chriſtianorum devotione conſurrexiſſe; ſed nihilominus crebra miſerabili errore gentilium nidoribus fœtidis in omnibus locis templa fumaſſe. Pertinent hæc ad medium ſæculum tertium, quo dira, ſi unquam alia ſæviit perſecutio, atque iterum viſa ſunt in *Galliis* martyria. Tardius autem adhuc in *Germania*, ubi nulla firmis rationibus ante perſecutionem *Diocletianam* ponuntur. Iſtiusmodi graviſſimis temporibus perſecutionum,

a) „Chriſtianam (inquit) doctrinam *Roma Lugdunum, Lugduno, Galliæ Lugdunenſis* capite, in *Alſatiam* ſuperiorem, quæ *Galliæ Lugdunenſis* pars fuit, promanaſſe, rerum humanarum progreſſibus plane conforme eſt. Imperiorum & regnorum principes urbes minoribus leges, mores, ritus, conſuetudines, & cum his plerumque religionem transmittunt. Urbs urbem, unde ſemina religionis accepit, matrem venerata eſt. Quodſi autem ulla *Galliæ* civitas de Chriſtianiſmi principiis potuit gloriari, potuit ſane *Lugdunum*; cui religionis chriſtianæ per *Lugdunenſem Galliam* ſæculo II. promotores acerrimi POTHINUS nempe atque IRENÆUS præfuerunt; quorum uterque in illa urbe cum multis Chriſtianorum millibus martyrium paſſus eſt. Prodiit hinc paſtoralis illa eccleſiæ *Lugdunenſis* in omnem *Galliam Lugdunenſem* auctoritas, qua minores eccleſiæ ſub ea vigentes, ab urbe hac matre paſtores ſuos ſtatos aliæ, presbyteros nempe & diaconos, aliæ regionarios, certo loco non affixos, quos Chorepiſcopos appellant, petierunt, acceperuntque, quantum nempe turbidus rei chriſtianæ ſub tot perſecutionibus gementis ſtatus permiſit."

num, uti etiam alibi contigit, abdidiſſe ſe in ſaltus ac ſilvas hinc inde Chriſtianos turmatium, aut etiam ſolitarios quorundam eſt ſententia, unde ſucceſſu temporum cœtus monaſtici coaluerint.

Qua de re, quidquid ſit, accidere forte potuit, ut ex primis Chriſtianis, ingruentibus perſecutionibus, traiecto *Rheno* hos ſaltus peterent trans-*Rhenani Alemanni*, commercio cum *Romanis* citius promtiusque fide imbuti, aut ipſi *Galli*, edocti id iam maiorum ſuorum exemplo, apud quos Livio memoratur *Sigoveſiana* commigratio dudum ante Chriſtum natum: *Tum*, inquit, *Sigoveſo ſortibus dati Hercinii ſaltus.* Iuxta Cæsarem lib. VI. *de Bello Gallico* cap. 25. Hercinia ſilva *oritur ab Helvetiorum*, & *Nemetum*, & *Rauracorum finibus.* Quo pertinet, quod de Druso ſub Augusto, Florus narrat, *Rheno* pontes claſſibus firmatos impoſuiſſe, *Herciniam*que ſilvam *Romanis* inacceſſam hactenus, imo ne viſam quidem perviam reddidiſſe. Quod prope ortum huius ſilvæ fieri debuit, quo *Alemanniam* attingit, *rectaque fluminis Danubii regione*, iuxta mox citatum Cæsarem, *pertinet ad fines Dacorum*, & *Anartium; hinc ſe flectit ſiniſtrorſus*, *diverſis a flumine regionibus*, *multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit.* Ad *Danubii* fontes mons *Abnoba* eſt ſilvæ *Martianæ* pars, per quam Iulianus *Apoſtata* a *Rauracis Danubii* fluminis ripas legens, *Illyricum* contra Constantium petiit. Cuius itineris S. Gregorius *Nazianz.* in Iulianum *Invect. I.* meminit, & Amianus. Medium hæc ſilva *Marciana* tenet *Alemanniæ* locum, qui percommodus adeo eſt mihi in eius intimis receſſibus habitanti de liturgia veteri *Alemannica* ſcribere, ubi forte prima latuerunt religionis chriſtianæ ſemina, eſtque *D. Blaſii* monaſterium, olim cella, ac fratres ad *Albam*, ab alpibus quidem: unde forte etiam *Albani* promiſcue etiam ſunt dicti *Alemanni*, ut videre eſt apud *Georgium* Wachter.

Lib. IV. cap. 34. — *Lib. IV. cap. 12.* — *L. XXI. c. 8.* — *Theſ. Rer. Suevic. V. I. p. 14.*

Teſtimonia ſæculi I.

VI. Sed ad propoſitum redeamus, atque ab ovo rem ordiamur in ipſa noſtra hærentes *Alemannia*, indagare primam fidei originem, poſtquam iam vidimus, quæ ei aliunde lux advenire potuiſſet. *Herm.* Conringius eam verſans quæſtionem, an apoſtoli, vel viri apoſtolici prædicarint evangelium in *Germania*, illudque Pauli primum tractans, dum de apoſtolis ſumit, quod in pſalmo habetur: *In omnem terram exivit ſonus eorum*, & *in fines orbis terræ verba eorum.* „Et vero (ſubdit) *Germanicas* ſaltem illas terras, quæ *Romanis* fuerunt ſubditæ, nec ab *Italia* ita „longe remotæ, ab apoſtolis præteritas eſſe, haud videtur veriſimile.“ Id quod non ſolum de trans-*Rhenana*, ſed etiam cis-*Rhenana Alemanniæ* plaga dici poteſt agrorum decumatium vallo clauſorum, quatenus ad *Romanam*

De Conſtit. epiſc. Germ. Exercit. 7. — *Rom. X. 18.*

manam ditionem pertinuerunt, patuitque hinc trans-*Rhenum* ſaltem publica via per *Brigantium*, *Felicem arborem*, *Fines*, *Vitodurum*, *Vindoniſſam*, *Auguſtam Rauracorum*, *Argentoratum*, *Treviros* inter primarias *Romani* imperii urbes, ac poſtea etiam frequens Cæſarum domicilium. Propior adhuc eſt *Moguntia* ad ipſos fines veteris *Alemanniæ*, ſed nihil hinc pro *Alemannia* elicitur, cum de ipſis ſuis apoſtolis primis nihil aſſerti habeat univerſim, ut vidimus, circumiecta *Germania*, quam quidem THEODORETUS lib. IX. *de curandis Grecanicis affection.* inter gentes ab apoſtolis converſas recenſet cum *Britannis*; atque nominatim auctor ſub nomine DOROTHEI *Tyri* epiſcopi in ſynopſi de vitis apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum, THOMAM apoſtolum *Germanis*, *Hircanis*, *Bactris*, & magis prædicaſſe perhibet. Haud infelici vero coniectura CONRINGIUS pro *Germanis*, *Caramannis* legendum putat, atque citatum PAULI locum ſecundum αὔξησιν, ſacris quoque ſcriptoribus ex vulgari loquendi conſuetudine familiarem ſumendum vult, quo etiam referri poteſt S. IGNATII ex primo hoc ſæculo locus in epiſt. ad PHILADELPH. quo dicit: *Eccleſiam in ſanguine Chriſti a finibus ad fines ab apoſtolis fundatam.* Nihil itaque ex hoc tempore aſſerti habemus. *Loc. cit.*

VII. Conſimilis eſt ſæculi II. circa annum 140. locus S. IUSTINI M. in dialogo cum TRYPHONE: „Sunt quædam gentes, ubi nondum veſtri „corporis quiſquam habitat, atque ne unum quidem genus eſt mortalium, „ſive *Barbarorum*, ſive *Græcorum*, ſive aliorum omnino, quocunque „appellentur nomine, inter quos per nomen Crucifixi IESU ſupplicatio„nes & gratiarum actiones Patri & fabricatori omnium non fiant?" Agit S. Martyr cum docto *Iudæo*, quæ gens tunc ſparſa per orbem erat, potuiſſetque retundere iactantiam, ſi in confeſſo non fuiſſet, quod fuerat de eccleſiis dictum apud quasvis gentes; ſed tamen nihil ſingillatim prodit locus, potueruntque eſſe conatus non ſatis proſpere ſuccedentes vel firmi. Potuerunt etiam in exordio prædicationis evangelicæ inſtitui Chriſtianorum eccleſiæ, quando nulla erant contra eos edicta ac perſecutiones; at his ingruentibus, ac in paſtores ſævientibus, in quorum locum non ſtatim alii ſubſtitui poterant, eccleſiæ ſunt diſſipatæ, ac everſæ. Exempla tamen habemus eiusmodi vaſtationes, aut non ex toto prævaluiſſe, aut diu non duraſſe. Proprior nobis eſt *Lugdunenſis* dira ſub M. AURELIO perſecutio tanta immanitate, ut ſanguinem martyrum plateas urbis inundaſſe, ac cives fere omnes martyrii palmam fuiſſe adeptos, GREGORIUS *Turonenſis* aſſerat. *Sæculi II.*

Fuit tamen Irenæus, illius urbis epiſcopus poſtea, ac etiam rector *Gallicarum* eccleſiarum, ut iam ex Eusebio meminimus. Qui nobis luculentum adeo reliquit teſtimonium de eccleſiis non ſolum *Galliarum*, ſed *Germaniarum* etiam ſuo tempore circa annum 190. cum M. Aurelii perſecutio *Gallica* ad annum 177. reponatur. „Quanquam enim (inquit) diſpares inter ſe mundi linguæ ſunt, una tamen & eadem eſt traditionis „vis. Ac neque hæ, quæ in *Germaniis* ſitæ ſunt, eccleſiæ aliter credunt, „aut aliter tradunt, neque quæ in *Hiſpaniis* aut *Galliis*, aut in Oriente, „aut in *Ægypto*, aut in *Africa*, aut in mediterraneis orbis regionibus ſe„dem habent.“ Primas nominat, quæ ſunt in *Germaniis* eccleſiæ, αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρύμεναι ἐκκλησίαι, ac in plurali numero vocat cis-*Rhenanam* ac trans-*Rhenanam*, vel utramque provinciam, vel trans-*Rhenanam* potius ab Augusto in duas provincias diſtinctam, quibus propinquus Irenæus erat ea ipſa ex parte, quæ poſtea *Alemannia* fuit: ne quis forte veterem verſionem *latinam* ſecutus (poſtquam noſtris temporibus in noviſſima editione Massueti ex *græcis* codicibus reſtitutus eſt locus) ſolam magnam cis-*Rhenanam* indigitari putet, quem errorem in Bucherio notat Schoepflinus in *Alſatia illuſtrata*, ſubditque: „*Germaniam* trans-*Rhenanam* (quæ nobis ultra-*Rhenanis* cis-*Rhenana* eſt) veteres, ſive *græce*, ſive *latine* ſcribentes deſignare quum volunt, plurium numero nunquam, ſingulari ſemper utuntur. Ubi autem de *Germanis* ſermo, duas cis-*Rhenum Germaniæ* provincias ab Augusto Cæſare inſtitutas, & *Germaniarum* nomine appellatas intelligunt. Irenæus inter *Romanos Lugduni* vivens, *Romanorum* more & ſtylo loqui credendus eſt. Teſtimonium eius de Chriſtianiſmo in *Germaniis* cis-*Rhenum* ſæculo II. iam invaleſcente, eo gravius eſt, quod *Lugdunenſis Gallia*, cui ipſe præerat epiſcopus, illis erat contigua. Nec abſonum credere, certis diœceſium eccleſiaſticarum limitibus nondum conſtitutis, eccleſias *Rhenenſes* in fide chriſtiana miniſtris & paſtoribus ab Irenæo miſſis roboratas in fide.“ Citat in eam ſententiam præter complures recentiores *Beatum* Rhenanum, licet adhuc uſum illa verſione. Satis enim perſpexit vir acutus, id de trans-*Rhenana Germania* multo magis intelligi poſſe, quod propior eſſet religionis chriſtianæ ſcaturigini, ac *Romana* provincia cum contigua cis-*Rhenana*, additque rationem aliam: *Provinciales prius amplexi ſunt Chriſtum, utputa civiliores, & linguam callentes Romanam, qua divini verbi præcones utebantur.*

Lib. I. contra hæreſ. c. 10.

T. I. p. 328.

Rer. Germ. T. II. p. 264.

Quin id etiam facile admiſerim, quod porro laudatus obſervat Schoepflinus, credibile haud eſſe, primis his temporibus Chriſtianiſmum in *Germania magna* magnos feciſſe progreſſus, tum propter horridam in-

teriorum

teriorum *Germanorum* barbariem, tum etiam propter animos ipſorum ſuperſtitionis inveteratæ tenaciſſimos. Ac licet non niſi mediocris Chriſtianorum cœtus apud *Germanos* etiam trans-*Rhenum* eſſe potuerit, cœtum tamen cum paſtore fuiſſe neceſſe eſt, cum eccleſias IRENÆUS appellet. Eccleſia quidem hic intelligitur cœtus inter gentiles hoſtes & perſecutores, templis & ædibus publicis carens.

Ipſi vero *Germani* liberi a *Romano* imperio, aut ſeſe in libertatem vindicandi ſtudioſi plurimum etiam lumen fidei, ne ſibi accenderetur obſiſtebant, quod alii vel ab ipſis militibus *Romanis* largius accipere poterant, quos inter ſparſi Chriſtiani (ut TERTULLIANUS de *Corona militum* iam de TRAIANI & HADRIANI temporibus teſtatur) erant, atque variæ præſertim in *Rheni, Nicri,* ad vallum, & *Danubii* limitibus conſiſtebant diſcurſabantque legiones, quas inter legio illa fulminatrix ſub M. AURELIO ad *Danubium* excubans, Chriſtianorumque in illa militantium precibus obtentum imbrem ac reportatam de *Marcomannis* victoriam adſcribit TERTULLIANUS auctoritate etiam ipſius imperatoris. „Edimus (inquit) protectorem, ſi litteræ *Marci* AURELII graviſſimi imperatoris requirantur, quibus illam *Germanicam* ſitim Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur.“ Contigiſſe hoc debuit aliquot annis ante *Lugdunenſem* Chriſtianorum ſub eodem M. AURELIO perſecutionem: quod difficultatem apud multos movit, de edicto eiusdem imperatoris pro Chriſtianis, quod TERTULLIANUS innuit. Sed forte proconſulum ac ſævæ plebis furor eius crudelitatis potius cauſa fuit, aut beneficii facilis oblivio. Certe TERTULLIANUS palam hoc obiicere, quomodo in apologetico potuiſſet, niſi in propatulo res fuiſſet, extitiſſentque imperatoris litteræ, etſi an, quæ ad calcem *Apol. II.* S. IUSTINI adiiciuntur, genuinæ illæ ſint, merito dubitetur. *Apolog. c. 5.*

VIII. Idem TERTULLIANUS de ſua ætate, ineunte ſæculo III. contra *Iudæos* agens, inſigne de regnante iam veluti in *Germania* fide Chriſti teſtimonium reliquit. „Et cæteræ (inquit) gentes etiam *Getulorum* varietates, & *Maurorum* multi fines, *Hiſpaniarum* omnes termini, & *Galliarum* diverſæ nationes, & *Britannorum* inacceſſa *Romanis* loca Chriſto vero ſubdita, & *Sarmatarum*, & *Dacorum*, & *Germanorum*, & *Scytharum* & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus, in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui iam venit, regnat?“ Situs *Germanorum* inter *Dacos* & *Scythas* cis-*Rhenanæ Germaniæ* congruit, ſed vix crediderim ita accurate hæc TERTULLIANUM eſſe commenſum; licet aliunde conſtet et- Sæculi III.

iam in cis-*Rhenana Germania* eaque parte, quæ *Alemannia* dicitur, Chriſtianos extitiſſe, quod ARNOBIUS maniſeſte habet lib. I. adverſus gentes. „Si (inquit) *Alamannos*, *Perſas*, *Scythas*, idcirco voluerunt devinci, quod habitarent & degerent in eorum gentibus Chriſtiani; quemadmodum *Romanis* tribuere victoriam cum habitarent & degerent in eorum quoque gentibus Chriſtiani? Si in *Aſia*, *Syria* idcirco mures & locuſtas effervefcere prodigialiter voluerunt, quod ratione conſimili habitarent in eorum gentibus Chriſtiani, in *Hiſpania*, *Gallia* cur eodem tempore horum nihil natum eſt, cum innumeri in his quoque provinciis Chriſtiani?" *Alemannos* aperte deſignat cum *Romanis* belligerantes, quod cis-*Rhenani* tunc fecerunt in *Germania* magna, quam etiam ante nominaverat: „Nam (inquit) quod nobis obiectare conſueviſtis bellorum frequentium cauſas, vaſtationes urbium, *Germanorum* & *Scythicas* irruptiones cum pace hoc veſtra, & cum bona venia dixerim &c."

T. III. Bibl. PP. p. 432.

Alemannos quod ſpectat, provocati illi ab *Anton.* CARACALLA, ineunte ſæc. III. ignoti ad eam diem nominis populi, nihil tunc hoſtile veriti, quin auxilia etiam in ſuos hoſtes a *Romanis* præſtolati, a CARACALLA inſidioſo Marte ſunt petiti. Qui poſtea ſub *Severi* ALEXANDRI finem, dum bellum *Perſicum* ſuſcipit, provincias *Romanas* ad *Rhenum* & *Danubium* ſuo Marte infeſtarunt, atque exercitus utriusque fluvii ripis inſidentes oppugnant, ut HERODIANUS narrat, *Germanos* appellans, *Alemannico* nomine *Romanis* adhuc minus uſitato; quos tamen deſignat, dum *Rhenum*, *Danubium*que a *Germanis* ſuperatum memorat, idemque ſub VALERIANO & GALLIENO primum *Galliam* vaſtantes, poſtea cum *Iuthungis* & *Marcomannis* AURELIANO imperatore, etſi prius ab ipſo fuſi, in *Italiam* tranſierunt, ipſa *Roma* tum trepidante. Habuerunt tunc ſuos reges *Alemanni*, qualem CHROCUM nominat imperantibus *Romæ* VALERIANO & GALLIENO GREGORIUS *Turonenſis*, atque incertus auctor apud RHENANUM & VELSERUM in panegyrico MAXIMIANI Auguſti, quem DIOCLETIANUS collegam aſſumpſerat, victoriam deprædicans de *Alemannis*: „Captus ſcilicet (inquit) rex ferociſſimæ nationis inter ipſas quas moliebatur inſidias & a ponte *Rheni* (*Moguntiacenſi*) uſque ad *Danubii* tranſitum *Guntienſem* devaſtata atque exhauſta penitus *Alemannia*." At *Alemanni*, quos *ſine fine vel modo rem Romanam inrequietis motibus confundentes* vocat AMIANUS, *Immanis*, ut pergit, *natio iam inde ab incunabulis primis varietate caſuum imminuta, ita ſæpius adoleſcit, ut fuiſſe longis ſæculis æſtimetur intacta*.

Lib. VI. cap. 15.

Lib. I. Hiſt. cap. 30. 32.
Lib. III. Rer. Germ.
Lib. VII. Rer. Aug. Vind.

Lib. 27.

Tametſi vero *Alemanni*, ſuarum tenaces ſuperſtitionum, non ſolum a gentili cultu & falſa religione non abſcederent, verum etiam expeditionibus

tionibus continuis in *Rhætiam* & *Gallias* ſuſceptis ſacra Chriſtiana ſiſterent; ne quid tamen dicam, quod in ſaltibus ſuis ac ſilvis ſub DIOCLETIANI maxime ac MAXIMIANI perſecutionibus latibula Chriſtianorum traduntur, receſſusque vitam ſolitariam degentium, etiam martyria memorantur, inter alios S. PELAGII *Conſtantiæ*, quæ in martyrologio *Romano* BARONII *in Gallia* dicitur, quod noſtræ etiam convenit, ad litus *Gallicum* ſitæ; at in martyrologio NOTKERI *S. Galli* monachi, quod monaſterium *Alemanicum Conſtantiæ* eſt propinquum, *Emmoniæ*, quæ eſt civitas provinciæ *Carniæ* paſſus dicitur. Celebre circa hæc tempora eſt *Thebeæ* Legionis S. MAURICII cum ſociis martyrium *Agauni*, ut tamen, militibus diſperſis, martyrii palmam adepti a S. EUCHERIO *Lugdunenſi* epiſcopo ferantur ex ea legione *Solodori* SS. URSUS & VICTOR, *Tiguri* S. FELIX cum ſorore REGULA, *Zurzachii* S. VERENA celebratur *Thebæa* in noſtra *Alemannia*. De quibus tamen nihil legitur apud S. EUCHERIUM, qui acta martyrum *Agaunenſium* circa an. 432. conſcripſit, egregie contra obtrectatores vindicata in *Gallia Chriſtiana* T. XII. p. 763. &c.

IX. Poſſunt hæc etiam ad primordia ſæc. IV. referri, quo tum in *Helvetia*, cum *Vindelicia Alemanniæ* contermina, ad *Licum Auguſtæ Vindelicorum* S. AFRA cum ſociabus martyr celebrata ſemper fuit, ut mirum ſit, qua fronte BASNAGIUS eam nunquam *Auguſtam* dicat adveniſſe. Cuius ſepulchrum a fidelibus pia devotione frequentatum iam ſæc. VI. *Venantius* FORTUNATIANUS in vita S. MARTINI lib. IV. his verſibus teſtatur: Sæculi IV. *T. II. l.* 18. *c.* 9.

Pergis ad Auguſtam, quam Vindo Lycusque fluentant:
Illic oſſa ſacræ venerabere martyris Afræ.

Ferunt etiam DIONYSIUM, cum S. AFRA ſorore baptizatum a S. NARCISSO, *Auguſtanum* epiſcopum fuiſſe ordinatum. Quæ ac aliarum etiam diœceſium *Alemannicarum* exordia, ut poſtea videbimus, incerta ſunt.

Mutationem hoc ſæculo ſubierunt provinciæ *Romanæ*, præſertim in *Gallia*, unde ſe in *Alemanniam* protendit, *Lugdunenſis* eccleſiæ curæ ſubditam, ut vidimus; iam *Maxima Sequanorum*, cuius Metropolis fuit *Veſontio*, conſtituta ſingularis provincia eſt, in qua in *Sirmondiana Galliarum* notitia poſt metropolim nominatur civitas Equeſtrium *Noiodunus Elvitiorum*, *Aventicus Baſilienſium*, Caſtrum *Vindoniſſenſe*, *Ebredunenſe*, *Rauracenſe*, *Portus Abucini*, quæ tamen ad tempora pertinent, ubi *Vindoniſſa*, & *Auguſta Rauracorum* iam diruta erant ſequenti ſæculo. Fuerunt, qui ad tempora DIOCLETIANI referant diviſionem illam memoriamque

que provinciæ *Maximæ Sequanorum* perverſa lectione antiqui lapidis eius ætatis, quem *Conſtantiæ* curate inſpexi, ac aliter comperi. In laudata provinciarum diviſione Provinciæ *Germaniæ Primæ* & *Secundæ*, in illa, *Germania* prima ſcilicet, quæ nos concernit, metropolis civitas *Mogunciacenſium*, civitas *Argentoratenſium*, civitas *Nemetum*, civitas *Vangionum*, *Spira* noſtra, ac *Wormatia* occurrit. Quodſi genuina foret *Agripenſis* huius ſæc. an. CCCXLV. Synodus contra EUPHRATAM, haberemus nomina epiſcoporum IUSTINIANI *Baſiliæ*, AMANDI *Argentorati*, IESSII *Spiræ*, quæ nomina etiam in epiſtola ſynodi *Sardicenſis* leguntur, ſed absque urbium ſeu ſedium denominatione. Neminem vero denominat S. HILARIUS dum librum de ſynodis primum inſcribit epiſcopis provinciæ *Germaniæ primæ* & *ſecundæ*.

Mitiſſimo *Conſtantii* CLORI regimine, ineunte hoc ſæculo IV., chriſtianam rem trans-*Rhenum* plurimum auctam, nemo inficias eat, ac cis-*Rhenum* etiam, quamdiu ſaltem *Alemanni* pacem cum *Romanis* coluerunt. Exeunte ſæc. III. *Alemannos* in *Gallias* irruentes ad *Vindoniſſam* facta pugna profligavit *Conſtantius* CLORUS, ut EUTROPIUS lib. IX. *Oroſ.* lib. VII. c. 25. ZONARAS perhibent. Poſtea redintegrata eſt pax. *Alemanniæ* regem CHROCUM cum CONSTANTIO in *Alemanniam* profectum, poſt eius mortem perſuaſiſſe militibus, ut filium eius CONSTANTINUM ſibi imperatorem eligerent teſtatur VICTOR in Epitome cap. XLI. At ſub ipſo hoc primo chriſtiano imperatore, nudato *Rheno*, *Alemanni Galliæ* incumbere cœperunt, cum rei chriſtianæ detrimento.

Teſtatur SOZOMENUS, CONSTANTINUM ad imperium evectum chriſtianas iam ad *Rhenum* gentes, *Galloſ*que, qui extremi ad *Oceanum* habitant, *Gothos* etiam; & quotquot ad *Iſtri* fluminis ripas translatos, olim veræ religionis iam participes repériſſe. Id obiter etiam hic notem, prodigium S. Crucis CONSTANTINO apparentis in *Galliis* eveniſſe, ac quidem nobis propinqua, nobiles apud SCHOEPFLINUM aſſerunt auctores, isque variis ex indiciis, teſtibusque probat. CHNODOMARUS poſtea, *Alemannorum* rex in *Galliis* DECENTIUM Cæſarem ſuperavit, æquo marte congreſſus, ut AMIANUS narrat. Abegit *Alemannos* IULIANUS expulitque *Galliis*, ingenti apud *Argentoratum ſtrage*, abducto VADAMARIO, *Alemannorum* rege, atque etiam ſuperato *Rheno*, ferro flammaque in terris hoſtilibus graſſatus apud *Alemannos* ac *Francos*, quos iam ante ſuperaverat. Alii poſtea imperatores chriſtiani etiam pariter *Alemannos* a *Gallia* cohibuere, ad *Rheni* ripam, *Briſgoiam* & vicinas *Germaniæ* regiones alluentem, ad *Nicrum* perinde & *Danubii* fontes

Alſatia illuſtrata T. I. p. 393.

Lib. XVI. cap. 12.

Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum
Et fontem ignotum latiis annalibus Iſtri.

ut

ut de VALENTIANO canit AUSONIUS *Moſella* v. 850. Semper id bono rei chriſtianæ factum tum ſub principibus chriſtianis fuiſſe, quis dubitet, ſed ſtabile nihil fuit in colluvie invaſionibusque tot barbararum gentium, in Chriſtianos etiam ſævientium.

Sic *Moguntiam* RANDO, ex regio *Alemannorum* ſanguine, inſidiis cepit, dum Chriſtiani ſacra celebrant congregati in eccleſia, trucidati aut captivi abducti: quam ſtragem præter alias deplorat S. HIERONYMUS, ab *Alemannis* & aliis plurimis hoſtibus illatas, in epiſtola ad GERONTIAM viduam: „*Moguntiacum* (inquit) nobilis quondam civitas capta atque ſubverſa eſt, & in eccleſia multa hominum millia trucidata. *Vangiones* longa obſidione deleti. *Remorum* urbs præpotens, *Ambiani*, *Atrebatæ*, extremique hominum *Morini*, *Tornacus*, *Nemetes*, *Argentoratus* translati in *Germaniam*.“

Idem vero S. Doctor ſuo exemplo nobis teſtis eſt florentis tunc *Galliæ* ſtatus, ac ſtudia, in epiſt. ad RUSTICUM florentiſſima vocat, ipſeque ſcholam *Trevirenſem* adiit, uſus haud dubie magiſtris chriſtianis, unde magnum incrementum res chriſtianæ capere potuerunt, ex quibus tamen profeciſſe *Alemannos*, *Romanorum* hoſtes, credibile haud eſt. Aliud de trans-*Rhenana* dicendum eſt provincia, quam infeſtarunt quidem tum ſæpius *Alemanni*, nunquam vero tenuerunt, revicti a *Romanis*. Quemadmodum etiam ex Orientali plaga illuſtre exemplum habemus ex eodem S. HIERONYMO, in epiſtola ad SUNIAM & FRETELLAM, ex *Getarum* & *Germaniæ* finibus dubiis ſuper *Græcum* & *Hebraicum* pſalterii textum S. doctorem pulſantes, quod ipſe miratus, atque ad D. PAULI teſtimonium, de fide in omnem terram per præconium evangelii propagata, afferendum ſumit. a)

X. Utinam hoc etiam de barbaris *Alemannis* dici potuiſſet (quo tempore magis magisque ſuos protenderunt fines, ſtativaque tenuerunt ſæculo quinto cis & trans *Rhenum*) ut bellicoſa pectora manſueſcerent con- Sæculi V.

a) Sic enim orditur: „Vere in vobis apoſtolicus & propheticus ſermo completus eſt: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quis hoc crederet, ut barbara *Getarum* lingua *hebraicam* quæreret veritatem, & dormitantibus imo contendentibus *Græcis*, ipſa *Germania* Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur? *In veritate cognovi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Dudum calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtilum calamumque molleſcunt, & bellicoſa pectora vertuntur in manſuetudinem chriſtianam. Nunc & ESAIÆ vaticinium cernimus opere completum: *Concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces: & non aſſumet gens contra gentem gladium, & non diſcent ultra pugnare.* Rurſumque in eodem: *Paſcetur lupus cum agno &c.*“

conſueſcerentque iugo chriſtiano; ſed contra ampliando ditionem & imperium, Chriſti eccleſiam potius diminuerunt. Ad ipſa ſæculi quinti initia pacati erant pariter ac *Franci* (quibus reges Honorius imperator per Stiliconem dederat) auxilia etiam adverſus *Gothos* certatim offerentes. Fuerunt, qui pro *Alanis Alemannos* legerent, dum *Vandali*, cum illis & *Suevis* inita ſocietate, peragrata *Germania*, *Rhenum* petebant, ac omnia vaſtabant. At expreſſe diſtinguit S. Hieronymus, ſive de hac expeditione ſuperius allata S. Hieronymi verba interpreteris, ſive varias eiusmodi invaſiones ſimul deploratas putes, nam expreſſe cum *Alanis* ſeu *Halanis* etiam *Alemanni* nominantur. „Quidquid (ait) inter *Alpes* & *Pyreneum* eſt, quod *Oceano* & *Rheno* includitur, *Quadus*, *Wandalus*, *Sarmata*, *Halani*, *Gipedes*, *Heruli*, *Saxones*, *Burgundiones*, *Alemanni* & hoſtes *Pannonii* vaſtarunt."

Epiſt. ad Geront.

Certo non conſtat, an *Burgundiones* cum *Vandalis*, *Alanis* & *Suevis Gallias* invaſerint, an primum iſtis in *Hiſpaniam* digreſſis; cum *Burgundionibus* certe *Alemanni*, deinceps trans *Rhenum* firmam tenuerunt ſedem. Et utinam, quod de *Hunnis*, *Suevis* illis, *Vandalis* & *Burgundionibus* Orosius dicit, tam promtum apud *Alemannos* fuiſſet. „Quamquam, (inquit) ſi ob hoc ſolum *Barbari Romanis* finibus immiſſi forent, quod vulgo per Orientem & Occidentem eccleſiæ Chriſti *Hunnis*, *Suevis*, *Vandalis*, *Burgundionibus*, diverſis & innumeris credentium populis replentur, laudanda & extollenda miſericordia Dei videretur: quandoquidem, & ſi cum labefactatione noſtri, tantæ gentes agnitionem veritatis acciperent, quam invenire utique niſi hac occaſione non poſſent." Id iam antea expreſſe c. 32. de *Burgundionibus Alemanniæ* vicinis, unde etiam citius lux fidei accendi potuiſſet, dixerat. a) Scripſit autem non procul ab initio ſæc. V. cum hiſtoriam ſuam uſque ad annum 416. deducat.

Lib. VII. cap. 41. contra Pagan.

Socrates lib. VII. peculiare caput habet 30: *Quomodo Burgundiones ſub Theodoſio Chriſtiani ſint facti.* Deſignat autem conſulatum Theodosii XIII. & Valentiniani III., quod convenit anno Chriſti 430. b)

Theo-

a) „*Burgundionum* novorum hoſtium novum nomen, qui plus quam octoginta millia, ut ferunt, armatorum, ripæ *Rheni* fluminis inſederunt. Hos quondam ſubacta interiore *Germania*, a Druso & Tiberio, adoptivis filiis Cæſaris per caſtra diſpoſitos, aiunt, in magnam coaluiſſe gentem, atque etiam ita nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta, *Burgos* vulgo vocant, eorumque eſſe prævalidam & perniciosam manum, præſumta *Galliæ* hodieque teſtes ſunt, in quibus poſſeſſione conſiſtunt: quamvis providentia Dei omnes Chriſtiani modo facti, catholica fide, noſtrisque Clericis, quibus obedirent receptis, blande, manſuete, innocenterque vivant, non quaſi cum ſubiectis *Gallis*, ſed vere cum fratribus chriſtianis."

b) „Gens (inquit) quædam barbara eſt ultra *Rheni* fluvium habitans, quam *Burgundio*-

Theodosius II., cui hæc convenire debent, mortuus eſt an. 450. cum anno primum ſequente *Hunnorum* irruptio in *Gallias*, duce Attila, facta ſit, quos *Alemanni* iam cum *Vandalis* præceſſerant, quibus temporibus omnia direpta, urbesque dirutæ ſunt, inter alias *Baſilea*, de qua urbe (ut Valesius, Schoepflinus & alii loco *Maſſilienſium* legendum putant) Salvianus, ubi de ludis circenſibus agit: „Non enim (inquit) hoc agitur iam in *Magontiatienſium*, atque *Baſilienſium* civitate, ſed quia exciſa & deleta eſt. Non enim *Agrippinæ*, ſed quia hoſtibus plena. Non agitur *Trevirorum* urbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici vaſtatione eſt proſtrata.“ De *Moguntiaco* Rhabanus in martyrologio ad XVI. Kal. *Iulii*: „In civitate *Moguntiaca* paſſio SS. Aurei epiſcopi, & Iustinæ ſororis eius, qui ab *Hunnis* vaſtantibus prædictam civitatem in eccleſia occiſi ſunt.“ *Lib. VI. de Gubern. Dei.*

Auctores medii ævi S. Ursulam cum ſociabus prope *Coloniam* ab *Hunnis* interfectam tradunt. Cui etiam comes Pantalus *Baſileenſium* epiſcopus adiungi ſolet, ſed temporis ac perſonarum circumſtantiæ multis difficultatibus obnoxiæ ſunt. Refertur huc ad *Danubium Auguſta Vindelicorum* ab *Hunnis* everſa, trans *Rhenum Vindoniſſa* & *Conſtantia*, cum aliis etiam cis-*Rhenanis* locis, de quibus nihil aſſerti habetur. Id certius eſt, *Alemannos* ſic deſerta poſtea ab *Hunnis* loca etiam trans *Rhenum* occupaſſe, tenuiſſeque avita adhuc ſuperſtitione detentos, quin alicubi in chriſtianos ſæviiſſe memorentur. Nec tamen potius exemplum conterminorum trans *Rhenum Burgundiorum* quam *Francorum* cis *Rhenum* ac *Hunnorum* infidelium ſunt conſectati.

Ut prius a *Romanis*, ita iam a *Burgundionibus*, bella & infeſtationes haud dubie alienos reddidere animos, de quibus Eumenius in *Genethl.* Maximiani Aug. c. 17. „*Burgundiones Alemannorum* agros occupavere, ſed ſua quoque clade quæſitos. *Alemanni* terras amiſere, ſed repetunt.“

nes vocant. Hi perpetuo vitam ignavam vivunt. Sunt enim fere omnes fabri lignarii. Et hinc accepta mercede aluntur. In hos gens *Hunnorum* frequenter irruens regionem eorum vaſtabat, ac ſæpenumero multos eorum occidebant. Illi in rerum deſperatione conſtituti, ad nullum hominem confugiunt, ſed Deo alicui ſeſe commendare volunt. Venit autem illis in mentem, *Romanorum* Deum iis, qui ſe revereantur, fortiter ſuccurrere. Communi ſententia cuncti huc permoventur, ut in Chriſtum credant. Veniunt autem in civitatem quandam *Galliæ*, ac chriſtianum baptiſmum ab epiſcopo petunt. Ille vero iuſſos ſeptem dies ieiunare, & in fide inſtitutos octava die baptizat, ac dimittit. Animo itaque confidenti contra tyrannos egrediuntur, nec ſpe ſua fraudantur. Nam rege *Hunnorum*, nomine Uptaro, nocte quadam præ voracitate dirupto, *Burgundiones* ſuper *Hunnos*, duce deſtitutos, pauci ſuper admodum multos irruentes, victores evadunt. Nam tria duntaxat *Burgundionum* millia circiter vicena *Hunnorum* millia invaſerunt. Et inde ab eo tempore gens illa ferventi animo Chriſtianiſmum complexa eſt.“

tunt.“ Nec poſtea unquam iugum *Burgundionum* iam ad fidem chriſtianam converſorum ſubierunt. Et quamdiu liberi fuerunt *Alemanni* uſque ad finem ſæculi quinti, eo in ſtatu apud eos res manſit quoad religionem; nec poſtea etiam, ut videbimus, tam cito ac facile commutata; quod ſtabilem, civitateque, ut ita dicam, donatam religionem attinet.

Status Alemanniæ quinque primis Eccleſiæ ſæculis.

XI. Quodſi iam totum colligamus argumentum, fateri cogimur; *Alemanni*, tantum abeſt, ut evangelii lucem primum irradiantem ad ſe admiſerint, ut potius in *Romano* imperio clariſſime ſe diffundentem obſcuraſſe ſuffocaſſeque cenſendi ſint, ubi graſſabantur *Romanis* finibus infeſti ad *Nicrum* primum, quo fluvio ac *Mœno* coarctabantur, priusquam nomen *Alemannicum* audiretur. Nec ſupereſt veræ tum apud illos religionis veſtigium. Poſteaquam cum *Romanis* conſeruerunt manus, apud eos victos a CARACALLA primum, deinde a CONSTANTIO, CRISPO, MAXIMINO, IULIANO, GRATIANO atque a STILICONE pacatos, & ab HONORIO ſub finem ſæculi IV. in fœdus *Romanorum* ſuſceptos, fidei ſemina potius locum habere potuerunt, quam, dum victores ipſi fuerunt, ſæc. V. præſertim, quando fines ſuos cis & trans *Rhenum* maxime dilatarunt, ac *Romanorum Germaniam* primam occuparunt, cum *Galliæ* inſuper parte, dum ex altera parte *Franci Germaniam ſecundam* invaſerunt, ac *Belgicam Galliam*, qui ipſi tum hoſtes *Alemannos* magis quam ipſos *Romanos* formidarunt.

GUIDO, ſub nomine Anonymi *Ravennatenſis* notus, urbes recenſet ditionis *Alemannicæ*, *Romanæ* pleraſque originis. Licet autem poſt devictos a *Francis Alemannos* vixerit, cum tamen ex antiquorum ſcriptorum auctoritate ſe ſcribere profiteatur, hic locum damus, pro notitia *Alemanniæ* liberæ ſæc. V. prout HERTIUS in Notitia veteris *Germaniæ* populorum noſtris temporibus accommodavit nomina. a) Laudatus præterea chronographus *Ravennatenſis* civitates nominat, quæ magis huius ſunt loci, epiſcopales ſedes, *Ligonas*, *Bizuntias*, *Sphiram*, *Argentariam*, quæ modo *Stratisburgo* dicitur, *Conſtantiam*, *Auguſtam novam*, quam inter civitates ad aliam partem ponit: cumque priores ad *Rhenum* eſſe dixerit, hæc

a) „Sunt autem *Gormetia*, hodie *Worms*: *Altripe*, hodie *Altrip*, alta ripa. *Porca*, hodie *Pforzheim* in marchionatu *Badenſi*: *Brececha*, veteribus etiam *Braccum Saccum*, hodie *Briſach*: *Auguſta*, hodie *Augſt*: *Wreacha*, *Aurach*: *Arbor felix*, hodie *Arbon*: *Bracantia*, ſive *Bracantium*, hodie *Bregenz*, quod viginti paſſuum millibus ab *Arbore felice* diſtat: *Alaia*, hodie *Altzen*: *Choruſtan*, hodie *Kyrn*: *Ziaberna*, hodie *Zabern* in *Alſatia*: *Frincina*, hodie *Freinsheim* in *Palatinatu*: *Albiſi*, hodie *Albich* non procul ab *Altzen*: *Crino*, hodie *Crunſtad*, quod oppidum ad illuſtriſſimos Comites *Leiningenſes* ſpectat: *Theodoritopolis*, hodie *Dietenhoſen*.“

Digitized by Google

hæc eſt verſus *Danubium Auguſta Vindelicorum.* Sed dubium movet *Aſcapha*, quam ſimul recenſet, quæ videtur eſſe *Aſchafenburg*. *Io.* BRECHENMACHER in notitia *Sueviæ* antiquæ, ampliſſimam *Suevo-Alemannorum* ditionem ex terris *Romano* imperio ereptis nobis deſcribit, quem curioſus lector conſulere poteſt. *Wegel. T. I. pag. 206. §. 118.*

Noſtrum vero inſtitutum quod ſpectat, videmus, apud GUIDONEM recenſeri ipſam etiam *Veſontionem Maximæ Sequanorum* provinciæ metropolim, cuius civitates ac loca ſuperius recenſuimus, epiſcopalibus ſedibus in noſtra *Alemannia* auctas, aut inde alio translatas, uti de *Auguſta Rauracorum* dicitur, cuius urbis ſplendor ac epiſcopalis ſedes *Baſileam* eſt translata. Sed nihil certi habetur, nec de *Rauracenſibus*, nec de *Baſileenſibus* epiſcopis prima hac ætate: niſi huc revoces, quod in concilio *Aurelianenſi* pro ADELPHIO epiſcopo *Rauracenſi*, ASCEPIUS interfuiſſe memoretur an. DXXXIII. vel DXXXVI. quod ad regnum *Burgundicum* ſpectat; ſed notavit errorem SIRMONDUS, pro *Ratiacenſi* librarios poſuiſſe *Rauracenſi.* In conciliis IV. *Aurelianenſi* an. 541. & V. an. 549. GROMATIUS epiſcopus *Vindoniſſenſis* ſubſcripſit, & iam antea BUBULCUS in conc. *Epaonenſi* an. 517., ad quem uſque *Conſtantienſes* in ſuis catalogis ponunt S. BEATUM primum, & quidem a S. PETRO conſtitutum *Vindoniſſæ* epiſcopum, S. PATERNUM, ſeu PATENIUM, & S. LAUDONEM. Sed nihil ex idoneis documentis affertur; uti nec de primis epiſcopis *Auguſtanis. Trevirenſium*, *Tungrenſium*, *Colonienſium*, & *Moguntinorum* epiſcoporum apud S. ATHANASIUM, S. HIERONYMUM, & alios haud infrequens fit mentio. Ex quibus quidem *Moguntinenſes Alemanniæ* adhærebant, atque per canones ius ſibi metropoliticum expetebant.

In laudata S. HILARII epiſtola, ſeu libro de ſynodis inſcripto: *dilectiſſimis & beatiſſimis fratribus & coepiſcopis provinciæ Germaniæ primæ*, & *Germaniæ ſecundæ*, & *primæ Belgicæ*, & *Belgicæ ſecundæ* editores *Benedictini* ex congr. S. MAURI ſic interpolatum titulum repræſentant ad fidem MſſC. *coepiſcopis Germaniæ primæ, in qua eſt Moguntia*; & *Germaniæ ſecundæ, in qua eſt Agrippina, id eſt, Colonia*; & *primæ Belgicæ, in qua eſt Treviris &c.* Magis licentioſa eſt ſynodi *Sardicenſis* interpolatio, dum ſuis quique ſedibus etiam in *Alemannia* deſignantur epiſcopi *Wormatienſis*, *Spirenſis &c.* VICTURUS ſc. *Vangionum*, IESSE *Nemetum*, AMANDUS *Argentinenſium*, IUSTINIANUS *Rauracorum:* VICTOR *Mediomatricum*, id eſt, *Metenſis* eccleſiæ ab *Alemannia* remotioris. Habitæ apud *Sulpitium* SEVERUM memorantur binæ ſynodi apud *Auguſtam Trevirorum*, *Vid. Conc. Germ. T. I. pag. 5. &c.*

 altera

Digitized by Google

altera in cauſa Ithacii, altera in qua Felix *Trevirenſis* epiſcopus ordinatus eſt, cui etiam S. Martinus interfuit, labente ſæculo quarto.

Irruptione *Vandalica*, *Alemannica*, & *Hunnica* pleræque fuerunt deſtructæ urbes, *Moguntia* imprimis, quæ iuxta *Nicænum* canonem debuerat eſſe metropolis etiam eccleſiaſtica, uti civilis in *Germania* prima eſt conſtituta, hodieque eum locum tenet. Ac licet fuerint, qui primum obtinuiſſe illud a tempore S. Bonifacii putent, tenendum tamen potius eſt iuxta eccleſiaſticos canones, eadem dignitate prius ſub *Romano* ſaltem imperio *Moguntiam* præcelluiſſe, donec diruta eſſet, atque *Alemannis* ceſſit, ſæc. V. integro forte epiſcopis deſtituta, ubi etiam cæteræ ad *Rhenum* urbes *Argentoratum*, *Wormatia*, *Spira*, pariter vaſtatæ fuerunt, ſerius ex ruina reſtitutæ Quod citius contigit trans *Rhenanæ Alemanniæ*, efflореſcente præſertim regno *Burgundico*, cui accenſita fuit diu poſtquam *Alemanni* trans-*Rhenum* res ſuas auxerant, utque *Sidonii* Apollinaris utar verbis in Panegyr. *Carm. VII.*

Rhenumque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis: & utroque ſuperbus in agro
Vel civis vel victor eras.

CAP.

CAPUT II.

De propagatione religionis chriſtianæ in Alemannia ſub regno Francico.

I.



Cum tot ac tantæ gentes *Germaniæ* ſæculo quarto & quinto *Gothi*, *Wandali*, *Suevi*, *Burgundiones*, *Rugii*, *Heruli*, *Longobardi*, *Saxones* ac *Franci* relicto patrio ſolo in aliis terris domicilium quæſierint, inter omnes poſtremi *Franci* nomen ac regnum præcipue dilatarunt, atque, quam *Romano* imperio late patentem regionem diripuerunt *Alemanni*, ſuæ etiam ſubiecerunt ditioni. Tardius ſæculo tertio poſt *Alemannicum* innotuit *Francicum* nomen, ac lentius etiam proceſſit regnum. Fueruntque, qui putarent, ante Clodoveum ſæculo V. certas ultra *Rhenum* in *Gallia* ſedes non fixiſſe *Francos* Pharamundum, Clodionem, Meroveum, a quo *Merovingicum* nomen eſt, teſte Ottone *Friginenſi*, ac Childericum, quod a *Romanis*, præſertim ducis Aetii armis ſæc. V. iterum iterumque in natales ſedes fuerint repulſi, ut adeo non tam cito, quemadmodum *Alemanni* trans *Rhenum* fixerint ſedem. Poſtea autem non ſolum integras occuparunt *Gallias*, ſed etiam *Germaniæ* diverſas regiones *Alemannorum*, *Turingorum*, *Boiorum*, *Saxonum*, qui iam veterum diverſarum *Germanicarum* nationum nomina abſorpſerant. In *Galliis Burgundiones* ac *Gothi* dominabantur, hos vero demum Carolus M. penitus ſubiugavit, illos iam Clodoveus. Huius filii inter ſe diviſerunt *Franciam*, ipſaque *Francia* præter *Burgundiam* in orientalem & occidentalem, *Auſtriam*, ſeu *Auſtraſiam* & *Neuſtriam*, ex corrupto *Weſtriæ* vocabulo, eſt diviſa, cui medio ſæc. IX. *Lotharingia* media interceſſit celebri *Virodunenſi* pacto, ac peculiari etiam nomine *Francia Teutonica* eſt dicta, *Germania* primum ſecunda, teſte Rhenano, quæ propria erat *Francorum* ſedes, poſtea etiam *Germania prima*, quam *Alemanni* liberi ſæc. V. tenebant.

Regni Francici origo, ac ſtatus cum Alemannico connexus.

Lib. VII cap. 8.

Lib. I. pag. 297.

Alemannos

Alemannos in iis, quæ ad Deum pertinent, a *Francis* diſcrepaſſe dicit AGATHIAS. „Sunt vero (inquit lib. I. de imperio & geſtis IUSTINIANI etiam his patria quædam inſtituta; in reipublicæ vero adminiſtratione *Francorum* politiam ſequuntur; tantum in iis, quæ pertinent ad Deum, ſententia variant. Arbores enim quasdam colunt, & fluminum lapſus, & colles & ſaltus, atque his tanquam iuſta facientes equos aliaque quam plurima reſectis capitibus immolant. Porro conſuetudo, quam cum *Francis* habent, ipſis conducit in melius transferens, & quodammodo pertrahens cordatiores: & brevi, ut ſpero, tempore hoc ipſum apud omnes evincet.“ Scripſit hæc poſt medium ſæc. VI. Necdum ergo tunc *Alemanni* Chriſti fidem acceperant.

Nec fuit infelix augurium, ac quidem inductos per *Francos* fidem chriſtianam accepiſſe patebit, quemadmodum etiam leges, a THEODERICO, CLODOVEI M. filio *Auſtraſiæ* rege primum collectas, ſcriptis conſignatas, a CHILDEBERTO ſecundo & CHLOTARIO perfectas, & in comitiis regni promulgatas, atque a DAGOBERTO renovatas, deincepsque auctas, imprimis ſub *Carolingica* ſtirpe. De prima vero collectione in prologo legis *Boiariorum*, qui pariter ac *Ripuarii Franci* ſuas peculiares acceperunt leges, ita legitur: „THEODORICUS rex *Francorum* cum eſſet *Catalaunis*, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante iuſſit conſcribere legem *Francorum*, & *Alemannorum*, & *Baiuvariorum*, unicuique genti, quæ in eius poteſtate erat ſecundum conſuetudinem ſuam. Addidit, quæ addenda erant, & improviſa & incompoſita reſecavit; & quæ erant ſecundum conſuetudinem Paganorum, mutavit ſecundum legem Chriſtianorum. Et quidquid THEODERICUS rex propter vetuſtiſſimam Paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſthæc CHILDEBERTUS rex inchoavit, ſed CHLOTARIUS rex perfecit. Hæc omnia DAGOBERTUS, rex glorioſiſſimus, per viros illuſtres CLAUDIUM, CHAUDUM, INDOMAGNUM & AGILULFUM renovavit, & omnia vetera legum in melius tranſtulit, & unicuique genti ſcripta tradidit, quæ uſque hodie perſeverant.“

Baluz. T. I. Capit. p. 26.

Apud BALUZIUM lex *Ripuariorum* Capitulare primum nominatur, lex vero *Alemannorum* Capitulare ſecundum, ſub nomine DAGOBERTI regis, quod maxime in purgandis, emendandis & augendis incubuerit DAGOBERTUS poſt ſuos anteceſſores, quos recenſuimus. Atque quoad religionem mutationes maxime in *Alemannica* lege factæ ſunt: ubi plura, quæ ad religionem chriſtianam, eccleſias, eccleſiaſticas perſonas indemnes conſervandas pertinent, occurrunt. Quod quidem in *Alemannia* ſupponit eccleſiam chriſtianam, ſed non ſatis in tuto poſitam ab *Alemannorum*

mannorum rapacitate & furore, haud dubie eorum, qui necdum Chriſto nomen dederant.

Acceſſerunt deinceps multo inſigniora diſciplinæ eccleſiaſticæ capita communi etiam epiſcoporum opera in conciliis ac comitiis præſertim ſub *Carolingica* ſtirpe inſtituta. Quæ deinceps in corpus redacta fuerunt, alia autem prætermiſſa, quæ ad rem non erant, ab Ansegiso primum abbate, deinde a Benedicto *Levita Moguntinenſi*, unde ad uſum *Alemanniæ* maxime eſſe poterant, uti etiam Burchardi *Wormatienſis* collectio, qui multa ex collectione Benedicti ſumſit, licet Capitularium mentionem non faciat, poſtquam iam *Francicum* diviſum erat regnum, ac *Germanicum*, ſeu *Teutonicum* ſeparatum; floruit enim Burchardus circa annum MXX. ſub Henrico imperatore *Germanico*, cum iam ſub Ottonibus reverentia Capitularibus nulla fuerit, ut in præfatione Baluzius non ſine indignatione refert.

II. Enarrandum nobis eſt, quomodo *Alemanni Francicum* ſubierint iugum. *Franci*, cum ſub Merovæo magnam iam *Galliæ* partem ſibi ſubieciſſent, Merovæi ſucceſſor Childericus, poſt medium ſæculum quintum promovendo ulterius regno intentus, cum *Alemannis* non infelici bello commiſſus eſt: S. Gregorius *Turonenſis* ſubiugatos dicit. Quod de proxima trans-*Rhenana* parte intelligendum eſt, cum verſus Orientem *Helvetiam*, *Vindeliciam* ac *Rhætiam* ad *Oenum* uſque tenerent, adhuc ſub Gebaudo duce *Paſſavium* infeſtante: a quo S. Severinus *Breones*, ab *Alemannis* captos, libertati reſtitui impetravit, ut in actis S. Lupi *Trecenſis* refertur.

Prælium ad *Tolpiacum* utrique genti quoad religionem ſalutare.

Alemanni pariter ac *Franci* adhuc alieni a religione chriſtiana erant. Ipſaque *Francorum* de *Alemannis* victoria utrique genti ſalutaris fuit, prout conſtanter annales referunt. *Alemanni* in Sigebertum, *Coloniæ* regulum *Francum* Clodoveo affinem arma movent, in ſuppetias venit Clodoveus iunctis *Gallorum* & *Francorum* copiis. Secuta eſt celebratiſſima apud *Tolpiacum* pugna ancipiti diu Marte, donec votum Chriſto facit Clodoveus, ac ſe victorem chriſtianum futurum ſpondet; quo antea nunquam reginæ Chrotildis obteſtationibus induci potuit. Rem verbis S. Gregorii *Turonenſis* deſcribam, qui proximus illi ætati a præſentibus rei geſtæ potuit inaudiiſſe. „Regina vero non ceſſabat prædicare, ut Deum verum cognoſceret, & idola negligeret: ſed nullo modo ad hæc credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra *Alemannos* commoveretur: in quo compulſus eſt confiteri neceſſitate, quod prius voluntate negaverat. Factum eſt autem, ut confligente

Hiſt. Franc. lib. II. c. 30.

utroque exercitu vehementer cæderentur, atque exercitus CLODOVEI ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, elevatis ad cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lacrimis ait: *IESU Chriſte, quem* CHROTILDIS *prædicat eſſe Filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te ſperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito: ut ſi mihi victoriam hanc ſuper hoſtes indulſeris, & expertus fuero virtutem illam, quam de te populus tuo nomini dicatus, probaſſe ſe prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Invocavi enim Deos meos, ſed ut experior, elongati ſunt ab auxilio meo: unde credo, eos nullius eſſe poteſtatis præditos, qui ſibi obedientibus non ſuccurrunt. Te nunc invoco, & tibi credere deſidero, tantum ut eruar ab adverſariis meis.* Cumque hæc diceret, *Alemanni* terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cumque regem ſuum cernerent interemptum, CLODOVEI ſe ditionibus ſubdunt, dicentes: *Ne amplius, quæſumus, pereat populus: iam tui ſumus.* At ille prohibito bello, coarctatoque populo cum pace regreſſus, narravit reginæ, qualiter per invocationem nominis Chriſti victoriam meruit obtinere." In collectione hiſtorica chronograph. ex TO-
T. II. P. I. p. 202. ROMACHO lib. IV. c. 19. apud CANISIUM perhibetur CLODOVEUS, ſuadente regina voviſſe, ſi victoriam obtineret, efficeretur Chriſtianus.

Quodque porro addit ad partem *Alemannorum,* non ad totam pertinet gentem. „*Alamanni* terga vertentes in fugam lapſi ſunt. Cumque regem ſuum cernerent interemptum, IX. (al. 104.) annis exules a ſedibus eorum nec ullam potuerunt gentem comperire, quæ eis contra *Francos* auxiliaret, tandem ſe in ditionem CLODOVEO tradunt." Quæ ſunr ipſa verba FREDEGARII epitomatoris. Magna ſcilicet pars ad THEODERICUM, *Oſtrogothorum* regem in *Italia* perfugium habuit, cuius nomine exſtat epiſtola XLI. lib. II. apud CASSIODORUM, ubi gratulatur, quod *Alamannicos* populos, *cauſis fortioribus inclinatos*, victrici dextra ſubdiderit. Quibus etiam verbis innui videtur, divina quadam vi ſuperatos eſſe. Tum in eorum gratiam rogat: *Eſtote illis remiſſi, qui noſtris finibus celantur exterriti. Memorabilis triumphus eſt, Alamannum acerrimum ſic expaviſſe, ut tibi eum cogas de vitæ munere ſupplicare: ſufficiat illum regem cum gentis ſuperbia cecidiſſe: ſufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim ſervitio ſubiugatam. Nam ſi cum reliquis confligis, adhuc cunctos ſuperaſſe non crederis.* Ex quibus quidem patet, quo res *Alemannorum* redierint eo prælio, quo concidit omnis *Alemannica* gloria, ac libertas, nec tam cito in Chriſto reſtituta, ſuſcepta fide: quod prius a *Francis* eſt factum exemplo CLODOVEI vota exſolventis. „CLODOVEUS rex (ut habet „SIGEBERTUS ad an. 499.) *Alemannis* bello congreditur, ibique laborante

„ exer-

„ exercitu, voto ſuſcipiendi Chriſtianiſmi ſe obligare cogitur. Sicque per„empto *Alemannorum* rege, & *Alemannia* ſub tributo redacta, baptizatus „a S. Remigio, *Remorum* epiſcopo, exemplo & edicto ſuo perduxit ad „fidem Chriſti populum *Francorum.*"

III. Dimidium fere effluxit ſæculum, poſtquam ſub Theodeberto, *Auſtraſiæ* rege, in *Italiam* Leutharis dux copias *alemannicas* deduceret, adhucque diverſitas in religione eſt notata ab Agathia. „Quotquot itaque (narrat) eorum *Franci* erant indigenæ, multam reverentiam pietatemque circa templa exercebant, utpote rectam de Deo ſententiam amplexi, ut ſupra dixi, eademque cum *Romanis* ſacra colentes. *Alemannica* vero gens univerſa (aliter enim hi circa religionem ſunt affecti) templa irreverenter diripiebant, ſuisque ornamentis ſpoliabant, multas quidem amulas ſacras ſeu vaſa luſtralia & aſpergilla ex puro auro, quam plurimos etiam calices, & acerras, & quæcunque myſticis ceremoniis peragendis erant conſecrata, ſpoliantes, propriis ſuis poſſeſſionibus adſcribebant. Sed ne his quidem rebus contenti, tecta ipſa ſacrorum templorum diruebant, & fundamenta ſubvertebant, cruoreque & ſanie delubra circumfluebant, arva etiam ſegetesque polluebantur, cum per eas paſſim cadavera inſepulta iacerent." Qui apud Baluzium primaria capita legis *Alemannorum* relegerit, ſtudium regum *Francorum* inveniet legibus ſuis coercendi *Alemannos* ab eiusmodi exceſſibus ſæculo ſeptimo adoleſcente ſub Dagoberto, cuius nomen præpoſitum habetur. „Dum (ut iam ex præfatiuncula, quæ legi *Baiuvariorum* in antiquis codicibus præponi ſolet, notavi) quidquid Theodericus rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſt hæc Childebertus rex inchoavit, ſed Chlotarius rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus rex glorioſiſſimus renovavit." Childeberti regis habetur conſtitutio, ut ſimulacra per agros erecta, & idola dæmonibus dedicata diruerentur. Neque vero etiam apud *Francos*, & *Burgundiones*, licet citius ad fidem converſos, ſuperſtitiones omnes paganicæ ſunt abolitæ, unde in Conc. *Aurelianenſi* IV. an. 541. prohibitum, ne idolothyta comedant, ne beſtiis imponant manus &c.

Religio chriſtiana in Alemannia ſub ſtirpe Merovingica. *Lib. II. p. 26.*

T. I. Capitul. p. 54.

Celebrato paullo poſt an. 551. concilio *Aurelianenſi* V. ſubſcripſit Gromatius *Vindoniſſenſis* epiſcopus, cuius diœceſis per *Alemanniam* ſe protendebat, regno *Auſtraſiæ* accenſitam, cuius imperium, diviſo inter filios Clodovei regno, Theoderico ceſſit; fuerunt tamen peculiares *Alemanniæ* duces ſub imperio *Francico.* Reliquias in *Rhætia*, quas Theodericus rex *Gothorum* in tutelam ſuſceperat poſt *Tolpiacenſem* cladem,

dem, Theodebertus Theoderici filius in ditionem redegit, ut Agathias prodit: „Theodebertus accepto paterno regno, & *Alemannos* & alias nonnullas finitimas gentes ſubegit.

Refloruit circa ea tempora *Auguſtanus* epiſcopatus, atque *Vindoniſſenſis Conſtantiam* eſt translata ſedes, ubi anno DCXVI. celebrata eſt ſynodus ſub duce Gonzone. Paullatim etiam ſedes *Moguntina*, *Wormatienſis*, *Spirenſis*, *Argentoratenſis*, *Baſileenſis*, & *Curienſis* ſunt reſtitutæ. Imprimisque Dagobertus I. magnus eccleſias *Alemannorum* irruptionibus pridem vaſtatas reſtauravit poſt initium ſæculi ſeptimi primum *Auſtraſiæ*, deinde poſt mortem patris Clotharii I. totius *Franciæ* regno potitus.

Monaſteriis etiam conſtitutis non ſolum reges, ſed duces etiam ac comites, religionem propagare ſtuduerunt, ſuſcepto haud raro ab ipſis ſacro inſtituto ſtatuque eccleſiaſtico, ubi eccleſiæ ſtrenuam navare poterant operam, viribus & auctoritate pollentes, etiamſi ipſi ſacris functionibus non ſemper admodum incumberent. Concurrebant undique ſacri coloni, de quibus mox dicemus, quorum opera paullatim *Alemannia* ſub regno *Francico*, quo libera adduci non poterat, ſuavi Chriſti conſuevit iugo. a)

a

Sub ſtirpe Carolingica.

IV. Perfecta ſunt hæc potiſſimum & conſummata principatu ſtirpis *Carolingicæ*. Iacta ſunt illius fundamenta vergente ſæc. VII. a Pipino, quem *Heriſtallum* vocant, ex S. Arnulphi, epiſcopi *Metenſis* ſtirpe: cum poſt celebrem apud *Textricium* pugnam Theodericum *Lutetiam* fugientem quaſi in ſervitutem redactum teneret, non *Auſtraſiæ* ſolum, ſed *Neuſtriæ* etiam ac *Burgundiæ* dominatus, univerſæ ſcilicet *Franciæ* monarchiæ, Maioris domus ſeu ducis *Francorum* nomine. Is etiam contra *Alemannos*, dominatum *Francicum* excutere geſtientes, bellum movit, & paucis poſt annis Carolus *Martellus*. b) An. DCCXIV. Pipinus *maior domus defunctus eſt.* Karolus *filius in maiore domatu ſuccedit cognomento Martellus.* Ut Hepidanus habet, & mox: „DCCXV. Karolus *Alamanniam* rebellantem domat, Luitfrido duce eorum ſuperato. Cuius filius Thietbaldus S. Pirminium pepulit.“ In concilio *Conſtantienſi*

b

Apud Goldaſt. T. I. Rer. Alem.

a) „Primi autem (inquit *Ioachim* Vadianus de collegiis & monaſteriis *Germaniæ* veteribus) omnium *Germanorum Franci*, & *Francorum* pars *Alemanni* ad fidem Chriſti converſi collegiorum & monaſteriorum *Germaniæ* auctores fuere, exſtructis videlicet, & amplis redditibus donatis, baſilicis, cœnobiisque presbyterorum & monachorum, quibus epiſcopi & abbates præficerentur.“

b) In chronico *Augienſi* ad annum DCCX. breviter notatur; „Pippinus *Alemanniam ingreditur.* Annales vero *Metenſes* ad an. DCCXII. Pipinus *iterum obſtinatione Alemannorum motus Rhenum tranſiens cum valida manu, totam etiam regionem ſubvertit, ſuæque ditioni ſubegit.* Apud Baluzium *T.* I. Miſcell. pag. 496.

tienſi an. 759. S. OTHMARUS abbas *S. Galli* accuſatus per calumniam carceri includitur ſub SIDONIO epiſcopo, inſtigantibus vero WARINO & RUODHARDO, „qui tunc temporis (ut *Walafridus* STRABO in libro de vita T. I. Conc. S. OTHMARI ſcribit) totius *Alemanniæ* curam adminiſtrabant, diabolo Germ. p. 95. ſuadente, immaniſſimo avaritiæ morbo præventi, res eccleſiarum ſub ſua poteſtate ſitarum magna ex parte in proprietatis ſuæ dominium per vim contraxerunt.“ Inter duces duo tamen notantur fautores rei chriſtianæ MARSILIUS & HILDEBRANDUS. Quorum ille arcem *Laureacenſem* in *Wirtenbergia*, poſtea monaſterium, ſedem aulæ habuit, alter *Campiduni* in *Hillarmontio*: qui prope *Biberacum Hunnos* viciſſe dicitur, conſtituto ad ipſum locum monaſterio *Buchovienſi*.

Duces interim *Alemanniæ*, uti etiam *Boiariæ* potentia pollentes, in libertatem ſe vindicare iugiter ſunt conati. a) Quod non ſine detrimen- a to eccleſiæ accidere poterat. KAROLO *Martello* GREGORIUS II. P. S. BO- T. VI. Conc. NIFACIUM, ad prædicandum *Germanis* evangelium properantem, commen- p. 1439. davit litteris: nimirum penes ipſum erat poteſtas, licet nomen deeſſet regium, quod matura morte abreptus conſecutus non eſt; ſed filius eius PIPINUS, detonſo CHILDERICO ac in monaſterium detruſo. Cum eo CARLOMANNUS gubernacula regni ſuſceperat natu maior, cui *Auſtria*, *Suevia*, ſeu *Alemannia* cum *Turingia* obtigit. Is etiam in *Alemanniam* movit. b) Diſcimus ex epiſtola S. BONIFACII ad ZACHARIAM P. data b an. 741. huius principis ſtudium erga religionem. „Notum ſimiliter ſit paternitati veſtræ (ſcribit) quod CAROLOMANNUS dux *Francorum* me accerſitum ad ſe rogavit, ut in parte regni *Francorum*, quæ in ſua eſt poteſtate, ſynodum facerem congregari: & promiſit, ſe de eccleſiaſtica religione, quæ iam longo tempore, id eſt, non minus, quam ſexaginta, vel ſeptuaginta annos calcata, & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle.“ Habitum eſt iſtud concilium mox ſequenti anno, atque in illo decretum: „ut ſecundum canones unusquisque epiſcopus in ſua parochia ſolicitudinem gerat adiuvante Gravione (id eſt comite) qui defenſor

a) In chronico *Wirziburgenſi* apud BALUZ. T. I. Miſcell. ad an. DCCXXI. notatur: KAROLUS *Suevos & Baiuarios armis ſubegit.* Paſſim eiusdem CAROLI *Martelli* bellum contra LANTFRIDUM ducem ad an. DCCXXX. in annalibus occurrit. De quo ita REGINO lib. I. chron. *Quinto decimo anno regni ſui Alemanniam ingreſſus, contra* LANTFRIDUM *dimicavit, & ſibi eandem gentem ſubiecit.*

b) CAROLOMANNUS, ut habet EGINHARDUS ad an. 742.) *Alemanniam, quæ ipſa a Francorum ſocietate defecerat, cum exercitu ingreſſus, ferro & igne vaſtavit.* In chronico *Augienſi* ad an. DCCXLV. hoc ſolum habetur: KARLOMANNUS *Alamanniam ingreditur.* In annal. *Nazar.* PIPINUS eo anno rebellantem filium GODEFRIDI, ducis *Alemanniæ*, in ordinem redegiſſe perhibetur; CARLOMANNUS autem ad annum ſequentem *Alemannos* iterum res novas molientes compeſcuiſſe.

defenſor eccleſiæ eius eſt, ut populus Dei paganias non faciat, ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abiiciat & reſpuat &c."

T. I. Capitul. p. 150. Habetur apud BALUZIUM *Indiculus ſuperſtitionum & paganiarum.* Ex quo coniici poteſt, quo in ſtatu tunc eſſet religio. Indiculus ille ad concilium hoc refertur, ac ſubſcriptus habetur actis concilii *Liptinenſis*, quod acta ſynodi laudatæ *Germanicæ* ſequenti anno confirmavit. S. BONIFACIUS in epiſtola ad ZACHARIAM, quæ eſt inter *Bonifacianas* 131. mentione iniicit de ſuperſtitionibus quibusdam paganicis *Romæ* Kal. *Ianuarii* agitari ſolitis, quæ fiebant peſſimo exemplo, inter alios, *Alemannorum*: „Quia (inquit) carnales homines, idiotæ *Alemanni*, vel *Baioarii*, vel *Franci*, ſi iuxta *Romanam* urbem aliquid facere viderint, ex his quæ nos prohibemus, licitum & conceſſum a ſacerdotibus eſſe putant, & nobis improperium deputant, ſibi ſcandalum vitæ accipiunt." *T. XIII. Bibl. PP. p. 125.*

Pleræque ſuperſtitiones paganicæ in citato Indiculo eius generis ſunt, reliquiæ quædam paganiſmi inter ipſos chriſtianos: in quibus abolendis S. BONIFACIUS imprimis, ut poſtea dicemus, elaboravit, aliique epiſcopi etiam *Alemanniæ*, quos magis ſibi devinxit, conſtituta metropoli *Moguntina* urbe in locum *Coloniæ*, ac epiſcopatibus vel reſtitutis, vel etiam noviter inſtitutis. *Alemanni* autem poſtea magis in ordinem redacti, loco ducum comitibus fiſcalibus, ac vicariis regiis conſtitutis ſub CAROLO M. poſtquam is totum *Francicum* regnum accepiſſet, pariter ac ſub LUDOVICO *Pio* eius filio. Comites illi ac vicarii regii chriſtianam religionem omni ſtudio excolebant, incolis iam mitiora ingenia adeptis, longioreque conſuetudine moribus & ſacris chriſtianis aſſuetactis. Ubi coniunctis ſtudiis ac collatis operis in comitiis etiam regni epiſcopi & abbates ſimul in ea omnia ſollicite incumbebant, quæ incrementa, vigorem, ſplendoremque religionis, tum reliquo *Francorum* regno, cuius fines latiſſime provexit CAROLUS M. cum *Alemannia* iam pacata, ſpectabant.

Ex Britannicis inſulis præcones evangelii.

V. Licet vero ſub imperio *Francico* lux evangelii in *Alemannia* reſplenduerit, obſcurius tamen eſt, quibus id factum ſit præconibus ex ipſo regno *Francico*, quam quomodo aliunde, potiſſimum ex remotis *Britanniæ* inſulis *Scotia* & *Hibernia*, accenſa ſit. In *Britanniam* iam ſub ELEUTHERII pontificatu fidem chriſtianam invectam eſſe, V. BEDA eſt auctor. *Lib. I. Hiſt. Angl. c. 4.* Ad annum 429. notat HERMANNUS *contractus* in chronico, AGRICOLAM, hæreticum *Pelagianiſtam Britannias* ſuo infeciſſe errore: quam hæreſin S. GERMANUS *Autiſiodorenſis* epiſcopus, a COELESTINO P. illuc miſſus, expugnarit, plurimisque ſaluti fuerit. Mox ad annum 431. refert, PALLADIUM ad *Scotos* Chriſto credentes a COELESTINO P. primum

mum epiſcopum eſſe miſſum. Quod maiori fructu S. Patricius præſtitit ex *Scotia* ortus, ſed in *Hibernia* exul non ſemel, cum in *Gallia* primum in *Maiori-monaſterio*, tum in *Lirinenſi* monaſticos etiam didiciſſet ritus, ut habet in Annalibus *Benedict.* Mabillonius, Palladio mortuo in *Hiberniam* a Coelestino pontifice miſſus, fundatis eccleſiis monaſteria etiam inſtituit, cum per ſe, tum per diſcipulos ſuos, etiam in epiſcopalibus eccleſiis: „quaſi funeſtiſſima iſta ætate (inquit Marshamus præfat. in Monaſt. *Angl.*) comparatum fuiſſet hoc vivendi inſtitutum, tutiſſimum adverſus humanas miſerias refugium. Unde Patricius in confeſſione ſua: Filii *Scotorum*, & filiæ regulorum monachi & virgines eſſe videntur.“ *T. I. lib. VIII. n. 2.*

Hæc non fruſtra aut præter inſtitutum præmiſimus, ut de origine, ac vitæ ratione eorum conſtet, qui primi ad nos illis ex partibus advenerunt apoſtoli. Inde certe a monachis ad nos lux evangelii eſt propagata, quomodo etiam illic a S. Augustino & ſociis a S. Gregorio M. miſſis iterum inducta eſt.

An primus S. Fridolinus?

VI. Primus, qui inde in partes noſtras conceſſerit, perhibetur S. Fridolinus, ſeu Fridoldus, prout inſcriptum fuiſſe memorat librum eius geſta continentem Baltherus, clericus *Seconienſis*, ſeu *Sekingenſis*, ſæc. X. in codice *Helerenſi*; is, & quicunque fere hactenus aliquid de S. Fridolino literis conſignarunt hiſtoriographi, S. Fridolinum ad tempora Clodovei primi ſeu magni referunt, qui *Alemanniam* ſubegit ad finem ſæculi quinti, chriſtianam poſtea demum profeſſus fidem, ac *Pictavis* ineunte demum ſæculo ſexto, pulſis *Viſigothis*, eſt potitus; ut vel hinc falſa eſſe comprobentur, quæ actitata inter S. Fridolinum & Clodoveum M. circa an. 495. vulgo referunt ſcriptores. Iamque Mabillonius *Annal. Bened.* lib. VIII. n. 27. ad an. 590. recte exiſtimavit, ad Clodovei poſteros ea eſſe vocanda. Et quidem catalogus abbatum & epiſcoporum *Pictav.* apud *Samarthanos* in *Gallia* chriſtiana ad Clodoveum ſecundum reponit: qui regnum *Neuſtriæ* ſuſcepit an. 638. poſtea Sigeberto fratri mortuo in toto regno *Franciæ* ſucceſſit an. 653. Circa ea tempora igitur S. Fridolinus *Pictavos* adveniens abbas ibi factus: deinde poteſtate a rege accepta in *Auſtraſiam* digreſſus monaſterium iuxta *Moſellæ* litus ſitum, *Heleram* dictum, iuxta Balterum conſtruxit, qui hoc ipſum inviſit monaſterium, ut res geſtas comperirit S. Fridolini. Qui vir ſanctus ibi diu non ſubſtitit, ſed ulterius *Alemanniam* verſus progreſſus in *Vogeſo* monte, deinde *Argentorati* in S. Hilarii honorem ædificavit eccleſias. Profectus inde per regnum *Burgundionum*, erecta in eo inviſit monaſteria ac pervenit in *Alemanniæ* urbem *Claronam Helvetiorum*,

&

& *Curiam Rhætorum*, iisdemque in locis in honorem S. Hilarii inſtruxit eccleſias. Tandemque appulit, quo, iuxta narrationem Balteri, monitu S. Hilarii eundum erat, *ad quandam inſulam Alamanniæ, Rheni cuiusdam fluminis undique lymphis circumdatam*, ubi etiamnum princeps eſt virginum cœnobium ad oppidum *Seckingen*, quod veterem urbem *Sanctionem* eſſe volunt Geographi, haud procul a veteri *Auguſta Rauracorum*, quam inter, & *Seckingam* mons *Iura* ſilvam *Martianam* attingit: ut, etiamſi nulla avitæ traditionis monaſterii *S. Blaſii* ratio habeatur, perſecutionum tempore in eam ſilvam ſe abdidiſſe chriſtianos; tamen hac in plaga, *Alemanniæ* meditullio, non ſolum chriſtiana, ſed etiam cœnobitica vita inſtituta a S. Fridolino habeatur, ubi eius ſepulchrum fidelium frequentia celebratur.

Vid. Pinacotheca Pr. Auſtr. P. II. lib. I. c. 7. n. 32. &c. p. 87. &c.

Cratepolius in libello de *Sanctis Germaniæ* aſſerit, S. Fridolinum anno Chriſti CCCCXC. etiam *Auguſtæ* prædicaſſe evangelium, & multos homines ad fidem Chriſti convertiſſe. „Quæ (aiunt *Bollandiſtæ*) uti in tempore aſſignato plane falſa ſunt, ita circa reliquam relationem in ſilentio antiquorum ſunt ſuſpecta.“ Haud magis certo aliquid conſtat, eum cœnobii *Conſtantienſis*, *Scotorum* vulgo dicti, auctorem fuiſſe. Licet locorum circumſtantiæ faveant, ac ſancti viri vitæ apoſtolicæ inſtitutum, quod varia loca obeundo ſectatus eſt, unde etiam *viator* eſt dictus. Quique ex nomine, quod *Teutonicæ* originis videatur, dubium movent, an *Scotus* natione fuerit, hinc *Scotum* potius dictum ſuſpicantur ex more gentis in terras noſtras præſertim peregrinandi.

T. I. Mart. p. 432.

S. Columbanus & Gallus.

VII. Qua de re quidquid ſit ex *Hibernia* ad nos transfretavit S. Columbanus, eodem tempore, quo S. Augustinus cum ſociis miſſus a S. Gregorio fuerat in *Angliam*. Dictus etiam Columba fuit, ſed ab altero cognomine *Scoto* diſtinguendus, cuius vita apud Canisium habetur a coævo S. Adamanno *Scoto* ſcripta, in qua de noſtro etiam Columbano fit mentio his verbis. „Alio itidem die ſanctus Columba in ſua commanens matrice eccleſia, repente in hanc ſubridens vocem erupit, dicens: Columbanus ad nos transnavigare incipiens nunc in undoſis *Charybdis* æſtibus valde periclitatur, Abbasque ad cœlum, in prora ſedens, palmas elevat; turbatum quoque & tam formidabile *pelagus* benedicit; quem tamen Dominus ſic terret, non ut navis naufragio, in qua ipſe reſedit, undis obruatur, ſed potius ad orandum intentius ſuſcitetur, ut ad nos, Deo propitio, poſt transvadatum perveniat periculum.“ Sigebertus ad an. 598. Columbæ illius obitum reponit, quod *Bibliothecæ Patrum* editores noſtro incaute applicuerunt. Cum idem

T. I. p. 674.

Si-

SIGEBERTUS hunc ab altero diſcernens an. 614. referat *Bobienſe* monaſterium in *Italia* conſtruxiſſe, pariter ac HERMANNUS *Contractus* in chronico.

Sanctus COLUMBANUS de *Luxovio* pulſus ad CHLOTHARIUM regem, inde ad THEODEBERTUM venit, eoque optionem manendi in regno dante, tandem per *Alemanniam Brigantium* migrans, ibi triennio manſit. In antiquiſſimo chronico monaſterii *Vallis Gregorianæ* in *Alſatia* ad annum 702. hæc referuntur: AUGUSTINUS *Anglorum archiepiſcopus migravit ad Dominum. S.* COLUMBANUS *Luxovio pulſus Brigantio manſit triennio.* Auctor vitæ S. COLUMBANI narrat: „pollicitum eſſe THEODEBERTUM *intra terminos ſuos loca venuſta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua; proximasque ad prædicandum nationes undique.* Ad hæc vir Dei *Si* (inquit) *pollicitationis tuæ adminiculum præbueris, & demum falſitatis noxam non oppoſueris, quantiſper moraturum me ſcias ac probaturum, ſi in cordibus gentium vicinarum fidem ſerere valuero.* Dedit ergo (pergit ſcriptor) optionem, quacunque in parte voluiſſet experimento quærere locum, qui ſibi & ſuis placuiſſet. Inde requiſivit locum, quem favor omnium laudabilem reddebat intra *Germaniæ* terminos *Rheno* tamen transmiſſo oppidum olim dirutum, quod *Brigantias* nuncupabatur.“ Narrat porro, quomodo *Moguntiæ* ab epiſcopo neceſſarium acceperit commeatum. „Deinde (proſequitur) perveniunt ad locum, quem peragrans vir Dei non ſuis placere animis, ait, ſed tamen ob fidem in eis ſerendam inibi pauliſper moraturum ſe ſpopondit. Sunt etenim inibi vicinæ nationes *Suevorum.* Quo cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos ſacrificium profanum litare velle, vasque magnum, quod vulgo *cupam* vocant, quod viginti & ſex modios amplius minusve capiebat, cereviſia plenum, in medio habebant poſitum. Ad quod vir Dei acceſſit, & ſciſcitatur, quid de illo fieri vellent? Illi aiunt: Deo ſuo *Vodano*, quem *Mercurium* vocant alii, ſe velle litare. Ille peſtiferum opus audiens, vas eminus ſufflat, miroque modo vas cum fragore diſſolvitur, & in fruſta dividitur, visque rapida cum cereviſia prorumpit: manifeſteque datur intelligi, diabolum in eo vaſe fuiſſe occultatum, qui per profanum litatorem caperet animas ſacrificantium. Videntes barbari, obſtupefacti aiunt, magnum virum Dei habere halitum, qui ſic poſſet diſſolvere vas ligaminibus munitum: caſtigatosque dictis evangelicis, ut ab his ſegregarentur ſacrificiis, domibus redire imperat. Multi ergo eorum tunc per beati viri ſuaſum ad doctrinam, & ad Chriſti fidem converſi baptiſmum conſecuti ſunt. Alioſque etiam, quos iam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum evangelicæ doctrinæ monitis ſuis, ut

Act. O.S.B. ſæc. II. p. 25.

bonus paſtor eccleſiæ ſeminibus reducebat ſparſis.“ Dubium mihi ſuboritur, an hic idem ſit locus, de quo WALAFRIDUS in vita S. GALLI: „infra partes *Alemanniæ* ad fluvium, qui *Lindimacus* vocatur. Iuxta quem ad ſuperiora tendentes pervenerunt ad lacum *Turicinum*, cumque per littus ambulantes veniſſent ad caput lacus ipſius in locum, qui *Tuconia* dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum: porro homines ibidem commanentes crudeles erant & impii, ſimulacra colentes, idola ſacrificiis venerantes, obſervantes auguria & divinationes, & multa, quæ contraria ſunt cultui divino, ſuperſtitioſa ſectantes. Sancti igitur homines cum cœpiſſent inter illos habitare, docebant eos adorare Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & cuſtodire fidei veritatem. Beatus quoque GALLUS, ſancti viri diſcipulus, zelo pietatis armatus, fana, in quibus dæmoniis ſacrificabant, igni ſuccendit, & quæcunque invenit oblata, demerſit in lacum. Qua cauſa permoti ira & invidia ſanctos inſectabantur, & communi conſilio GALLUM perimere voluerunt: COLUMBANUM vero flagellis cæſum, & contumeliis affectum de ſuis finibus proturbare.“ *Zugium*, *Tugium*, vulgo *Zug* ex pagis *Helvetiæ* eſt, cui dira imprecatus S. COLUMBANUS: „Poſthæc non timore perſecutionis perterritus (ut proſequitur WALAFRIDUS) ſed amore ſpiritalis lucri perſuaſus, contumacium ſterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quamplurimum prodeſſe interim potuiſſet. Pergens ergo inde cum ſuis pervenit in caſtrum, quod *Arbona* vocatur: & invenit ibi presbyterum bonitate conſpicuum nomine WILLIMARUM.“ *Arbona*, ſeu *Arbon* hodieque ſubſiſtit, *Romanorum Felix arbor*. Inde autem S. COLUMBANUS cum ſociis locum a WILLIMARO percontatus, *in quo cellula fieri potuiſſet cuſtodiis aliquantum regularibus opportuna*, indicatoque *Brigantio*, eo navi pervenit. „Egreſſi de navicula (ut narrat WALAFRIDUS) oratorium in honorem ſanctæ AURELIÆ conſtructum adierunt, quod poſtmodum B. COLUMBANUS in priſcum renovavit honorem . . . Repererunt autem in templo tres imagines æreas deauratas, parieti affixas, quas populus dimiſſo altaris ſacri cultu adorabat, & oblatis ſacrificiis dicere conſuevit: *Iſti ſunt Dii veteres, & antiqui huius loci tutores, quorum ſolatio & nos & noſtra perdurant uſque in præſens.* COLUMBANUS itaque B. GALLO id iniunxit officii, ut populum ab errore idololatriæ ad cultum Dei exhortatione ſalutari revocaret, quia ipſe hanc a Domino gratiam meruit, ut non ſolum latinæ, ſed etiam barbaricæ locutionis cognitionem non parvam haberet.“ Non ſolum iuſſus cœpit viam veritatis oſtendere congregato populo, ſed & in conſpectu omnium arripiens ſimulacra, & lapides in fruſta comminuens, proiecit in lacum. „His viſis (ſubdit

Cap. 4. Cap. 5. Cap. 6.

(ſubdit Walafridus) nonnulli converſi ſunt ad Dominum, & confitentes peccata ſua, laudes Domino pro ſua illuminatione dederunt. Alii propter imaginum comminutionem ira & furore commoti, gravi indignationis rabie turbidi receſſerunt." Narrat deinde, quomodo S. Columbanus eccleſiam dedicavit, unxit altare, & beatæ Aureliæ reliquias in eo collocavit, veſtitoque altari miſſas legitime compleverunt. Antiquiſſimus etiam S. Aureliæ fuit cultus *Argentorati*, templumque *Aurelianum*, nec non *Ratisbonæ*, de qua Wimphelingius de epiſcopis *Argentinenſ.* p. 27. Sunt qui eam ex ſodalitio S. Ursulæ fuiſſe exiſtiment. Id veriſimile eſt, eandem eſſe utrobique ſanctam, cuius adhuc oratorium in monaſterio *Augiæ maioris* prope *Brigantium* extat.

Subſtitiſſe eo loci tribus annis S. Columbanum, iam meminimus. „Interea (ut Walafridus refert) nonnulli civium propter idolorum ſuorum abolitionem prædicationis eorum monita contemnentes cœperunt contra eos odia concitare, inſidias machinari. Qua etiam intentione locorum ipſorum ducem, nomine Gunzonem adierunt, & apud eum accuſaverunt ſanctos, dicentes, venationem publicam in eisdem locis propter illorum infeſtationem peregrinorum eſſe turbatam. Quo audito dux furore accenſus miſſis nuntiis famulos Dei de loco eodem diſcedere iuſſit." Inde in *Italiam* cum ſociis eundi conſilium capit S. Columbanus, dum S. Gallus febri repentina detinetur, ægre id ferente S. Columbano, ac ſi itineris moleſtias detrectaret: „Scio fratres (ita abiens alloquitur S. Gallum) iam tibi oneroſum eſſe tantis pro me laboribus fatigari: tamen hoc diſceſſurus denuntio, ne me vivente in corpore miſſam celebrare præſumas." Walafridus vero merito *Alemanniæ* noſtræ ex morbo illo plaudit: „O infirmitatem (inquit) omni humano robore fortiorem. O febrem omni laude colendam! O languorem ſanitati & gaudiis adſcribendum! Exemplo enim Domini pro nobis Gallus doluit, ut animarum morbos prædicatione ſacra repelleret." *Cap.* 1.

Uti vero ex *Luxovienſi* S. Columbani monaſterio S. Deicola *Lutrenſis*, *Leopardus* cœnobii, quod deinde *Maurimonaſterium* vocatum eſt, Romaricus *Habendi*, cui montis ſancti nomen inditum eſt, conditores ad incrementum religionis chriſtianæ prodierunt, ita in hac parte orientali S. Gallus cellam, ampliſſimum poſtea ex nomine ſuo monaſterium condidit. „Sumens (ut Walafridus ait) virgam colurneam fecit crucem, & fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capſellam, in qua continebantur reliquiæ beatæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum martyrum Mauritii & Desiderii. Quam cum in ipſa cruce ſuſpendiſſet, vocavit diaconum & proſternaverunt ſe pariter in oratione &c." *Cap.* 11.

E 2 Idem

Idem narrat, quomodo eundem locum ieiunio dedicaverit, & ad caſtrum regreſſus mortem epiſcopi GAUDENTII *Conſtantienſis* cognoverit, atque oblatum ſibi epiſcopatum recuſarit, IOANNEM diaconum evocans, quem in *Rhætia*, ducem GUNZONEM adire primum nolens, invenit, litteris tamen ducis vocatus *Conſtantiam* venit, ut WALAFRIDUS habet, ſubditque: „Advocavit autem *Auguſtodunenſem* & *Virodunenſem* epiſcopos cum multitudine Clericorum. *Nemidona* etiam, quæ a modernis *Spira* vocatur, venire fecit epiſcopum: nec non per nuncios & epiſtolas ſuas totius *Alamanniæ* presbyteros & diaconos univerſasque Clericorum copias generaliter die denominata, id eſt, proxima paſchæ dominica apud *Conſtantiam* convenire præcepit: ipſe quoque cum principibus & comitibus ſuis huic intererat conventui.“ Quæ tum ipſius ducis tum *Alemanniæ* religionem produnt. Extat S. GALLI ſermo tunc *Conſtantiæ* habitus apud CANISIUM. Celebres ſunt etiam eius diſcipuli MAGNOALDUS & THEODORUS, WILLIMARI presbyteri *Arbonæ* clerici, unde S. GALLO ſunt coniuncti, non vero S. COLUMBANO, ut habent ſpuria acta S. MAGNI ſub nomine THEODORI ipſius, qui oratorium *Campidonæ* inſtruxerit, MAGNUS vero ſeu MAGNOALDUS monaſterium *Fauceſe* O. S. BENED. ubi adhuc oratorium oſtendunt, quo uſus ſit, ac baculum cum veſtibus nonnullis ſacris, aliisque reliquiis.

T. I. p. 785.

S. PIRMINIUS.

VIII. Ad alteram *Bodamici* lacus partem orientalem, ubi inſula *Augia* dicta, poſtea religioni chriſtianæ in *Alemannia* ſuccurrit S. PIRMINIUS, cuius adventum HEPIDANUS ad an. DCCXXIV. aſſignat his verbis: „Beatus PIRMINIUS, primo venit in *Augiam*, a GREGORIO II. in *Germaniam* miſſus, quemadmodum & BONIFACIUS ante VUNIFRIDUS dictus, natione *Anglus*.“ S. PIRMINII ignota eſt patria, nec certa aſſertaque habetur epiſcopalis ſedes, quam eius acta in caſtello *Meltis* obtinuiſſe perhibent. Unde alii poſt TRITHEMIUM, BARONIUS ſcilicet & MOLANUS in notis ad diem 3. *Nov.* BUCELINUS in menol. *Benedict.* BRUCHIUS in chronol. monaſt. *Germ.* VALESIUS in notitia *Gall.* v. *Meldi*, & alii *Meldenſem*, alii *Metenſem* epiſcopum faciunt, ut MABILLONIUS refert, qui HERMANNI *contracti* auctoritate nulli potius ſedi figendum putat, utpote quem is chorepiſcopum nominat ad annum DCCXXIV. „S. PIRMINIUS abbas & chorepiſcopus a BERCHTOLDO & VEHI principibus ad CAROLUM (*Tuditem*) ductus, *Augiæ*que inſulæ ab eo præfectus, ſerpentes inde fugabat, & cœnobialem inibi vitam inſtituit tribus annis.“ Ex quibus, ſubdit MABILLONIUS, intelligimus, PIRMINIUM abbatem & chorepiſcopum fuiſſe, priusquam *Augiam* inſulam peteret, an poſtea, incertum. Poſt MABILLONIUM hanc quæſtionem diſceptavit ſodalis ex congreg.

Act. O. S. B. ſæc. I. I. P. II. p. 127.

congreg. *S. Mauri* D. *Touſſaints du* Plessis in hiſtoria eccleſiæ *Melden-ſis* an. 1731. *Gallice* edita. Cum enim, perinde ac ante eum alii dili-gentiori indagatione Pirminium inter epiſcopos *Meldenſes* nuſpiam re-periret, verba autem Warmanni monachi *Augienſis* & epiſcopi *Conſtan-tienſis* in vita S. Pirminii ſæc. XI. ſcripta expreſſe habeant, S. Pirminium *obtinuiſſe ſedem epiſcopatus in Caſtello Meltis appellato*, Mabillonio aſ-ſentiendum haud exiſtimavit cum auctoritate Hermanni *contracti* chor-epiſcopum facienti. *Metenſem* autem ne credi poſſit, vel unus Paulus *diaconus* evincit, qui eodem adhuc, quo vixit Pirminius ſæc. VIII. libros de epiſcopis *Metenſibus* ſcripſit, neque vero S. Pirminii vel nomen habet, uti nec exactiſſimi epiſcoporum *Metenſium* catalogi. Hinc ſedem ei in *Metels-hem* ſeu *Meltes-hem* duabus leucis a monaſterio *Hornbacenſi*, conſtituit, non quod de ſe eſſet ſedes epiſcopalis, ſed quod S. Pirminius, epiſcopali charactere inſignitus in patria *Hibernia* vel *Anglia*, ibi eam ſibi conſtituerit prope monaſterium a ſe fundatum poſt alia complura ubivis gentium, quas, *Alemannicam* cumprimis, in fide inſtituendas, confir-mandasque adiit: unde etiam ſuapte ſe ratio prodit, cur ab Herman-no *contracto* chorepiſcopus dici potuerit, antequam ad monaſterium *Horn-bacenſe* conſediſſet.

Antea nimirum Sintlacem, *Augiæ* inſulæ dominum, ſanctitatis ac præ-dicationis fama commotum, ab eo petiiſſe, ut genti ſuæ prædicationis officium impenderet, auctor vitæ illius habet, ſic autem loquentem indu-cit: „Væ autem mentis ſterilitati, cui nullus cœlica propinat fluenta, cuius rectores torpori indulgent, negligentiæ manum dant, Chriſto ni-hil lucrari meditantur: quia ſibi viventes, pecuniam Domini ſui ſanctæ uſuræ accommodare non conantur.“ Ex quibus verbis religionem qui-dem chriſtianam, ſed deplorabili in ſtatu, hac *Alemanniæ* parte intelli-gimus.

Noluit tamen S. Pirminius alienæ meſſi falcem immittere, niſi *Romani* pontificis accepta poteſtate, quam obtinendi cauſa ipſum cum Sintlace *Romam* contendiſſe, auctor vitæ narrat, atque cum epiſtola commenda-titia ad Theodericum regem rediiſſe, monitum ſerio ad laborandum ſtrenue in vinea Domini. „Accepta igitur (ſunt verba anonymi) tam congruæ occaſionis facultate vir Dei, primo ad *Alamannorum* gentem proficiſci diſpoſuit: quo dum perveniſſet, veluti cœlitus imber diffuſus, omnium ad ſe venientium corda fecundiſſimo ſalutaris verbi rore marita-vit: commoransque in loco, qui vocatur *Sintlacis Owa*, venienti viam paravit Domino, prava mutans in directum, & aſpera in vias planas, & ex duris impolitisque lapidibus filios Abrahæ quadrans.“ Certum eſ-

Apud Mabill. cit. p. 144.

 ſe

ſe debet, non ſe continuiſſe zelum ſancti paſtoris parvis *Augiæ* inſulæ ſpaciis, atque in patentem etiam *Alemanniam* excurriſſe.

pag. 65. Extat inter analecta MABILLONII libellus abbatis PIRMINII *de ſingulis libris Scarapſus*, ubi ex illis, quæ ex regula S. BENEDICTI ad verbum refert, hoc inſtitutum eſſe ſecutum, patet, uti etiam ex monaſteriis compluribus, ab ipſo inſtructis in *Bavaria*, *Alſatia*, *Brisgoia*, & ad ulteriorem inferiorem *Rhenum*, poſtquam ex *Augia* expulſus eſſet a THEOBALDO, GODEFRIDI quondam *Alemanniæ* ducis filio. *Altaha*, *Scutera*, *Gengenbach*, *Suarzaha*, *Murbach*, *Moresmunſter*, *Nowenwillare* a vitæ eius ſcriptore recenſentur. In monaſterio *Hornbacenſi* (*Gamundeo* ob duorum confluentiam rivulorum etiam dicto) demum ſubſtitit diemque ſupremum obiit, ubi eum etiam S. BONIFACIUS inviſit. „Quem beatus excipiens PYRMINIUS (ut vitæ auctor habet) magno gratulabatur affectu, quod a tanto meruit viſitari ſacerdote. Æſtimare datur, quanta in utrorumque cordibus extitit lætitia. . . Amoris itaque divini inſtinctu aliquantulum temporis pariter tranſigere decreverunt, ut a ſaluberrima collationis efficacia de ſtatu eccleſiarum ſanctarum, de uniendo in vera pacis concordia ritu plebium commiſſarum, multa proponerent, utiliſſima quæque deliberarent.“

(Margin: pag. 71. — pag. 149.)

S. BONIFACIUS Germaniæ apoſtolus.

IX. S. BONIFACIUS præ cæteris nomen accepit ac promeruit apoſtoli *Germaniæ*. *In transmarina Saxonia natum & enutritum ſe*, hoc eſt in *Anglia*, ipſe teſtatur. Fruſtra primum tentavit apoſtolicum hoc munus, in *Friſiam* traiectus. Secundo dein profectus eſt cum comendatitiis DANIELIS diœceſani, hoc eſt, WENTANI antiſtitis, ac encyclicis quidem ad omnes, tum ſingulariter ad *Romanum* pontificem GREGORIUM II. quo is ipſo anno, ſeptingenteſimo nimirum decimo quinto, in locum CONSTANTINI ſuffectus eſt. *Roma* deinde ſequenti anno cum plena poteſtate epiſcopus ab eodem absque certa ſede conſecratus, in *Germaniam* venit: ad quem anum Chronicon *Wirzburgenſe* apud BALUZIUM hoc notat: „Sanctus BONIFACIUS, qui & WINFRIDUS a GREGORIO Papa in *Franciam* ad prædicandum verbum Dei miſſus eſt.“

T. I Miſcell. p. 501.

Sub *Francico* regno *Alemannia* comprehendebatur, quamvis eam minus triverit, quam reliquas *Franciæ* aliasque *Germaniæ* provincias, quod magis neceſſariam ac proficuam ſuam crederet operam, cum ad omnes promiſcue legationem accepiſſet, ſolitus ſe etiam in epiſtolis appellare legatum *Germanicum* a) catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, atque in litteris

T. XIII. Bibl. PP. p. 119.

a

a) Sic ipſe epiſtolam apud SERARIUM inſcribit: „Coepiſcopis venerabilibus, presbyteris candidatis, gratia diaconibus, canonicis, clericis, vero gregi Chriſti, prælatis, abbatibus ſeu abbatiſſis humillimis, & pro Chriſto ſubditis monachis, conſecratis

teris pontificiis irreſtrictam accepit miſſionem. „Ideo in nomine indiviſibilis Trinitatis per inconcuſſam auctoritatem beati Petri apoſtolorum principis, cuius doctrinæ magiſterii diſpenſatione fungimur, & locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præcipimus, ut in verbo gratiæ Dei (quo igne ſalutifero, quem mittere Dominus venit in terram, enitere videris) ad gentes quaſcunque infidelitatis errore detentas properare Deo comitante potueris, miniſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti, veritatis ſuaſione deſignes.“ Othlo in vita S. Bonifacii lib. I. c. 46. „Sanctus præſul Bonifacius (inquit) omnium *Germaniæ* incolarum (pater) dici poteſt, pro eo quod illos verbo ſanctæ prædicationis primitus Chriſto genuit, exemplis confirmavit.“ Annales *Francorum Fuldenſes* ad an. 719. „Bonifacius prædicatione ſua multos populos *Thuringorum* videlicet, *Heſſiorum*, & *Auſtraſianorum* ad fidem rectam, a qua diu aberraverant, convertit.“ *Auſtraſiis Franci* orientales & *Alemanni* accenſentur.

Propius etiam *Alemanniam* contingere videtur initium epiſtolæ 123. *pag.* 120. poſt peculiares ad *Thuringos* & *Altſaxones*. Sic vero habet: „Sollicitudinem nimiam gerentes pro ſpeculatione credita, quia in umbra mortis aliquas gentes in *Germaniæ* partibus, vel plaga orientali *Rheni* fluminis, antiquo hoſte ſuadente errare, quaſi ſub religione chriſtiana idolorum culturæ eos ſervire cognovimus.“ Diſcimus ex epiſtola 129. ad epiſcopos in provincia *Baioariorum* & *Alemanniæ* conſtitutos, quænam tum adhuc fuerint eliminandæ ſuperſtitiones, & quasnam dederit S. Bonifacio partes ac vices pontifex, quas iuvare collatis conſiliis in Synodo deliberent. „Oportunum namque eſt, vos noſſe fratrem, ac coepiſcopum noſtrum præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere: & miniſterium eccleſiaſticum cum fide catholica ſecundum morem & normam S. catholicæ & apoſtolicæ Dei eccleſiæ, cui miſericordia Dei præveniente, præeſſe videmur, ſicut apoſtolica a nobis auctoritate deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes dignanter teneatis, & gentilitatis ritum & doctrinam vel venientium *Britonum*, vel falſorum ſacerdotum hæreticorum, ſive adulatores, aut undecunque ſint renuentes ac prohibentes abiiciatis, & ut populum vobis a Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis: & a ſacrificiis mortuorum omnino devitetis: & iuxta quod fueritis a prædicto noſtro conſacerdote edocti,

& Deo devotis virginibus & cunctis conſecratis ancillis Chriſti, imo generaliter omnibus Catholicis Deum timentibus de ſtirpe & proſapiâ *Anglorum* procreatis, eiusdem generis vernaculus, & univerſalis Eccleſiæ legatus *Germanicus*, & ſervus ſedis apoſtolicæ Bonifacius, qui & Wynfrethus ſine prærogativa meritorum nominatur archiepiſcopus &c.“

edocti, ita catholicam & apoſtolicam doctrinam tenentes Domino Deo & Salvatori noſtro placere feſtinetis: & in quo vobis loco ad celebranda concilia convenire mandaverit, ſive iuxta *Danubium*, ſive in civitate *Auguſta*, vel ubicunque indicaverit, pro nomine Chriſti parati inveniamini.“ In ſequenti mox epiſtola ad ipſum BONIFACIUM ſcribitur de concilio iuxta ripam *Danubii* celebrando. Unde fuerunt qui *Ratisbonæ* habitum fuiſſe putent; alii tamen *Friſingæ*, vel *Auguſtæ*.

T. I. Conc. Germ. p. 39. Epiſcopis, qui initio epiſtolæ nominantur, ſuas ſedes in *Alemannia* fere aſſignant MABILLONIUS, & ex eo ECCHARTUS, WIGONI a) *Auguſtanam*, LUIDONI *Spirenſem*, RUDOLTO *Conſtantienſem*, WIVILO *Patavienſem*, *Argentoratenſem* ADDÆ, ſeu HEDDONI, HETHONI, b) quem S. PIRMINIUS *Augia* diſcedens primum poſt ſe abbatem ibidem conſtituerat. Ex quibus ſoli WIVILO extra *Alemanniam* fuit ſedes, de quo in epiſtola mox laudata GREGORII III. occurrit mentio: quemque aliunde conſtat, *Patavienſem* tunc fuiſſe epiſcopum. In catalogis quidem *Auguſtanis* & *Conſtantienſibus* hactenus nullus eius nominis eo tempore legebatur epiſcopus, ut hic deſignantur. In epiſtola ZACHARIÆ P. qui GREGORIO III. ſucceſſit, HEDDO *Strasburgenſis* nominatur cum aliis ex diverſis provinciis; DAVIDI *Spironenſi* itidem epiſtola inſcribitur. BASINUS *Spirenſis* epiſc. anno 762. cum aliis epiſcopis ſubſcribit chartæ PIPINI.

Occurrunt etiam alia nomina in capitulari KARLOMANNI, dato in plena ſynodo an. DCCXLII. Nominat enim poſt BONIFACIUM *archiepiſcopum*, BURCHARDUM, & REGENFRIDUM, & VUINTANUM, & VUITBALDUM, & DADANUM, & EDDANUM, & *reliquos epiſcopos cum preſbyteris eorum*. BURCHARDUS nimirum *Wirceburgenſis*, REGENFRIDUS *Colonienſis*, VUINTANUS *Buraburgenſis*, VUITBALDUS *Euchſtetenſis*, DADANUS *Ultraiectanus*, EDDANUS, EDDO, ſeu HEDDO de quo ſupra (legitur adhuc in conventu *Attiniacenſi* EDDA *Stradtburgenſis* cum LULLO *Moguntino*, BALDEBERTO *Baſilienſi*, *Ioanne Conſtantienſi Alemanniæ* epiſcopis) *Argentoratenſis* ſolus *Alemannicus* eſt. Sed alii inter reliquos epiſcopos eſſe potuerunt, cum *Alemannia* tunc ad CAROLOMANNUM pertinuerit,

qui

a) Apud OTHLONEM in vita S. BONIF. lib. I. c. 38. vocantur WIGO, LUIDO, RUDOLTUS & WIVILO, epiſtolam VIGGONI, LUIDONI, RUDOLTO & PHILIPPO ſeu ADDÆ GREGORIUS P. III. inſcribit. PHILIPPO, id eſt, WIWILO ſeu VIVILO.

b) Hic, teſte SCHOEPFLINO in *Alſatia illuſt. T. I. p.* 783. monachus *Augienſis* primum, S. PIRMINII diſcipulus, eiusdem monaſterii an. DCCXXVII. conſtitutus eſt abbas: an. DCCXXXII. a THEOBALDO, *Alemanniæ* duce, relegatus *Muraniam*; a CAROLO *Martello* revocatus anno DCCXXXIV. denique factus eſt *Strateburgi* antiſtes. Dignitati diutiſſime præfuit; anno enim PIPINI XI. æræ Chriſti DCCLXIII. teſtamentum condidit, quod ad noſtra tempora pervenit. Patet ex illo, EDDONEM plura ex paterna hæreditate bona poſſediſſe in *Suevia* ducatu imo & in vicina *Ergovia* &c.

Digitized by Google

qui Bonifacium accivit, ut in parte *Francorum* in ſua ditione ſive poteſtate conſtituta ſynodum celebraret, quæ ſunt ipſa Zachariæ P. ad Bonifacium eo ipſo anno ſcribentis verba.

Studioſe etiam ſedem metropoliticam *Moguntiæ* eſſe voluit, mutato de *Colonia* conſilio, quamprimum ex criminibus Gevilibbi epiſcopi *Moguntini* eum deponendi occaſio eſt data. Quæ inter alias cauſa alterius ſynodi fuit an. 745. conſiliumque probavit Zacharias. Perperam autem in chronico *Wirzburgenſi* apud Baluzium annus DCCXIX. aſſignatur, quo S. Bonifacius *Moguntiacenſis* civitatis a Gregorio papa archiepiſcopus renunciatus fuerit. Extat eam in rem Zachariæ P. epiſtola ad S. Bonifacium ineunte anno 752. quo obiit pontifex die 14. *Martii*, qua *auctoritate B. Petri apoſtoli* ſancit, *ut ſupra* dicta eccleſia *Moguntia*, perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has civitates, id eſt, *Tungris*, *Coloniam*, *Wormatiam*, *Spiratiam* & *Trectis*, & omnes *Germaniæ* gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen cognoſcere fecit. Nihil hic de *Auguſtano*, *Conſtantienſi*, *Argentoratenſi* epiſcopatibus in *Alemannia*, quorum nomina ſupra recenſuimus, Gregoriusque III. P. ad concilium a S. Bonifacio celebrandum citavit anno 740. in concilio autem anni 742. Eddanus, ſeu Heddo *Argentoratenſis* nominatur ex illis, qui hodieque iuri metropolitico *Moguntino* ſubſunt. *Moguntia Alemanniæ* finitima eſt. Ac poſtquam iterum antiquam ſuam prærogativam & quidem per S. Bonifacium eſt conſecuta, qualem olim, diviſione inter *Germaniam* primam & ſecundam apud *Romanos* obtinente, habuit, *Alemanniæ* epiſcopos pleroſque deinceps iure metropolitico tenuit, retinuitque poſtquam diviſis metropoliticis iuribus non parum de ſua amplitudine deperdidit *Moguntia*.

T. I. Miſcell. p. 501.

X. Breviter nunc porro eorum iniicienda eſt mentio, qui aut viam complanarunt S. Bonifacio, aut cum ipſo elaboraverunt in vinea Domini, atque ab ipſo inſtituti ſunt in vicinis regionibus, unde etiam ſplendor in *Alemanniam* noſtram, veluti a ſparſis ſolis radiis, refulſit, aut viciſſim hinc ad alias nationes evangelii lux pervenit. Ex his cenſentur ſæc. VII. S. Audomarus epiſcopus *Terovanenſis Burgundiæ* Apoſtolus, eiusque ſocius S. Bertinus abbas *Sithinenſis*.

Eiusque adiutores.

Ecgbertus fruſtra converſionem *Germaniæ* meditatus, ex *Hibernia* cum ſociis navali itinere in *Friſiam* contendere cœpit; ex omnibus unus Wicberht in *Friſia* appulit, duobus annis continuis genti ac regi Ratbodo verbum ſalutis prædicabat; neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros invenit auditores, ut tradit Beda, additque: „Ut

Lib. V. hiſt. c. 10. 11.

 au-

autem vidit vir Domini Ecgberht, quia nec ipſe ad prædicandum gentibus venire permittebatur, nec Wicbercht illas deveniens in partes quidquam proficiebat; tentavit adhuc in opus verbi mittere viros ſanctos & induſtrios, in quibus eximius Wilbrordus presbyterii gradu & merito præfulgebat.“ Qui cum adveniſſent (erant autem numero duodecim in quibus Suitbertus) divertentes ad Pipinum ducem *Francorum*, gratanter ab illo ſuſcepti ſunt. Accidiſſe hanc profectionem tempore Sergii P. diſcimus ex epiſtola S. Bonifacii ad Stephanum P. „Quem præfatus papa epiſcopum ordinavit, & ad prædicandum paganam gentem Fresonum transmiſit in littoribus oceani occidui,“ ut ibi habet S. Bonifacius, totaque epiſtola in laudes Wilibrordi excurrit. Divertentem ad ſe S. Bonifacium retinere ſtuduit Wilibrordus, ac difficulter dimiſit, cauſantem neceſſitatem ſibi iniunctam *Germanis* evangelium prædicandi, quam in rem ſocios ſibi accerſivit, pleroſque ex gente ſua, quosdam etiam ex *Francis*, ut notat Mabillonius. In his fuere Wigbertus, Denevaldus, Lullus, Burchardus, & Megingozus, Wilibaldus & Wunebaldus germani fratres, ipſius Bonifacii conſanguinei, Gregorius etiam ex nobili proſapia *Francorum &c.* Plerorumque labores ac ſtudia in vita S. Gregorii *Ultraiectenſis* a S. Ludgero ſcripta commendantur. „Lullus *Moguntiam* metropolitanam civitatem cum maxima parte orientalium *Francorum*, qui in parochia urbis illius conſtiterunt, incoluit. Megingozus venerabilis pater & paſtor gregis ſibi commiſſi *Wirzeburg* cum ſuis adiacentiis in ſua forte ſale ſapientiæ doctrinæ ſuæ condivit, & cuſtodivit. Wilibaldus electus Dei antiſtes epiſcopatum, quod nuncupatur in *Hebſtedi*, in parte proxima urbis *Baiuariorum*, id eſt, in *Nordgoe*, ſimili modo, ut pius pater a fundamentis illud erigens melioravit & cuſtodivit. Nec non & germanus prædicti Wilibaldi nomine Wunibaldus presbyter, magiſtro meo B. Gregorio valde carus, & ipſe locum & regionem ſuam ſancte & feliciter illuſtravit, qui poſt obitum ſuum, quid vivens fecerit, magis miraculis oſtendit. Sturmi vero venerabilis abbas unus ex numero illorum electorum Dei quantum profecerit in eremo ſua poſt martyrium S. magiſtri, *Buchonia* ſilva in teſtimonio eſt: quæ prius omnimodis inculta erat ac deſerta; nunc autem ab oriente uſque ad occidentem, a ſeptentrione uſque ad meridiem eccleſiis Dei & electis palmitibus monachorum repleta eſt..... Duo autem ex illis electi Dei Wigbertus & Burghardus ante magiſtrum migrarunt e ſæculo. Sed non ſunt illi abſque palma electionis ſuæ, dum ad regna cœleſtia magiſtrum præcedere meruerunt &c.

pag. 112.

Lib. XX. annal. n. 63.

Bur-

Digitized by Google

Burchardus hic primus fuit a S. Bonifacio conſtitutus *Wirzburgenſis* epiſcopus, qui Megingozum ſucceſſorem deſignavit. S. Kilianus quidem harum regionum incolas gentiles chriſtiana fide imbuerat, ſed fixam ſedem non habuit, a Conone P. ordinatus *Romæ* cum Kolomanno presbytero, & Totmanno levita ad locum ſibi deſtinatum venit, ut in eius vita habetur, ad prædictum oppidum orientalis *Franciæ Wirziburg*, illuſtri cum ſociis conſummatus martyrio, iuxta chronicon *Wirziburgenſe* anno dclxxxvi. Iam antea circa medium ſæculi VII. in his plagis S. Goar inclaruit, ex *Aquitania* in *Germaniam* ſecedens, vitæ quidem eremiticæ ſtudio, cui tamen, ut in eius vita apud Mabillonium, *Dominus tantam gratiam concedere dignatus eſt, ut multi paganorum per verbum ipſius ad ſalutem animarum ſuarum pervenirent.* Eius nomine adhuc locus inſignitur prope confluentias *Rheni* & *Moſellæ*. Adventus eius in *Germaniam* ad finem ſæculi ſexti figitur in chronico anonymi apud Canisium p. 242. *Sæc. II. Bened. p. 276.* *T. III. P. II.*

S. Amandum apoſtolum *Gallo-Belgam*, epiſcopum *Traiectenſem* vergente ſæculo ſeptimo *Argentinenſes* etiam ac *Wormatienſes* ſuum faciunt. *Wormatienſi* eccleſiæ præpoſitus *vir apoſtolicus* Amandus celebratur, cui Dagobertus rex donavit an. 636. civitatem *Laudemburg*, quam peculiari opuſculo *Marquardus* Freherus vetus *Lupodunum* eſſe contendit. Poſt eiusdem ſeptimi ſæculi medium iam paſſim reiiciunt, duce Mabillonio (cum alii ſæculo ſexto ponant) Rudbertum ex *Wormatienſi*, ut tradunt, epiſcopo *Boiariæ* apoſtolum poſt Eustasium abbatem *Luxovienſem*, ante vero Virgilium, Corbinianum & Wilibaldum, quem S. Bonifacius *Eichſtetenſi* eccleſiæ, quæ modica ad id tempus erat, primum epiſcopum conſtituit. Quo ex loco Rudbertus, ſeu Rutbertus ortus ſit, incertum eſt Mabillonio in annalibus. „Facile (inquit) unum e ſancti Wilibrordi ſociis eſſe crederem, niſi *Francus* origine a primo ipſius vitæ ſcriptore diceretur.“ In hiſtoria S. Ruperti apud Canisium, ex regali proſapia *Francorum* ducumque *Scotiæ* originem duxiſſe, antiqua tradi hiſtoria dicitur, qui unacum fratre Trudberto & ſorore Erindrude in *Scotia* a S. Patricio ſit baptizatus. In actis S. Trudperti M. apud P. Herrgott: „Ex *Hibernia* inſula orti (perhibentur) iuxta evangelicum præceptum, domum patriamque mente integerrima relinquentes, crucemque corde geſtantes Chriſti, ad beati Petri principis apoſtolorum limina convolarunt, ut ſummi clavigeri precibus animadvertere mererentur, quibusnam mundi partibus Dei ſervitium inchoare deberent. Et quia nemo eſt, ſi propria voluntas non titubaverit, qui Dei adiutorium ſanctorumque illius incaſſum quærat patrocinium: præfati germani de *Roma* repedantes *Conc. Germ. T. I. p. 26.* *Lib. XVIII. n. 50.* *T. III. P. II. p. 319.* *Geneal. dipl. Habsb. T. I. p. 286.*

tes certiſſimi, ut fertur, facti erant, quibus in locis Dei famulatum & præſentem vitam terminare, nunquam morituri felici memoria, deberent. Unus namque eorum *Baiariis* partibus remeans, Hugbertus nomine, digniſſimam ſui nominis retinens memoriam, clariſſimis miraculorum ſignis actenus inſertus floret in orbe. Alter vero Trutpertus nomine *Italiæ* fines pertranſiens, *Rheni*que fluminis curſum ſequens *Alamanniæ* provinciæ maximam partem pertranſiens, in pago *Priſicauge* (*Briſgoiæ*) haud longe vallem quandam in ſaltu vicino, quaſi a Deo ſibi aſſignatam, magno cum conamine cœpit inquirere.“ Ad radices nimirum ſilvæ noſtræ *Martianæ*, ſeu nigræ, ubi ab impiis ſicariis peremtus martyr colitur, inſtructo eo loci monaſterio Ord. *S. Benedicti*, ex eius nomine. In memoriam is revocat S. Fintanum, *Hibernum* pariter, in monaſterio *Rhenaugienſi* recluſum ineunte ſæc. nono, qui religionem unacum reliquiis S. *Blaſii* intulit ſuo *Rhenaugienſi* ac noſtro *S. Blaſii*, quod & nomen retinet, antea *cella alba*, eiusque incolæ *fratres ad Albam* dicti. Creditur is antiquiſſimum, quod inter monumenta liturgica edemus, ſacramentarium *Alemanniæ* intuliſſe.

Alii codd. Ruobertus.

Vitæ monaſticæ ſectatores ac propagatores.

XI. Id demum eſt notandum, quotquot tum alienigenæ, tum indigenæ apoſtoli ſub regno *Francico* in *Alemannia* noſtra, uti etiam alibi gentium, chriſtianam religionem diſſeminarunt, monaſtici fuiſſe inſtituti, quod unacum fide undique propagarunt.

Lib. VIII. n. 27.

Refert Mabillonius in annalibus locum ex Gogi, viri potentis in aula Sigeberti regis, epiſtola ad Petrum epiſcopum *Metenſem*, ubi ad finem Gogus ſalutat abbatem quemdam, *cuius greſſibus indeſinenter ſanctorum limina viſitantur*, & qui *nunc ſuper Moſellæ littoribus præcelſa templi cernitur conſtruxiſſe iam culmina.* Nec dubitat, quin de Fridolino abbate, & de *Helera* ad *Moſellam* cœnobio, ab eodem conſtructo, intelligendus ſit. In *Auſtraſianas* quippe partes profectus, poteſtate a rege accepta, monaſterium in honorem S. Hilarii conſtruxit: quod Balterus aliquando inviſit, & iuxta *Moſellæ* littus ſitum, atque *Heleram* dictum fuiſſe teſtatur. Præcipuum fuit cœnobium virginum in inſula *Rheni*, dicta *Seconia*, nunc *Seckinga*, poſſeſſiones ſuppeditante Ursione, nobili viro ex urbe *Clarona*, quæ caput eſt cognominis pagi *Helvetici.* Notat idem Mabillonius Balterum exiſtimantem, puellas nobiles *Secanenienſes* iam *canonicam ſanctimonialium vitam* ab initio duxiſſe, nempe habita ratione ſui temporis, quo a monachico habitu & inſtituto ad canonicarum mores deflexerant. „Verum (ſubdit) tempore Fridolini abbatis nullas in cœnobiis puellas præter monachas extitiſſe, nec

niſi

niſi Caroli M. principatu hoc vitæ genus inſtitutum fuiſſe, ſuo loco demonſtrabimus.“ Scriptores noſtri ad unum omnes confitentur, vitæ monaſticæ fundamenta poſuiſſe, uti alibi, ita etiam apud *Rauracos* S. Fridolinum.

De S. Columbano eiusque ſociis ac diſcipulis dubium non eſt, paſſimque probat Mabillonius, eius regulæ iunctam fuiſſe regulam S. Benedicti, moxque ſubſtitutam. P. *Philippus* Bastide ex Congr. *S. Mauri*, in diſſertatione de antiqua ordinis S. Benedicti intra *Gallias* propagatione, quæ parti ſecundæ ſæc. III. Actor. ord. S. Bened. ſubnectitur, probat capite decimo, monaſteria a S. Columbano & ab ipſius diſcipulis etiam ante annum ſexcenteſimum vigeſimum quintum exædificata a ſuo ipſorum exordio *Benedictinæ* regulæ addicta fuiſſe. Monaſteria complura a S. Pirminio fundata, quæ ſuperſunt, ſingula regulam S. Benedicti conſtanter ſequuntur. Ex quibus quædam huic non originem ſed profectum debere, probat Mabillonius, uti *Schuteranum*, *Weiſſenburgenſe*, & *Mauri-monaſterium* in *Alſatia* omnium antiquiſſimum Childeberto rege fundatore a primo abbate S. Leobardo *Leobardi-cella*, deinde ſub Theoderico *Calenſi* circa annum 724. a S. Mauro, Leobardi II. ſucceſſore ac cœnobii reſtauratore, nomen indeptum. Ad annum 632. ponitur *initium leucopolis cœnobii*, *quod latine Wizenburch dicitur* in antiquiſſimo chronico monaſterii *Gregorianæ* vallis in *Alſatia*, & mox ad annum 634. Oswaldus nominatur cum nota *hoc anno imprimis inceptus eſt hic locus a monachis habitari*: paullo poſt ad annum 643. Oswaldus *occubuit*, primus ſcilicet abbas, cuius ſucceſſores Iustus & Maximinus proximi poſt S. Amandum epiſcopi *Argentinenſes* a Schoepflino collocantur, Ansualdus vero, & Clodvinus abbates conſequenter dicti monaſterii, quod S. Gregorii M. P. diſcipulis eo delatis ſua initia debere creditur. De aliis monaſteriis nonnullis etiam ſuperius mentionem iniecimus in illis partibus ex *Luxovienſi* prodeuntibus. Paſſimque in annalibus origines eiusmodi prodit Mabillonius ante Pirminium, ſub ſtirpe adhuc *Merovingica*.

Alſat. illuſt. T. I. p. 337.

De S. Bonifacio teſtatur Othlonus in eius vita: „In provinciam patriamque ſuam mittens, exinde tam feminas, quam viros religioſos ſcientia varia imbutos plures venire fecit, ſuique laboris onus inter eos diviſit.“ Et viris quidem, ſubdit his relatis Mabillonius, monachorum, virginum autem cœnobia feminis commiſit, ut ſubditos ſibi regerent ex regulæ *Benedictinæ* præſcripto, cui Bonifacium ab ineunte ætate morem geſſiſſe, ex Vuilibaldi vita c. 2. conſtat. Hinc Marianus *Scotus* poſt annalium *Fuldenſium* conditorem ait, monaſteria ſexus utriusque in *Ger-*

Lib. I. c. 25.

Act. O. S. B. ſæc. III. P. II. p. 3.

mania primo inſtituta fuiſſe a BONIFACIO; tametſi iam WILIBRORDUS nonnulla conſtruxerit. De præcipuo *Fuldenſi*, a ſe fundato, ipſe teſtatur S. BONIFACIUS in epiſtola ad ZACHARIAM P. „Eſt præterea locus ſylvaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis: in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo monaſterium conſtruentes, monachos conſtituimus ſub regula ſancti Patris BENEDICTI viventes.“ Ubi quidem haud obſcure prodit, quo fine in medio nationum prædicationis ſuæ monaſterium conſtruxerit *Germaniæ* iſte apoſtolus, atque annales noſtri fructum abunde loquuntur. „Quatuor potiſſimum beneficia (inquit MABILLONIUS) ordini noſtro *Germania* referre debet accepta, nempe converſionem gentis ad religionem chriſtianam, eccleſiarum cathedralium inſtitutionem, ſcientiarum diſciplinam, ſoli cultum & ornatum.“ De quibus agit ſingillatim.

Ep. CXLI.

Præfat. in ſæc. III. O. S. Bened. §. II.

Erectis poſtea, per monaſteria præſertim, ſcholis.

XII. Semper *Benedictina* familia, poſtquam etiam iam fides Chriſtiana ubique fuit ſuſcepta, ac floruit, in inſtituendis rudibus, a prima puerili etiam in ſcholis inſtitutione, ſedulo elaboravit. Quarum certe magna pars apud LAUNOIUM *de Scholis celebrioribus* in monaſteriis ordinis noſtri fuit.

Præcipue CAROLO M. hæc maxima fuit cura de inſtituendis ſcholis, in cuius Capitularibus de illis ſæpe recurrit mentio, ac ſingularis habetur conſtitutio *de ſcholis per ſingula epiſcopia & monaſteria inſtituendis*, miſſa ad BAUGULFUM *Fuldenſem* abbatem. Recte a teneris annis hæc inſtitutio petebatur. „Ut ſcholæ legentium puerorum fiant. Pſalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam per ſingula monaſteria vel epiſcopia diſcant. Sed & libros catholicos bene emendatos habeant: quia ſæpe, dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant, & pueros veſtros non ſinite eos vel legendo vel ſcribendo corrumpere. Et ſi opus eſt evangelium & pſalterium & miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia.“ Ita in Capitulari I. an. 789. quod in collectione ANSEGISI abbatis, & BENEDICTI levitæ bis habetur lib. I. c. 68. & lib. VI. c. 377. Qui libros eo ac anterioribus præſertim temporibus ſcriptos verſant, norunt, quam opus tum fuerit a prima legendi & ſcribendi diſciplina auſpicari. In vita S. MEINWERICI de inſtituta ſub CAROLO M. *Padernbornenſi* ſchola ita habetur: *Studiorum multiplicia ſub eo floruerunt exercitia, & bonæ indolis iuvenes & pueri ſtrenue inſtituebantur norma regulari, proficientes haud ſegniter in clauſtrali diſciplina omniumque litterarum doctrina.* In conc. *Cabill.* II. & *Pariſienſi* ſub LUDOVICO *Pio* idem inculcatur. Qua in re opera epiſcoporum pariter ac comitum, qui *miſſi* erant *dominici*, maxime

T. I. Conc. Germ. p. 261.

T. I. Capit. p. 992.

C. 52.

C. 3.

xime

xime attendebatur. Quod coniici poteſt ex Capitulari Ludovici eiusdem an. 823. quod eſt admonitio ac inſtructio miſſorum dominicorum: *ſcholæ ſane ad filios & miniſtros eccleſiæ inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis iniunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur.*

XIII. Sic tandem flos ac decor eccleſiæ *Alemannicæ* cum *Francica* ſub regimine *Francico* horum demum principum piis ſtudiis conſtitit, coniunctis cum eccleſiæ paſtorum cura ac ſollicitudine ſingulari, tum in ſua cuiusque eccleſia, cum etiam in conciliis ac regni comitiis conventibusque publicis eccleſiæ præſulum epiſcoporum ac abbatum, regnique procerum, qui mutuis ſe conſiliis ac operis iuvabant, atque ex hisce iisdem ſelecti *miſſi dominici* per omnes regni comitatus diſcurrebant, quibus redeuntibus & auditis ordinari rite poterant, quæ ad eccleſiæ & reipublicæ proſperitatem conducebant. Tales conventus præſertim ſub Ludovico *Pio* paſſim habiti etiam in urbibus *Alemannicis* ac univerſim *Germanicis* monumenta ſæculi IX. probant. a)

In conventibus procerum ac ſynodis curæ adornandæ eccleſiæ.

Prodiit in collectione conciliorum *germanicorum* Caroli *magni regis capitulare Aquisgranenſe*, ſive edictum legationis, quod in *Aquisgrani* palatio datum eſt die X. Kal. *Aprilis* an. Chriſti DCCXXCIX. ubi ſingula capitula nunc omnibus, nunc omni clero, nunc ſacerdotibus vel epiſcopis inſcribuntur. Ad rem autem eſt nunc capitulum LXX. & ſequentia *ſacerdotibus inſcripta. Ut epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas parochias presbyterorum fidem, baptiſma catholicum, & miſſarum celebrationes &c.* Iam ſub Dagoberto eiusmodi *conſilium* procerum & epiſcoporum *Moguntiæ* an. DCXXXVI. reperio. In illis autem eccleſiæ præſules inſigni pollebant auctoritate, ac res quidem eccleſiaſticas ſuis tranſigebant conſiliis & ſtatutis, pariter ac in conciliis tum diœceſanis cum provincialibus, ac nationalibus, cuiusmodi ſolebant etiam in palatiis regum *Franciæ* celebrari *Verno*, *Liptinis*, *Attiniaci*, *Aquisgrani*, in *Duria*, *Noviomagi* in *Ingelheim*, *Triburiæ*, *Francoforti*.

T. I. p. 263. *Ib. p. 281.* *Ib. p. 25.*

De

a) Imprimis vero conventus publicus *Aquisgrani* an. DCCCXIX. ordinem prodit, dum habetur actione I. *Auditio & confirmatio miſſorum Dominicorum, id eſt, epiſcoporum & comitum miſſorum per omnes Germaniæ & Franciæ comitatus.* Actione II. *Capitula nova 29. ad legationem miſſorum regiorum memoriæ cauſa pertinentia*, de quibus videlicet cauſis agere debeant. Actione III. epiſtola Hetti *Trevirenſis* archiepiſcopi ponitur ad Frothabium *Tullenſem* epiſcopum de obſervantia capitulorum regiorum pro eccleſia & regno. *Conc. Germ. T. II. p. 11.*

De celebratis nonnullis a S. Bonifacio conciliis iam memini. Agitur de illis curate in digreſſione ad ſæc. VIII. *T. I. conciliorum Germaniæ p.* 343. *&c.* primumque ex Mabillonio in notis ad S. Wilibaldi vitam ſæc. III. *Bened.* p. 20. ad annum 740. collocatur; alterum anno 742. celebratum, anno ſequenti confirmatum fuit in concilio *Liptinenſi,* atque quarto loco ſtatutum, *ut qui paganas obſervationes in aliqua re fecerit, quindecim ſolidis multetur.* Habetur autem ibi indiculus ſuperſtitionum & paganiarum iam ſupra citatus ab Illuſtriſſimo *Furſtenbergio,* poſt monumenta *Padernbornenſia* in lucem primum protractus ex codice vetuſtiſſimo Vaticano cum *theotiſca* abrenunciatione diaboli operumque eius & ſuperſtitionum, ad reliquias nempe Paganiſmi penitus exterminandas ex uſu haud dubie anterioris ætatis, qua raræ adhuc ſæculo VII. in editione conciliorum *Germaniæ* occurrunt ſynodi. Sæculo autem octavo, leguntur alicubi epiſcopi *Alemanni* nonnulli in conciliis extra *Germaniam* ſubſcripſiſſe velut in *Compendienſi* anni 757. Sidonius *Conſtantienſis,* in conventu *Attiniacenſi* anni 765. Edda *Stradtburgenſis,* Baldebertus *Baſilienſis,* Ioannes *Conſtantienſis.*

Exſtimulati ſunt a *Rom.* pontificibus epiſcopi ad celebranda concilia. Gregorius III. in epiſtola ad nonnullos epiſcopos in *Alemannia,* & *Boiariorum* provincia conſtitutos, quæ legitur T. I. Conc. *Germ.* p. 40. eſtque 129. inter *Bonifacianas,* in memoriam revocat veterem morem ſic orſus epiſtolam. „Catholica & ſanctorum Patrum iubet auctoritas, ut bis in anno pro ſalute populi chriſtiani ſeu exhortatione adoptionis filiorum ſynodalia debeant celebrari, & cauſarum canonicarum examinatio provenire, ut unicuique, prout neceſſitas uniuscuiusque popoſcerit, pia iudicatione ſubveniatur.“ Pertinet huc, quod S. Bonifacius in epiſtola ad Zachariam de *Francis Auſtraſiis,* quibus *Alemanni* tunc ſub Carlomanno accenſebantur, conqueritur. „*Franci* enim (inquit) ut ſeniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum ſynodum non fecerunt, nec archiepiſcopum habuerunt, nec eccleſiæ canonica iura alicubi fundabant, vel renovabant.“

Ordinata hierarchia eccleſiaſtica.

XIV. Vel nomina vix ad ea tempora quædam *Alemannicorum* epiſcoporum ſunt nota. Ex *Conſtantienſibus* quidem, quæ diœceſis magnam *Alemanniæ* partem conficit, dum adhuc *Burgundiæ* accenſebatur ſede *Vindoniſſæ* conſtituta, ſæculo ſexto Concilio *Epaonenſi* Bubulcus, *Aurelianenſi* V. an. 549. vel 551. Gromatius ſubſcripſit. Poſt hos uſque ad S. Galli tempora, in cuius vita Gaudentius, eiusque ſucceſſor Ioannes primus memoratur, nihil authenticum occurrit uſque ad Ioan-

NEM

NEM II. cui ſucceſſit BUSO, GANDOLPHUS: quibus in catalogo vulgato FIDELIS, THEOBALDUS, ADONIUS ſubduntur, ac deinceps notior ERENFRIDUS, SIDONIUS, IOANNES III. EGINO, cui ſæc. IX. ſucceſſit WOLFEOS.

In ſede *Baſileenſi*, quem tamen STUMPFIUS & URSTISIUS præmittunt, unus ſæculo VII. RACHNACARIUS eſt notus ex diſciplina S. EUSTASII abbatis *Luxovienſis*. Sæculo dein VIII. VALANUS ſeu VALAUS, BALDEBERTUS, HEIKO, ſeu HAICHO.

In vita S. MAGNI, quæ THEODORUM auctorem venditat, fit mentio nonnullorum epiſcoporum *Auguſtanæ* ſedis SS. WICTHERPI, TOSSONIS, SIMPERTI, LANTONIS, NITKARII, qui ſupra ſtirpem *Carolingicam* vix aſcendunt, quorum poſtremus ſub LUDOVICO *Germanico*, primus ſub PIPINO *Heriſtallo*, vel rege eccleſiæ *Auguſtanæ* præfuit. Ultra in ſede *Argentinenſi* ſub MEROVINGIS noti ſunt ARBOGASTUS, FLORENTIUS, WIDEGERNUS, & HEDDO ſæc. VII. & VIII. Ulterius etiam uſque ad tempora CLODOVÆI HENSCHENIUS Diat. de tribus DAGOBERTIS lib. IV. c. 4. aſſurgit.

De aliis aliarum *Alemannicarum* eccleſiarum epiſcopis ſubinde mentio in ſuperioribus eſt iniecta, tardius e ruina ſurgentium, ac obſcuriores natales habentium. Itaque magna caligine laborat hiſtoria eccleſiæ *Alemannicæ* ſub regno *Francico - Merovingicæ* adhucdum ſtirpis, quando pedetentim ex ruina emergere cœperunt urbes trans-*Rhenanæ*, ab *Hunnis* ipſisque *Alemannis* dirutæ. Qui quam lente iugo Chriſti conſueverint, ex dictis colligere licet; quibus item cum aliis *Francis* adhuc tempore S. BONIFACII ſuperſtitionibus, paganiſmi reliquiis, dediti fuerint, hinc paullatim cum ipſa fide humanitatem conſecuti ac manſuefacti. a)

CAP.

a) „Illud ſilentio nefas fuerit præterire (ſunt CONRINGII verba apud WEGEL. *Rer. Suev. T. I. praef.*) non poſſe rectius nobis ingentem Dei erga nos gratiam, atque miſericordiam innoteſcere, quam ſi antiquam illam *Germaniæ* faciem cum hodierna conferamus. Inde enim diſcimus, omnem hanc elegantiam chriſtianæ religionis profeſſioni ferendam acceptam. Cum hac enim exutam feritatem, ablutas ſordes, correctam ruditatem, moderatam licentiam eſſe; ipſam terram olim informem, ſilvis horridam, paludibus fœdam, cœlo aſperam, triſtem vultu aſpectuque, nunc Chriſtianiſmi interventu ſplendore urbium formoſiſſimarum, nemoribus amœnam, paludibus mundam, cœlo mollem, aſpectu longe iucundiſſimam redditam."

CAPUT III.

Status eccleſiæ Alemannicæ poſt ſeparatum a regno Francico Germanicum imperium.

I.

Novo conſtituto Germanico regno.

Dum ita ſub regno *Francico* eccleſia adoleviſſet, atque maxime ſub Carolo M. & Ludovico *Pio* filio effloruiſſet, hic an. 817. imperii diviſionem inter filios Lotharium, Pipinum, & Ludovicum inſtituit, cui ultimo primum *Bavaria* fuit deſignata, quo miſſus an. 825. novam epocham inchoavit. Interim etiam Carolus dictus *Calvus*, poſt factam diviſionem ex Iuditha altera uxore natus, in ſortem venit. Quam rem Lotharius maior natu cum indigne ferret, contra patrem perduellis Ludovico augendæ intra *Germaniam* ditionis ſuæ locum dedit. Nec poſt mortem Ludovici *Pii* patris an. 840. Lotharius monarchiam ambiens, impedire potuit, quo minus cum cæteris *Germanicis* provinciis etiam *Alemannia* cederet Ludovico. Sicque conſtitutum eſt regnum *Germanicum*, ipſeque Ludovicus *Germanicus* vocatus eſt, chriſtianiſſimus etiam variis in conciliis ſub eo habitis dictus.

Ad uſque vero Ludovicum III. ſtirps *Carolingica* regnum etiam *Germanicum* cum *Alemannico* tenuit. *Alemanniæ* potior pars *Sueviæ* nomen reſumere paullatim cœpit, dum *Alſatia* proprium iam ducatum conſtitueret, atque etiam præter *Burgundicam Helvetiam* pars fiſco regio addiceretur, præfectura imperii *Tigurina* conſtituta. *Burgundiæ* partem *Ergoviam* Burchardus I. dux *Sueviæ* Rudolpho II. *Burgundiæ* regi, qui contra *Alemanniam* arma movit, devicto extorſit, ducatuique *Suevico* adiunxit. Interim etiam duces *Sueviæ* ad imperium *Romano-Germanicum* aſpirarunt, quod poſt *Carolingicam* ſtirpem ex *Germaniæ* principibus conſtitit, Conrado primum duce *Franciæ* orientalis, cum id recuſaſſet ob ſenium Otto *Saxonicus*, ad cuius tamen poſteros Ottones tres poſt Henricum *Aucupem* ſceptrum pervenit. Atque tunc ſacerdotium cum

imperio

imperio floruit, resque ſacræ ac religioſæ auctæ ſunt, ſub Henrico II. præſertim, ſanctiſſimo principe.

II. Profecto ſub *Germanico* demum imperio decor ac ſplendor eccleſiaſticæ præſertim hierarchiæ in *Alemannia* etiam, uti in reliqua *Germania*, maxime enituit, a *Germaniæ* principibus, qui fractis & collapſis *Francorum* rebus imperarunt, fundatis plurimis monaſteriis & collegiis: conſtitutis ornatisque non ſolum epiſcopalibus, ſed etiam metropoliticis ſedibus, etſi inde non parum provinciæ *Moguntinæ* deceſſerit, cui præcipuæ ſubiectæ ſunt *Alemannicæ* diœceſes: dum erectæ novæ metropoli *Magdeburgenſi* avulſi *Halberſtadenſis*, *Brandeburgenſis* & *Havelbergenſis* epiſcopatus ſunt adiuncti, aliæque mutationes in hierarchia ſunt factæ, de quibus ab archiepiſcopo *Moguntino* Hattone cum ſuis ſuffraganeis motæ ſunt querelæ apud Ioannem IX. pontificem litteris, quæ apud Hansizium extant in *Germania ſacra*: queis orat, ne turbet diœceſes, ne quid innovet citra conſenſum & voluntatem epiſcoporum in eorundem diœceſibus.

Status eccleſiæ Alemannicæ florens non ſine gravibus tamen concuſſionibus.

T. I. p. 178.

Accidit hoc ad finem ſæculi X. quod quidem Baronio ferreum plumbeumque vocatur, fuerunt tamen tunc in *Germania* ſpeciatim vero in *Alemannia* paſtores illuſtriſſimi ſanctiſſimique, imprimis *Auguſtæ Vindelicorum* S. Udalricus, *Conſtantiæ* SS. Conradus & Gebhardus II. poſt primum, qui anteceſſorem habuit Salomonem primum, ſucceſſorem vero ſecundum litteris clarum, qui concilio *Triburenſi* an. 895. ſubſcripſit. In carmine ad epiſcopum Dadonem ſui ævi ſtatum luget ex inteſtinis eccleſiæ ac reipublicæ diſſidiis ac ſimultatibus. a) a

Subſequentibus temporibus ſub Ottonibus, præſertim *Magno* eccleſia iuxta ac reſpublica apud nos tranquillius egit, qua turbata ſequenti ſæculo, in concilio *Conſtantienſi* an. 1043. eſt reſtituta pax. Quam Hermannus *Contractus* ad hunc annum, Marianus *Scotus* in chronico,

&

a) *Omne quidem regnum contra ſe ſchiſmate ſciſſum*
Deſtruitur, domuique domus ſupereminet ultro.
Cœlum, terra meant, ſed firma hæc famina perſtant.
Dic frater, dic antiſtes, dic ſancte ſacerdos:
Si conſtare nequit regnum per diſſona ſe par
Quæ ſint diviſis metuenda pericula nobis.
Unanimes habitare domum pſalmiſta notavit,
Sed te Sulpiti *(ne* Gallus *id audiat) aſſor:*
Rari ſunt noſtrum, quorum mens tendat in unum.
Diſcordant omnes, præſul, comes atque phalanges,
Pugnant inter ſe concives, contribuletque,
Urbica turba ſtrepit, machinantur & oppida bellum.

& ex eo auctor chronici *Hildensheimenſis*, qui omnes ad ſequentem annum referunt, vocant pacem hactenus inauditam, tam in tota *Suevia*, quam in aliis regni ſui provinciis, HENRICI III. nimirum. Pax tamen *Conſtantiæ* facta *Alemanniæ* ſeu *Sueviæ* imprimis ſalutaris fuit.

At ſub HENRICO poſtea IV. filio HENRICI III. concuſſa *Germanica* adeoque *Alemannica* eccleſia, tunc etiam in GEBEHARDO, ex ducibus *Zaringenſibus* epiſcopo *Conſtantienſi* ac ſedis apoſtolicæ legato, præprimis tutorem habuit, eiusque fratre BERTHOLDO, *Alemanniæ* duce. Variæ tunc ſynodi ſunt habitæ, quas inter hic notabilis eſt *Ulmenſis* an. 1093. ubi fœdus Catholicorum ſeu liga catholica contra ſchiſmaticos eſt facta. a) Schiſma ab HENRICO in *Romanam* eccleſiam inductum, ac in imperio *Germanico* factiones, GEBEHARDUM ſedis apoſtolicæ legatum cum aliis ſede ſua detruſit, conſtitutis paſſim ſchiſmaticis epiſcopis, atque bellum ſacerdotium inter & imperium eccleſiæ noſtræ funeſta imprimis erat. Hinc occaſio data eſt ligæ memoratæ, quæ etiam *Treuga Dei*, ſeu *Pax Dei* vocabatur; confirmata in ſynodo *Northuſana* an. 1105. Quo anno RUTHARDUS archiepiſcopus *Moguntinus* in ſedem ſuam revocatus eſt, ſceptro ab HENRICO IV. ad filium HENRICUM V. tum translato, duce RUDOLPHO *Rheinfeldenſi* comite HENRICI æmulo profligato ac ſublato.

FRIDERICO *Hohenſtaufenſi*, cui hæreditarius relictus eſt *Sueviæ* ducatus, poſtea ad imperium *Romanum* ſublimato, pax etiam eccleſiæ eſt turbata, nec reſtituta ſub FRIDERICO II. donec poſt magnum interregnum RUDOLPHO *Habsburgico* imperii diadema deferretur, ſub quo ac eius poſteris piis *Auſtriacis* principibus concors ſtetit ſacerdotium & imperium. Quod vero noſtram ſingulariter ſpectat *Alemanniam*, hic unum noto, inteſtinum illud eccleſiæ pertinax bellum, magnum occidentale ſchiſma, *Conſtantiæ* in concilio œcumenico (cui poſtea non eodem unitatis ſtudio

Baſileenſe

a) GEBEHARDUS, ut BERTHOLDUS *Conſtantienſis* ad hunc annum refert, *Conſtantienſis* epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, WELPHONEM ducem *Bavariæ* per manus in militem accepit, ſicut & proprium fratrem BERTHOLDUM ducem *Alemanniæ* jam dudum fecit; cum quibus & reliquis *Alemanniæ* principibus magnum conventum apud *Ulmam* habuit, in quo conventu firmiſſime laudatum eſt, ut *Conſtantienſi* epiſcopo omnimode ſecundum ſtatuta canonum obediretur, & ut duci BERTHOLDO & comitibus ſecundum legem *Alemannorum* obſecundaretur. Deinde, firmiſſimam pacem tam maiores, quam minores ſe obſervaturos a VII. Calend. *Decembris* uſque ad paſcha, & a paſcha in duos annos, iuraverunt, videlicet omnibus monachis ſuis, converſis & clericis, catholico epiſcopo ſubiectis, eccleſiis & earum atriis & doti earum, mercatoribus & omnibus eodem iuramento obligatis, excepto ARNOLDO invaſore *Conſtantienſis* eccleſiæ, & omnibus eius fautoribus. Hanc pacem ſinguli principes qui convenerunt, unusquisque per poteſtatem ſuam uſquequaque vicitim iurare fecerunt.

Baſileenſe eſt inſecutum) eſſe ſublatum; opera præſertim Sigismundi imperatoris, ac pax eccleſiæ reddita, donec optimatum ac liberorum ſtatuum imperii factionibus circa religionem iterum peſſumdaretur.

III. Aliunde vero eccleſia *Alemannica* ſub *Germanico* imperio diverſis temporibus eſt quaſſata. Poſtquam iam chriſtiana religio, exciſa omni paganica ſuperſtitione, undique florebat, mox exordiente ſæculo decimo & deinceps *Hungarorum* irruptiones variæ ſunt factæ, primum in *Boiariam*, deinde etiam per *Alemanniam*, ut chronographi Hepidanus, Regino, Sigebertus ad varios notant annos. Martyres etiam variis in locis celebrantur, ac hiſtoria illorum temporum tragicis eſt referta narrationibus, deploratque etiam Salomon in laudato carmine ad Dadonem epiſcopum, atque ita exaſperat malum, ut præſens mundi exitium ipſi adeſſe putetur. a) Etiam a paganis Ungaris,

IV. Domeſtici etiam hoſtes hæretici variis temporibus, modo palam, modo clam *Alemanniam* noſtram infeſtabant, ac proxima ætate exitium prorſus minabantur, uti quivis coram cernit eccleſiam *Alemannicam* in partes diſtractam, altare contra altare erectum. Et hæreticis.

Iisdem vero principiis funeſtis cœpta eſt eccleſia quaſſari, quibus poſtea concuſſa ad miſerum, quo hodie apud nos cernitur, eſt redacta ſtatum, contemta legitima eccleſiaſtica poteſtate. Cuius rei ſemina in noſtra *Alemannia* reliquiſſe videtur Arnaldus *Brixienſis*, qui ex *Italia* & *Gallia* proſcriptus in noſtram *Alemanniam* venit ad urbem *Turegum* doctoris arrogato titulo, ſuos ſpargens errores. Quo intellecto S. Bernardus ex vicina *Burgundia* ad epiſcopum *Conſtantienſem*, cuius in diœceſi

a) *Eſt nobis flendi nimium conceſſa facultas.*
Hinc atque inde ſatis ſubreptum aſpera nobis:
Nec ſimplex mortis facies, nec ſingula damna,
Sed ſicut ſapiens, ſeſeque ſequentia cernens,
Contra inſenſatos orbem pugnare fatetur,
Doctor egregius quod tangit taliter orſus:
Corda prius hominum turbantur, poſt elementa.
Iure igitur reſtat, nos ut ſimul omnia cedant,
Quæ male ſunt vitiis noſtris ſervire coacta.
Iuſte pro Domino vitiatus dimicat orbis,
Ut peccando homines, quia ſe caſere priores,
Ulciſcens ſemet contra illos ipſe duellet.
Cælum, lympha, ſolum, nec non & cetera rerum.
Ordine cum proprio temerata lege recedunt,
Pro Domino pugnant, qui nos hoc more flagellat.
An non peccatis, Pagana natio gentis
Quæ mundus fecit, vaſtans mortalia vincit?
Hoſtibus ecce, Dei qui cenſebamur amici,
Tradimur in prædam, Ioſeph fera peſſima mandit,
Iſrael Allophylus, Iacobos gens Ethnica mactat.
Ingenuos maledicta cohors Chananæa triumphat &c.

ceſi *Turegum* eſt, ſcripſit ut ARNALDUM apud ſe deliteſcentem expellat, aut potius ad cavenda maiora damna vinctum teneat, eſt hæc inter S. BERN. epiſt. 195.

Diriſſime tunc cum hæreticis fuit actum, ac quidem de *Alemannia* refert ALBERICUS in Chron. a LEIBNIZIO edito ad an. 1233. *Per Alemanniam vero facta eſt tanta hæreticorum combuſtio, quod non poſſit numerus comprehendi.* Sequitur epiſtola archiepiſcopi *Mogunt.* ad GREGORIUM IX. & a MARTENIO edita eſt GREGORII IX. ad HENRICUM FRIDERICI imp. filium. Atque eadem *Fratricellorum* ſeu *Luciferianorum* ſecta fuiſſe dignoſcitur, de qua itidem edita apud MARTENIUM proſtat ſummi pontificis ad epiſcopum *Conſtantienſem* epiſtola, de occulte graſſantibus in ſua diœceſi eiusmodi ſpurciſſimis conventibus. In *Alemannia* etiam tota, refert auctor geſt. archiepp. *Moguntinorum* apud eundem MARTENIUM, ſæculo XIII. contra hæreticos ortam eſſe perſecutionem, plurimosque eorum exuſtos eſſe per integrum triennium. In epiſt. laudata GREGORII IX. dicitur: „Inter diverſas hæreſum ſpecies, quæ peccatis exigentibus *Alemanniam* infecerunt, una ſicut deteſtabilior cæteris, ſic & generalior univerſis, quæ non ſolum referentibus, ſed etiam audientibus eſt horrori, in nobilibus membris eccleſiæ ac valde potentibus iam erupit.“ Eſt ea ſpurciſſima *Fratricellorum* ſeu *Luciferianorum* damnata in concilio *Mogunt.* an. 1233. cum *Pauperibus de Lugduno*, ſeu *Waldenſibus*. Et in concilio *Mogunt.* an. 1261. can. I. damnantur *univerſi hæretici, quibuscunque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas invicem colligatas.*

T. I. Anecd. p. 550.

T. IV. Collect. Amp. p. 240.

T. III. Conc. Germ. pag. 543.

Ibid. p. 596.

Iam circa initia ſæc. XIII. in *Alemannia* etiam prædicata eſt crux contra *Albigenſes.* „In tantum (ut ſcribit CÆSARIUS L. V. *Mirac.* c. 21.) *Albigenſium* invaluit error, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille civitates.“ Sequenti ſæc. XIV. in conc. *Viennenſi* damnata eſt *ſecta quædam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemanniæ &c.* IOANNES epiſc. *Argentinenſis Beguinas* an. 1311. repudiavit, nimirum earum hypocriſin & ſuperſtitiones, perverſosque ritus, & errores, non inſtitutum univerſim, quod etiam IOANNES XXII. ita moderatus eſt. Similiter cum *Flagellantium* ſecta actum eſt, contra quam eſt epiſtola CLEMENTIS VI. ad archiep. *Moguntinum*, qua diſtricte mandat: „Quatenus vos & ſinguli veſtrum in ſingulis civitatibus veſtris & diœceſibus per vos, ſeu alium vel alios adinventiones eiusmodi ſeu ritus prophanos (quos una cum ſocietatibus, congregationibus, ſtatutis & ordinationibus ſupradictis, qui ſe ut præmittitur *Flagellatores*

Seſſ. III.

T. IV. Conc. Germ. pag. 243.

Extrav. lib. III. tit. 9.

T. IV. Conc. Germ. pag. 355.

latores appellant, temerarie attentatos de eorundem fratrum noſtrorum conſilio perpetuæ prohibitioni ſubiecimus: & tanquam illicitos reprobavimus) auctoritate noſtra reprobetis, in veſtris dioeceſibus reprobos ac illicitos publice denuntietis." Id mandatum executos epiſcopos memorat TRITHEMIUS, qui multis proſequitur, ut *Alemanniam* inundaverint, in *Suevia* multos ſectatores nacti, unde *Spiram* proceſſionaliter advenerint, ac *Argentoratum*, *Moguntiam* item *Coloniam*, *Trevirim*. Anno 1387. *Moguntiæ* ex *Waldenſium* ſecta cives 36. *Bingium* abducti combuſti ſunt, ut refertur T. IV. conc. *Germ.* p. 534. Funeſtus etiam noſtræ *Alemanniæ* fuit *Io.* HUSS acceſſus ad concilium *Conſtantiam*, ubi combuſtus eſt, de cuius ſectatoribus etiamnum alicubi reperiuntur. Quem prophetam ſuum falſo venditant *Proteſtantes*. Ac nos cum nonnullis recenſitis anteſignanum facile relinquimus, ut tamen in multis, uti alii omnes, ad quos provocant teſtes, diſſentiant, ut ipſi ſecum.

Chron. Hirſaug. ad an. 1348.

V. Omnes vero hæ ſectæ ordinem hierarchicum & liturgicum, aut ex toto aut per particulas laceſſerunt. Inter concilia *Germaniæ Atrebatenſe* an. 1025. prolixam refutationem hæreſis proſequitur, cuius ſectarii iuſtitiam quandam præſeferentes hac ſola purificari homines aſſerebant, nullumque in ſancta eccleſia aliud tolerabant Sacramentum, nec ſacrificium. Nullum cultum Sanctis, aut imaginibus eſſe impendendum, nec pro defunctis orandum: „Quæ videlicet (ſunt ſynodi verba) baptiſmum ad abluendam originalis culpæ maculam & actualia delicta nihil profuturum contendit, & per pœnitentiam peccata nequaquam poſſe relaxari profitetur: & quæ ſanctam Dei eccleſiam, & ſacroſanctum altare atque dominici corporis & ſanguinis Sacramentum nihil eſſe aliud, niſi quod corporis oculis intuetur, & hoc tanquam vile negotium reſpicit; & quæ legitima connubia devitat." Iidem errores erant hæreticorum *Aurelianis* damnatorum, novorum ſcilicet *Gnoſticorum* & *Manichæorum*, poſtea ſub *Albigenſium* nomine infamium. In ſyn. *Trevirenſi* an. 1231. tres ſcholæ hæreticorum deprehenſæ notantur. „Et plures erant eorum ſectæ, & multi eorum inſtructi erant ſcripturis ſanctis, quas habebant in *Teutonicum* translatas. Et alii quidem baptiſma iterabant; alii corpus Domini non credebant; alii corpus Domini a malis ſacerdotibus non poſſe confici dicebant; alii corpus Domini indifferenter a viro & muliere ordinato in ſcutella & calice, & ubique locorum, poſſe confici dicebant; alii confirmationem & unctionem ſuperfluam iudicabant; alii ſummo pontifici, clero, & religioni derogabant; alii defunctis ſuffragia eccleſiæ prodeſſe negabant; alii matres proprias, conſanguinitatem, quæ ibi erat, XVIII. denariis redimentes, in coniugium ſumebant; alii pallidum hominem ante, & cattum retro oſculabantur; alii dies omnes æquipen-

Qui liturgicum ordinem laceſſiverunt.

T. III. 68. *ſeq.*

Pag. 97.

Ib. p. 539.

dentes feriari, & ieiunare nolebant, unde & diebus feſtivis operabantur, & in Paraſceve carnes manducabant."

Beguardi & *Beguinæ*, prout eorum errores in bulla CLEMENTIS V. in conc. *Viennenſi* an. 1311. recenſentur, ex vana perſuaſione ſtatus cuiusdam perfectionis ſummæ, ac contemplationis altiſſimæ non ſolum interna ac externa chriſtiani hominis officia, ſed etiam præcipuum cultum liturgicum contaminabant: „Aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eisdem, ſi a puritate & altitudine ſuæ contemplationis deſcenderent, quod circa miniſterium ſeu ſacramentum Euchariſtiæ aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent." Ut vero hi vana interioris perfectionis perſuaſione, ita *Flagellantes* exteriore hac maceratione corporis officia chriſtiana perverſe metiebantur, mentiebanturque, propago etiam quædam, ut videtur, *Pauperum de Lugduno* ſeu *Waldenſium*, qui apertius omnem externum cultum liturgicum carpebant, abolere moliti *eccleſias*, *altaria*, *eorumque conſecrationes*, *ornatum & ſacram ſupellectilem*, *ſacerdotalia indumenta*, *luminaria*, *thurificationes, aquam benedictam, proceſſiones*, *aliosque ſacros ritus*, ut *Petrus* PILICHDORFFIUS, plura etiam RAINERIUS habet. *Contra Waldenſ. c. 23. ſeq.*

Hos inſecutus eſt *Io.* WICLEFFUS, eiusque diſcipulus *Ioannes* HUSS, ac *Huſſitarum* propago *Thaboritæ*, *ſed Waldenſibus nequiores*, ut inquit *Dominicus* GEORGIUS, pluraque in præfatione de liturgia *Rom.* Pontif. affert etiam de ſectis noviſſimis: imprimis notabilis eſt locus ex *Ioh.* WENDELSTINII epiſt. ad *Mathæum* LANGUM archiep. *Salisburg.* „Inſcribunt enim (inquit) iam libros de abroganda miſſa, de nova miſſandi formula contra canonem miſſæ, de miſſa *Theutonica*, de abolendis matutinis, aliisque horis canonicis & miſſis, vigiliisque & anniverſariis pro defunctis hactenus celebratis, de tollenda ſatisfactione pro peccatis, & confeſſione auriculari, de Sanctorum reliquiis, imaginibusque abolendis, de prohibenda veneratione ſanctæ Crucis & Sanctorum; de abolendis eccleſiarum, cœmeteriorum, monaſteriorum, altariumque dedicationibus, ac ſacrorum ordinum conſecrationibus, benedictionibus ſalis, aquæ, vini, herbarum, cereorum, & id genus aliis ceremoniis. Meras denique aiunt eſſe facies antichriſti, calices, imagines, vaſa, utenſilia, vela, pallas, corporalia, lumina, lampades & ſine modo ac numero in eccleſiis ornamenta, atque egregium, inquiunt, eſſe perdendæ pecuniæ artificium in ſtruendis templis, monaſteriis, ſacellis, altaribus & eius generis operibus." Nec quidem hic res ſubſtitit, atque etiam ulterius progreſſi ſunt *Calviniſtæ*, quam *Lutherani.* De privatis conventiculis nihil dicam, multarum ex his enatarum ſectarum ac promiſcua arrogata ſibi libertate abeuntium, abhorrentiumve ab omnibus omnino cultus ſacri conventibus. *An. 1525.*

DIS-

Digitized by Google

DISQUISITIO II.

DE MONUMENTIS ANTIQUIS AD ILLUSTRANDAM VETEREM LITURGIAM ALEMANNICAM FACIENTIBUS.

CAPUT I.

De variis variarum gentium, ac etiam Alemannicis liturgiis, ſeu ſacramentariis.

I.

His iam pertractatis, quæ originem & propagationem religionis Chriſtianæ in *Alemannia* noſtra concernunt, antequam ad publicum huius religionis cultum in officio divino, prout in *Alemannia* obtinuit, progrediamur, quædam generalius ſunt prælibanda. Ac primum de ipſo Liturgiæ nomine, quod inſcriptio operis præſefert, eorum exemplo, qui ante nos de aliarum eccleſiarum in diverſis orbis partibus orientalibus & occidentalibus religioſa in divino cultu obſervantia egerunt. Ne quid dicam de veteris teſtamenti levitico miniſterio ac liturgia, ſacræ nobis paginæ novi teſtamenti nomen cum re paſſim exhibent, ac quidem *Act.* XVII. 2. quod habetur λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, vulgatus generalius eſt interpretatus, *miniſtrantibus autem illis Domino*, Erasmus reddit, *cum illi ſacrificarent Domino.* Et in annotationibus ſic explanat λειτουργούντων, *quod proprium eſt operantium ſacris.* Ut in *liturgicis* obſervat Cassander, S. Chrysostomus quidem, *miniſtrantibus* idem ac *prædicantibus* eſſe dicit. „Sed (inquit Cassander)

De Liturgiæ nomine.

Cap. 6.

vide num hæc ſententia ſit: λειτουργούντων, id eſt, miniſterium ſuum obeuntibus & exhibentibus Deo, non modo prædicatione verbi, ſed etiam Sacramentorum diſpenſatione. Ad *Rom.* autem XV. aperta eſt huius vocis notio, ubi Paulus ait, datam ſibi gratiam a Deo εἰς τὸ εἶναι λειτουργὸν, ut ſit liturgus, id eſt, miniſter, &, ut ita dicam, officiarius Iesu Chriſti in gentes, quanquam hac voce non quodvis miniſterium, ſed ſacrum tantum & ad res divinas pertinens ſignificari, ſequentes voces indicant, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν, id eſt, ſacrificantem ſeu ut rem ſacram adminiſtrantem evangelium, & oblatio gentium. Id quod Erasmus recte obſervavit in annot. in hunc locum: „ ἱερουργοῦντα (inquit) quaſi rem ſacram operans, ut reſpondeat ad λειτουργὸν, qui proprie ſacrorum, aut reipublicæ miniſter eſt." Hæc Cassander, cui proprie hac voce recte ſignificari videtur publicum miniſterium, in rebus ſacris obeundis poſitum. Quam in rem etiam Egesippi illud apud Eusebium refert, ab apoſtolis primum conſtitutum fuiſſe Iacobum epiſcopum & Liturgum, id eſt ſacrarum & divinarum rerum adminiſtratorem. Unde quidam putant opinionem natam, quod Iacobus primus miſſæ ritum inſtituerit. Omnia complexus eſt Ven. Beda, dum de ſimilibus liturgis S. Augustino & ſociis loquitur, publicum in eccleſia *S. Martini* officium auſpicantibus. „In hac ergo (inquit) & ipſi primo convenire, pſallere, orare, miſſas facere; prædicare, & baptizare cœperunt." Qui proprie publicus eſt religionis cultus in fidelium conventibus, *ut quando pſallitur, pſallatur ab omnibus: cum oratur, oretur ab omnibus: cum lectio legitur, facto ſilentio aque audiatur a cunctis*, quæ ſunt S. Isidori verba ex S. Augustino expreſſa. Ut tamen magis proprie liturgicum munus ſit ſacerdotis ſacris operam dantis, ſeu ſacrificium offerentis, conſecrantis ac miniſtrantis ſibi & fidelibus, quod eſt *ſacerdotium accipere ſacræ obſervationis*, iuxta S. Victorinum in Apoc.

Hiſt. Angl. L. I. c.26.

De div. off. lib. I. c. 10.

T.III. Bibl. PP. p.417.

Libri Sacramentorum, myſteriorum.

T.II. Capitul. p.1038.

II. Atque hinc etiam liber, qui huc ſpectat, proprie vocatur Liturgia: qui nempe continet *benedictiones atque conſecrationes, quibus miſſarum peragitur ſacramentum*, ut deſcribitur a Iona epiſcopo, ad Baluzii mentem, *Aurelianenſi*, in vita S. Huberti ep. *Leodienſis*, ubi mox *liber ſacramentorum* vocatur, quæ fuit uſitatiſſima nuncupatio, ſeu etiam *myſteriorum*, prout a S. Hieronymo appellatur liber eiuſmodi a S. Hilario compoſitus. *Paſchaſius* Ratbertus librum de Euchariſtia inſcribit *de Sacramentis.* In Mſc. bibliothecæ noſtræ ſæc. XII. *de actione miſſarum*, poſtquam initio ſtatim fontes indicaſſet auctor, unde ſua

ex

ex SS. PP. hauſerit, addit: *ſed ex antiquis myſteriorum libris quædam verba neceſſario ſumta ſunt.* Eodem autem redit, ſive myſteriorum vocetur, ſive ſacramentorum, quod uſitatius eſt. „Norunt quippe omnes (ait Ven. Thomasius præf. in ſacramentarium *Gelaſianum*) apud vetuſtiſſimos eccleſiæ Patres ſacramenta antonomaſtice appellari Chriſti corpus & ſanguinem, cum in altari conficiuntur in miſſa. Hac præcipue ratione miſſales libri Sacramentorum libri ſunt appellati: quamvis nec iis deficiantur, quæ ad reliquorum Sacramentorum adminiſtrationem pertineant.“ Adhuc generalius, & ad ſuum inſtitutum accommodate ſumit Honorius *Auguſtodunenſis* in prologo ſacramentarii. „Hunc libellum de Sacramentis collegi ex Sanctorum ſcriptis, ut quibus deeſt librorum copia, per hoc compendium illorum ſublevetur inopia. Huius nomen *ſacramentarium* ſcribatur, eoquod per illum omne Sacramentum divini officii ignaris aperiatur.“ *Sacramentarium* potius vocat expoſitionem, ac quidem allegoricam potiſſimum, pro more illius ævi, quam ipſum librum Sacramentorum: ne quis hoc favere putet illis, qui librum *ſacramentarium* potius, quam *Sacramentorum* inſcribendum exiſtimant, cum *Angelo* Rocca in librum *Sacramentorum* S. Gregorii, ſecus ac Pamelio & Menardo eſt viſum. Hic contrarium ex ipſo Sacramentorum libro probat, in quo manifeſte *ſacramentarium* a libro *Sacramentorum* diſtinguitur. Non diffitetur tamen hanc vocem *ſacramentarium*, vel *ſacramentarius* eſſe antiquam: Siquidem Gennadius (qui alias notat libros *Sacramentorum*) in Paulino ea uſus eſt: „Fecit (inquit) & *ſacramentarium* & hymnarium. Subdit Menardus: Aptiſſime autem hoc opus, liber *Sacramentorum* dicitur, quia in eo officia miſſarum liturgica recte diſpoſita continentur.“ Quam in rem appoſita ex Optato *Milevitano*, Ambrosio, & Augustino producit teſtimonia. Hic etiam *liber miſſarum* eſt dictus, qualem S. Iulianus compoſuiſſe dicitur, *de toto circulo anni in quatuor partes diviſum.* Qui plenior eſſe debuit, quam vulgo liber *Sacramentorum*, totum haud dubie ordinem complexus. Qualis in conc. *Gerundenſi* an. 517. notatur. „De inſtitutione miſſarum, ut quomodo in metropolitana eccleſia fuerit, ita in Dei nomine in omni *Tarraconenſi* provincia, tam ipſius miſſæ ordo, quam pſallendi vel miniſtrandi conſuetudo conſervetur.“ Miſſa *Illyrici* inſcribitur: *Ordo Sacramentorum.*

Apud Pez. T. II. P. I. p. 249.

Schol. in librum ſacrament.

Not. 2. in libr. ſacram. S. Greg.

Apud Boll. T. VI. Iul. p. 23.

III. Qualis vero ordo ab ineunte eccleſia fuerit, nec univerſim omnino conſtat, tantum abeſt, ut de *Alemannica* eccleſia oſtendi poſſit; dum nec aliquid dicere potuimus de chriſtianæ religionis origine apud nos

An primis eccleſiæ ſæculis extiterint.

ab apoſtolicis temporibus. Quod S. Paulus ad *Corinthios X. & XI.* ſcribit de Euchariſtiæ celebratione, additque, *cætera cum venero diſponam*, id S. Augustinus ad communem in eccleſia obſervatum ritum ſumit. „Unde (inquit) intelligi datur (quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat eccleſia) ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.“ S. Clemens epiſt. I. ad *Corinth.* ad præfinitum in hoc provocat ordinem: „Cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus iuſſit peragere. Statutis temporibus oblationes & officia perfici, neque temere, vel inordinate fieri præcepit.“ S. Iustinus M. hoc neque a gentilibus ignorari dicit: „Quod namque panis & poculum aquæ in ſacrificiis, ſive in re divina eius, qui initiatur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certe ſcitis, aut ſcire poteſtis.“ Certe in Plinii ad Traianum epiſtola commemorantur, qui in conventibus chriſtianis Chriſto cani conſueverint hymni. Laudatus vero S. Martyr etiam quoad ritus ac concepta verba prolixam præſertim gratiarum actionem quædam nominatim deſignat. Qui medio ævo de hac re ſcripſerunt, Berno imprimis, ac *Walafridus* Strabo aliam quidem poſtea, quam naſcente eccleſia, ſucceſſu temporum multis modis auctam, fuiſſe tradunt, ac Walafridus ad maiorum relationem provocat. „Relatio maiorum eſt, ita primis temporibus miſſas fieri ſolitas, ſicut modo in paraſceve Paſchæ (in quo die apud *Romanos* miſſæ non aguntur) communicationem facere ſolemus, id eſt, præmiſſa oratione dominica, & ſicut ipſe dominus noſter præcepit, commemoratione paſſionis eius adhibita, eos corpori dominico communicaſſe, & ſanguini, quos ratio permittebat. Proficiente dehinc religione amplius aucta ſunt a Chriſti cultoribus officia miſſarum, quod vel pax præſtita latius terminos propagavit eccleſiæ, vel Sanctorum copia uſu facta eſt convaleſcente frequentior.“ Potuerunt hæc facile etiam ex memoria, frequenti uſu firmata, ſine libris tranſigi, quod hodie doctiſſimi viri contendunt de quatuor prioribus ſæculis, ad initium usque quinti ſæculi. Veluti Tilmontius in notis ad vitam S. Iacobi, *Le* Brun in *explicat. Cærem. miſſæ*, Renaudotius *diſſertat. de liturgiarum orientalium origine & auctoritate*, Pinius *Tr. hiſt. de antiqua liturgia Hiſp.* Locus præſertim S. Basilii in medium eſt productus lib. de Spiritu ſancto, ubi dicit: *Verba invocationis, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis ſanctorum ſcripto nobis reliquit?* Quæ tamen verba *Iul.* Garnerius, editor recens operum S. Basilii, non de veterum ſcriptorum libris, aut liturgiis ſumenda vult, ſed de cautione adhibita, ne quid de myſteriis non ſolum ad gentiles, ſed etiam ad catechu-

Epiſt. LIV. n. 8.

Num. 40.

Apol. II.

De rebus eccleſiaſt. c. 22.

T. II. diſſ. I.

T. I. p. VIII. ſeq.

Boll. T. VI. Iul.

techumenos permanaret. Atque Vicecomes, Bona, Boquilot, Mariati, aliique tuentur, fuiſſe iam initio certas liturgiarum formulas, eo quod paſſim ad apoſtolorum traditionem, ac quidem quoad occidentem ad S. Petrum hoc referatur. Quod tamen, quoad libros ſcriptos, argumentum haud ſtringit, licet quoad generalem quendam in ſacris peragendis ordinem aliquid valeat. Ac ſaltem ſæculo quarto iam extitiſſe libros liturgicos, ex S. Athanasii epiſtola ad orthodoxos probatur, in qua conqueritur ab *Arianis* ſacros omnes libros, qui eccleſiaſtico uſui deſtinati erant, admoto igne conſumptos eſſe. S. Hilarii *liber de myſteriis* etiam ad hoc ſæculum pertinet. Ut adeo Brunii ſententia ſuſtineri non poſſit, uſque ad ſæc. V. per ſolam traditionem ſervatum eſſe ordinem Liturgiæ & normam conſecrationis: ac moderatior eſt Renaudotii ſententia, quarto ſæculo aut ſcriptas non fuiſſe Euchariſtiæ celebrandæ formas; aut, ſi ſcriptæ fuerint, non integras, ut ſunt Iacobi, Basilii, & Chrysostomi, cum omnibus precibus, & ceremoniis, ſed ſummatim tantum fuiſſe deſcriptas, ita ut partes illas tantum, quæ præcipuæ ſunt, continerent.

IV. Neque tamen hoc etiam aſſeveranter dicit Renaudotius, veluti in dubio relinquens, diligentiſſimus auctor, qui collectionem liturgiarum Orientalium tomis duobus comprehenſam in lucem edidit, quibus maxime ſolent nomina apoſtolorum, vel virorum apoſtolicorum præponi. Nec tamen ei videtur in *Græca* eccleſia antiquius ſcriptum eſſe, quod ad ſacros Euchariſtiæ ritus precesque referatur, quam ea forma, quæ ultimo *conſtitutionum apoſtolicarum* libro inſerta eſt. Notat vero primum, quod, etſi viris doctiſſimis merito iudicatum ſit, conſtitutiones illas ante Concilium *Nicænum* fuiſſe collectas, non negent tamen, interpolatas illas multis in locis eſſe. Alterum, quod etiamſi *Græci*, præſertim in rebus eccleſiaſticis, criticem nullam habeant, partem hanc nunquam inter veteres liturgias retulerint, ea procul dubio ratione ducti, quod, licet formam legitimam quamdam ſacri officii euchariſtici iuxta *græcam* diſciplinam repræſentet, in nulla Orientis eccleſia uſurpata fuiſſe reperiatur. Atque inde certiſſimum argumentum deducit de aliarum (Iacobi, Basilii & Chrysostomi) liturgiarum auctoritate, quas paſſim *Græci* laudaverunt & receperunt, quia ſcilicet publico uſu eccleſiarum commendabantur, quod Clementinæ deerat. Imprimis autem in liturgia S. Iacobi maximæ vetuſtatis notas deprehendit. Quodſi tamen conferas Liturgiæ partes, quas S. Cyrillus *Hieroſolymitanus* in catecheſi XXIII. recenſet liturgiæ *Hieroſolymitanæ*, eccleſiæ nimirum *S.*

Liturgia Græca.

Diſſert. de Liturg. orient. T. I. p. X.

Iacobi apoſtoli, liturgiam etiam IACOBI, prout hodie habetur, in multis interpolatam, agnoſces, etſi idem ſit corpus liturgiæ, quemadmodum etiam in reliquis Orientalibus liturgiis, imprimis quæ habetur in *Conſtitutionibus apoſtolorum*, tum lib. II. c. 57., cum lib. VIII. cap. 5. & ſeq. Idque univerſim obſervare licet in omnibus tam Orientis, quam Occidentis liturgiis, eas quoad ſumma rerum capita convenire, quoad lectiones ſcripturarum, ac pſalmorum uſum, canticorumque; oblationem panis & vini, conſecrationemque verbis Chriſti, orationem dominicam, & communionem, ac gratiarum actionem. Quod ſane communem liturgiarum fontem in iis, quæ generalem Euchariſtiæ celebrationem ſpectant, ſatis prodit. a) Id quod maxime intendit declarare RENAUDOTIUS editis tam variarum ſectarum, *Græcorum* ſchiſmaticorum liturgiis. Quibus etiam *Moſcovitæ* ac alii varii populi accenſeri debent, qui lingua quidem *Illyrica*, ritus tamen *Græcorum* ſequuntur. Ad hodiernam uſque diem in Oriente cumprimis liturgia ſub nomine S. BASILII & CHRYSOSTOMI maxime in uſu eſt, ac veneratione, atque ex homiliis præſertim S. CHRYSOSTOMI multa quoad liturgiam veterem *Græcorum* colligi poſſunt, quod ex parte præſtitit BINGHAMUS *Anglus* in Origin. eccleſiaſticis.

Armena, Sclavonica.

V. *Maronitæ & Armeni* ritu quidem *Græco*, lingua vero *Armenica* liturgiam adornatam hodieque habent, veluti etiam olim lingua *Sclavonica Moravi & Bohemi*. Quod vel ideo hic commemoraſſe iuvat, quia *Marcomanni Bohemi* ex *Alemannia* ante bis mille fere annos illuc commigrarunt. At vero ſæculo nono demum SS. CYRILLUS & METHODIUS in *Bulgariam* & alias regiones, *Conſtantinopoli* a THEODORA auguſta miſſi, ritum quidem *Græcum*, lingua tamen *Sclavonica* induxerunt, cauſam coram NICOLAO I. dicente S. CYRILLO, ut in hiſtoria ſacra *Moraviæ* narrat STREDOWSKY, (*Lib. II. c. 12. p. 256.*) epiſtolam etiam IOANNIS VIII. ad SFENTOPULCRUM, *Moraviæ* principem referens, qua id rati habetur. (*pag. 322.*) Teſte vero CHRISTIANO, antiquo ſcriptore, quem plerique BOLESLAI *Sævi* filium ſtatuunt, in vita S. LUDMILLÆ cap. 1. (*Edit. Pragæ an. 1767. pag. 36.*) „QUIRILLUS (CYRILLUS) poſtquam illos Chriſto lucratus

cratus

a) „Ipſum chriſtiani ſacrificii nucleum (ait editor liturgiæ S. PETRI ex cod. Cardinalis SIRLETI) ſi ſtudio chriſtianæ pietatis inveſtiges, ac ſedulo quæras; agnoſces formulam ſacrificalem & *Romanam* D. PETRI, & *Ieroſolymitanam* D. IACOBI, *Byzantinam* ſive *Cpolitanam* D. ANDREÆ, *Epheſinam* D. IOANNIS, *Alexandrinam* D. MARCI, *Mediolanenſem* D. BARNABÆ, & *Indianam* D. THOMÆ prorſus conſentire; atque tanquam ab illo uno veritatis magiſtro Spiritu ſancto editam omnino conſpirare, eandemque omnibus vocem ſonare, quod quidem ad ipſam rei ſubſtantiam attinet, ſive ad rem oblatam, & ad effectum ſacrificii, aliaque conſentanea.“

cratus erat, etiam apices vel characteres novos comperit, & vetus novumque Teſtamentum, pluraque alia de *Græco* ſeu *Latino* ſermone *Sclavonicam* in linguam transtulit. Miſſas præterea, cæterasque canonicas horas publica voce in eccleſia reſonare fecit."

Eum vero ritum poſtea in lingua *Sclavonica* ALEXANDER II. in ſynodo quadam epiſcoporum *Dalmatiæ* & *Croatiæ* vetuit, GREGORIUSque VII. URATISLAO *Bohemiæ* duci negavit, ut iam alibi notavimus. Invectum *Romanorum* pontificum iuſſu ritum *Latinum* DITMARUS, primus *Pragenſis* epiſcopus eiusque ſucceſſor S. ADALBERTUS, alter *Bohemiæ* apoſtolus & martyr, aliique deinceps præſules religioſe proſecuti ſunt; nihilominus CAROLUS IV. an. 1347. a CLEMENTE VI. impetravit, ut officia divina *Sclavica* lingua *Pragæ* in monaſterio O. S. BENED. *Emaus* dicto peragerentur: quin imo *Ambroſianum* ritum, quemadmodum *Mediolani* viget, celebrari fecit idem imperator in monaſterio S. AMBROSII *Pragæ*, ubi nunc religioſorum S. FRANCISCI *Hibernorum* cœnobium viſitur. Quæ vero omnia ibidem gentium ſucceſſu temporum obſoleverunt ſacra.

De Cantu & Muſica ſacra T. II. p. 371.

VI. Liturgiæ primæ *Africanæ* nullum nobis veſtigium ſupereſt, præterquam in ſcriptoribus ex illa terræ parte. TERTULLIANUS paſſim de Euchariſtiæ celebratione conſecrationeque mentionem iniicit. Univerſim vero quatuor rerum meminit in Chriſtianorum cœtibus pro conficiendis ſacris myſteriis tranſigi ſolitarum. *Scripturæ leguntur, pſalmi canuntur, allocutiones proferuntur, petitiones delegantur.* Singula hæc S. AUGUSTINUS, præſertim ſermone CCXXVII. *ad infantes de Sacramentis* ediſſerit. „In actibus apoſtolorum advertite, quando legitur. Modo incipit liber ipſe legi. . . . . Tenetis Sacramenta ordine ſuo. Primo poſt orationem admonemur ſurſum habere cor. Hoc decet membra Chriſti, ſi enim membra Chriſti facti eſtis, Caput veſtrum ubi eſt? Membra habent caput. . . . Ergo in cœlis eſt caput veſtrum. Ideo cum dicitur *ſurſum corda*; reſpondetis, *habemus ad Dominum*. . . . . *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, quia ſurſum cor habemus, gratias agamus, quia niſi donaret, in terra cor haberemus. Et vos atteſtamini *Dignum & iuſtum eſt* dicentes, ut ei gratias agamus, qui nos fecit ſurſum ad noſtrum caput habere cor. Deinde poſt ſanctificationem ſacrificii Dei. . . . Ecce, ubi eſt peracta ſanctificatio, dicimus orationem dominicam, quam accepiſtis & reddidiſtis. Poſt ipſam dicitur, *Pax vobiscum*, & oſculantur ſe chriſtiani in oſculo ſancto."

Liturgia Africana.

T. V. pag. 973.

Singulorum etiam ſparſim apud S. CYPRIANUM eſt mentio: uti lectionum ſcripturæ, ſolemnium illorum verborum, *ſurſum corda*, orationis

domi-

dominicæ cum præfatiuncula, qualis etiamnum habetur. Lectionum utriusque teſtamenti S. AUGUSTINUS paſſim meminit, cui pſalmorum cantus fuit intermixtus, atque etiam ſermo. „Lectiones ſanctæ propoſitæ ſunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid ſermonis, adiuvante Domino, proferamus. In lectione apoſtolica gratiæ aguntur Domino de fide gentium. In Pſalmo diximus, *Deus virtutum converte nos &c.* In evangelio ad cœnam vocati ſumus." Breviter alibi. *Apoſtolum audivimus: pſalmum audivimus: evangelium audivimus: conſonant omnes divinæ lectiones.* Acta etiam martyrum ante miſſam fuiſſe lecta, ex ſerm. XXX. & CCLXXVI. patet. *Poſt ſermonem vero fit miſſa Catechumenis, manebunt fideles: venietur ad locum orationis.* Ut idem de ſacratiori liturgiæ parte loquitur, ſoletque illud 1. *Tim.* II. 1. quo vult PAULUS fieri *obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, huc interpretari. Nec hic prætereundus eſt canon 12. conc. *Milevit.* II. præſente S. AUGUSTINO an. 416. celebrati. „Placuit etiam & illud, ut preces, vel orationes, ſeu miſſæ, quæ probatæ fuerint in concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſive manus impoſitiones ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in eccleſia, niſi, quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in ſynodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum." Apud GENNADIUM in Catal. ſcript. illuſt. notatur: VOCONIUS *Caſtellani Mauritaniæ oppidi epiſcopus. . . Compoſuit etiam ſacramentorum egregium volumen.* Ex *Mario* VICTORINO & FULGENTIO apud SIRMONDUM fragm. I. ac etiam alibi aliquid de liturgia *Africana* diſcere licet. Atque ISIDORUS morem *Africanum* de cantu *Alleluia* (de quo ſæpe etiam S. AUGUSTINUS in ſermonibus) prodit: *In Africanis regionibus non omni tempore, ſed tantum dominicis diebus, & quinquaginta poſt reſurrectionem* Alleluia *cantatur.*

Serm. CXII. *Ser. CLXV.* *L. I. de Off. cap. 13.*

Ambroſiana.

VII. Cum florentiſſima olim *Africana* eccleſia concidit liturgia illa, quæ, ut patet, cum *Romana* convenit. Sunt, qui a Sancto AUGUSTINO *Ambroſianam* liturgiam in *Africam* inductam putent ſeu *Mediolanenſem*, quæ, utut *Romæ* propinquior, peculiarem tamen habuit, hactenusque retinuit ritum. MABILLONIUS, qui in *Muſæo Ital.* obſervationes quasdam de ritu *Ambroſiano* habet, præmittit, quæ LANDULPHUS ſenior habet de tentata per CAROLUM M. officii *Ambroſiani* abolitione. Quæ tamen plena fabulis videtur hiſtoria MURATORIO, etſi aliquid ſubeſſe veri non neget de conatu ſub ADRIANO I. & CAROLO M. abolendæ Liturgiæ, cum tunc temporis idem in *Gallicana* liturgia ſucceſſerit. Idem MURATORIUS refert,

T. I. P. II. p. 106. *T. IV. antiq. Ital. p. 834.*

Digitized by Google

fert, anno quoque 1440. Brandam de *Caſtellione* S. R. E. Cardinalem conſilium cepiſſe abolendæ *Ambroſianæ* Liturgiæ. Verum populum *Mediolanenſem* in eum concitatum ſolum vertere, & a cœpto deſiſtere coegiſſe.

Econtra officium *Ambroſianum Pragæ* Carolum IV. Imperatorem in eccleſia S. Ambrosii induxiſſe paullo ante memoravimus. Leguntur in laudato Muſæo *Italico* Mabillonii p. 95. Pauli ſacerdotis & Gebhardi religioſorum virorum eccleſiæ *Ratisbon.* verba ad presbyterum Martinum, theſaurorum S. Ambrosii cuſtodem, & Anselmum pro libris ad officium *Ambroſianum* ſpectantibus: „ut ordo Ambrosii (inter alia ſcribunt) dulciſſimi ſancti Spiritus organi, quem diſcipulus eius doctor eximius Augustinus traduxit in *Africam*, nobis transferatur in *Germaniam* ad excitandam & dilatandam boni odoris fragrantiam.“ Alias vero in multis conveniunt inter ſe officia *Romanum* & *Ambroſianum* miſſæ præſertim, quæ uno veluti obtutu conſpicua ſunt in incomparabili codice, quem ex Mſc. *Turicenſi* deſcribi curavimus, olim autem ad monaſterium *S. Galli* pertinuit: eſtque collectio liturgica, qua ſingulæ miſſæ & orationes ſuis deſignantur nominibus *Ambroſianæ*, *Gelaſianæ*, *Gregorianæ*. Ad eam meridionalem plagam *Alemannia* archiepiſcopatui *Mediolanenſi* propius accedit.

Varias mutationes ritus *Ambroſianus* in ipſa eccleſia *Mediolanenſi* tulit, ut vel ex typis editis miſſalibus eluceſcit. In eo repurgando, atque antiquæ puritati reſtituendo imprimis S. *Carolus* Borromæus & cognominis *Fridericus* invigilarunt. *Ioſephus* Vicecomes *Ambroſiani* collegii doctor, multa habet de liturgia *Ambroſiana* libro 2. de ritibus miſſæ, uti etiam Cardinalis Bona lib. I. c. 10. rer. liturg. Mabillonius lib. I. de liturgia *Gall.* c. 2. ac Muratorius laudatus. Pamelius in liturg. eccleſiæ latinæ, ac Martenius de ritibus eccleſiæ ordinem miſſæ *Ambroſianæ* ediderunt, varia etiam Muratorius T. IV. Antiq. *Ital.* quæ inter imprimis notabilis eſt Beroldi *Mediolanenſis* ſcript. ſæc. XII. ordo & *p. 862.* cæremoniæ eccleſiæ *Ambroſianæ Mediolanenſis*. Prodiit porro 1499. *Mediolani* Rationale cæremon. miſſæ *Ambroſianæ*. Poſt Amalarium nominatim de ord. Antiph. c. 35. & Micrologum, ac alios etiam medii ævi auctores, Radulphus de Canonum obſervantia paſſim notat ritum *Ambroſianum*, ſpeciatim autem Prop. XXIII. de S. Ambrosio dicit: *Orationes autem miſſæ copioſe beatus* Ambrosius *ordinavit*, *&* S. Gelasius *poſt eum auxit.* *De eccleſ. obſervat. c. 48.* Et *Walafridus* Strabo. *cap. 22.* Ambrosius *Mediolanenſis epiſcopus tam miſſæ, quam cæterorum diſpoſitionem officiorum ſuæ eccleſiæ, & aliis Liguribus ordinavit. Quæ uſque hodie in Mediolanenſi tenentur eccleſia.* *Rer. lit. L. I. c. 10.*

Vicecomes apud Card. Bona liturgiam a S. Barnaba apoſtolo inſtitutam, a S. Mirocle auctam, & a S. Ambrosio illuſtratam dicit, quæ poſt eius mortem *Ambroſiana* ſit appellata. Hæc ex illis ſunt cenſenda, quæ paullo ante de incertis eiusmodi primis liturgiarum originibus diſſeruimus. Licet dubium non ſit, conſtituto ordine ac certis ritibus, ante S. Ambrosium in eccleſia *Mediolanenſi*, ut alibi, ſacra fuiſſe obita. Quo reſpicit S. Ambrosius in epiſt. ad ſororem Marcellinam, libb. de fide ad Gratianum, atque in tractatu de *Initiandis*. Nec prætereundi ſunt libri *de Sacramentis*, licet dubius ſit auctor, cum pleraque fundamentum habere in illis libris, quæ pertinent ad liturgiam *Ambroſianam*, iam Mabillonius annotarit. Nec obeſt, quod canon, qui in illis libris refertur, cum *Romano* conveniat, quippe qui etiam in *Ambroſiana* miſſa frequentatur, nec Canon miſſæ *Ambroſianæ* in Cœna Domini, quem ex Mſc. ſæc. IX. vel X. edidit Muratorius, a communi per annum differt, niſi in paucis ad feſtum Cœnæ pertinentibus. Martenius in *Itin. litterario* meminit antiqui ſacramentarii, ubi in Canone habetur: „Infra actionem quotidianam S. Ambrosii *Mediolanenſis* archiepiſcopi: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine placatus accipias, quam tibi devoto offerimus corde pro pace &c. diesque noſtros in tua pace diſponas.*" Quæ verba S. Gregorio M. tribuuntur, habentur nihilominus in Canone *Ambroſiano*. Item inter miſſas *Ambroſianas Romanæ* reperiuntur, e. g. tres in Nativ. Dom. ubi in ſecunda miſſa vel ipſæ orationes de S. Anastasia relictæ ſunt, quæ ad ſtationem *Romanam* pertinent. Pamelius miſſas *Ambroſianas* orationes & Præfationes, ſi non in univerſum omnes, certe plerasque vere a S. Ambrosio in lucem editas putat. „Quæ vero (inquit) ſequuntur de ipſo divo Ambrosio, & fratre eius Satyro, aut D. Simpliciani ſunt, aut alterius cuiuſpiam ex proximis D. Ambrosii ſucceſſoribus. Idem eſto iudicium de illis *præfationibus* ſupra poſitis, in quibus beati Ambrosii nominatim ſit mentio, quibus ad marginem adiecimus notam hanc, Simpliciani. Exiſtimatur auctor divus Simplicianus." Qua in re argumentis opus foret, in tanta copia præſertim *præfationum* ad ſingula feſta, quam paſſim etiam in antiquioribus *ſacramentariis Romanis* deprehendere licet, in noſtro præprimis antiquiſſimo *Rhenaugienſi*, quem edimus ad normam *ſacramentarii Gelaſiani*.

De Lit. Gall. l. I. c. 2. n. 7.

P. II. p. 40.

Lit. T. I. p. 451.

Mozarabica.

VIII. Inter liturgias occidentalis eccleſiæ non penitus abolitas *Hiſpanica* recenſenda eſt, vulgo *Mozarabica* dicta. „Chriſtiani (inquit Pamelius)

LIUS) in *Hiſpania Arabibus* permixti, *Mozarabes* dicebantur, quaſi mixti *Arabibus*, & officium divinum eorum *Mozarabe* inde appellationem retinuit. Uſitata fuit hæc miſſa iam olim, & maxime D. LEANDRO *Hiſpalenſi*, & poſt D. GREGORIUM partim adhuc D. ISIDORO. Imo hac uſa eſt *Hiſpania* uſque ad tempora ALPHONSI Sexti, quo tempore auctoritate GREGORII Papæ Septimi mutata eſt, licet & *Toleti* adhuc in ſex parochiis ſervetur, & in cathedrali eccleſia in ſacello fratris *Franciſci* XIMENEZ, ac *Salmanticæ* ſtatis etiam diebus in ſacello doct. *Talabricenſis*, quod eſt in periſtylo templi ſummi.“ Cuius officii modum & ordinem conſequenter ponit ibi PAMELIUS ex VASEO in chronico. Alia reperies apud Card. BONA, & AQUIRRE, BRUNUM, ALVARUM, GOMECIUM, ROBLESIUM, in vita *Franciſci* XIMENEZ, *Toletani* archiepiſcopi & Cardinalis. Cuius ſtudio poſt *Ioannem* de TORDESILLAS, archiepiſcopum *Hiſpalenſem* revocata eſt in uſum, atque edita an. 1500. Indeque MABILLONIUS partes eius liturgiæ exponit, quod rariſſima ſint in his partibus iſtius editionis exemplaria. Cauſam nobis prodit RENAUDOTIUS: „Fuit (inquit) ante annos non ita multos vir ſummæ dignitatis, litterarum litteratorumque fautor eximius, ſed nihil minus quam theologus, qui miſſales *Moſarabicos* libros, quorum exemplaria rara iam erant, rariſſimos effecerit, dum omnes, quos conquirere poterat, flammis abſumeret, ratus eos ſcatere erroribus, quia *Romanam* miſſam verbotenus in illis non reperiebat. Sed talium hominum qualiacunque fuerint iudicia, neque cum veteris eccleſiæ, quæ vetuſta illa officia uſurpavit, aut aliorum doctiſſimorum iudiciis comparanda ſunt, quales nuper fuerunt Cardinales BONA & THOMASIUS, qui eadem ediderunt, & commendaverunt, ſuccum Chriſtianæ primorum ſæculorum theologiæ & pietatis in illis agnoſcentes.

Lit. eccleſ. lat. T. I. p. 642.

De liturg. Gall. lib. I. c. 2. n. 10. ſeq.

Diſſert. de lit. orient. orig. T. I. p. XVII.

Henricus FLOREZ in *Hiſpania ſacra* copioſe tractat tomo tertio peculiari diſſertatione hiſtorico-chronologica de antiqua miſſa *Hiſpanica*, liturgia officioque *Mozarabico*, quod *Romæ* ſæculo decimo & undecimo etiam approbatum, donec eodem adhuc ſæculo undecimo *Romani* pontifices GREGORIUS VII. & ante eum ALEXANDER II. in *Arragonia* ritum hunc a *Romano* diverſum tollere ſtuduerunt. a) Quod æquis animis non tulerunt *Hiſpani Mozarabes*, diu obſtrepentes ſæc. adhuc XII., ut diſcimus ex epiſtola 83. EUGENII III. ad Clerum & populum *Toletanum*, cuius hoc eſt argumentum, *ut Muzarabes Toletano archiepiſcopo pareant, & in cæremoniis ab eo non diſſentiant*, ita vero habet: „Significatum bene eſt, quod quidam, qui *Muzarabes* nuncupantur

§. 12. &c. pag. 187. ſeqq.

T. X. Conc. ed. Labb. col. 1099. T. XII. ed. Venet. col. 1626.

a) Totam rem quoad ortum & progreſſum liturgiæ *Hiſpanicæ* breviter colligit ad calcem diſſertationis p. 358.

pantur, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo *Toletano* obedientiam denegantes, eccleſias de manu laicorum recipiant: & in *ſacramentis* miſſarum & aliis divinis officiis, tonſura quoque clericali & veſtimentis, ſuam antiquam conſuetudinem ſubſequentes, ab apoſtolica ſede diverſa ſentire præſumant. Quia igitur apoſtolicæ ſedi tanta eſt a Domino collata poteſtas, ut quam pro ſanis dogmatibus, fidelium moribus, dominico tempore ſcripſit, hodie teneatur acceptum: & quam illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto magis, quæ ob reverentiam catholicæ fidei in *ſacramentis* miſſarum, & aliis divinis officiis inſtituiſſe dignoſcitur, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus reverenter aſſumi? Univerſitati veſtræ per præſentia ſcripta mandamus, quatenus eos diſtrictius moneatis: ut in *ſacramentis* miſſarum, & aliis divinis officiis, a catholica eccleſia diſſentire de cætero non præſumant."

Vid. Flores. l. c. §. 11. p. 262. Neſcio num aliquid mali forte ſuſpicati ſint pontifices ab ELIPANDI in *Hiſpania* errore ſæc. VIII. aut forte a prima illius liturgiæ in *Hiſpanias* ex nonnullorum ſententia invectione per *Gothos Ariana* hæreſi addictos, quam ſecum intulerunt ex oriente ab ULPHILA eorum epiſcopo ad eas partes a catholica eccleſia abeunte. Id colligere eſt ex iis, quæ de ULPHILA apud *Ammianum* MARCELLINUM & SOZOMENUM leguntur, & *S.* IOAN. *Chryſoſtomus* de UNILA altero *Gothorum* epiſcopo ad OLYMPIADEM ſcribit, iam *Fr.* VEZZOSIO memorata præfatione in Tom. VI. opp. Ven. Card. THOMASII p. XLV. Unde etiam liturgia *Hiſpanica* affinitatem cum orientalibus habet.

Ritum tamen *Hiſpanicum* fuiſſe primitivum *Romanum*, laudatus FLOREZ haud procul ab initio ſuæ diſſertationis de antiqua miſſa *Hiſpanica* probandum ſuſcipit §. 3. & 4. atque adeo ritum *Gothico-Hiſpanum* primam originem a *Romana* eccleſia habere. a) Nec dubitat, liturgiam ſæculo I. introductam eam ipſam fuiſſe, quam S. PETRUS inſtituit allatam per ſeptem viros apoſtolicos TORQUATUM &c. b) nec abhorruiſſe ritum *Gothicum*, a medio ſæculo quinto uſitatum, a ritu antiquo Occidentis, qui fuerit *Romanus* primitivus. Sæculo ſexto diverſitatem deprehenſam fuiſſe. Quamobrem ipſi epiſcopi *Hiſpani* ad *Romanam* eccleſiam recurrerunt.

a) Impreſſum miſſale *Mozarabicum* hunc præfert titulum: *Miſſale mixtum ſecundum regulam B.* ISIDORI, *dictum Mozarabe*. Dicti *Muzarabes* ſeu *Mixtarabes*, quod cum *Arabibus* permixtim viverent Chriſtiani. Unde illorum ritus eccleſiaſticus officium *Mixtarabum* nuncupatus, teſte *Bl.* ORTIZ in deſcriptione templi *Toletani* c. 41. Varias de inſcriptione hac ſententias Doctorum ad examen revocat FLOREZ §. 21.

b) FLOREZ in appendice p. 361. ſeq. ſiſtit officium *Muzarabum* applicatum feſto SS. TORQUATI & comitum eius epiſcoporum, quoad veſperas, vigilias, laudes, & miſſam. Ii ſunt ſeptem illi viri apoſtolici: TORQUATUS, TISEFONS, INDALECIUS, SECUNDUS, EUPRASIUS, CECILIUS, & ESICIUS *Roma* miſſi.

runt: Profuturus primum *Bracarenſis* epiſcopus conſultatione *Romam* miſſa, ad quam habetur Vigilii P. reſponſio, quam alii Silverii eſſe volunt, atque poſtea an. 561. ſecundum Aquirre, vel 563. iuxta Baronium in concilio *Bracarenſi* communi voce Patres reſponderunt Lucretio, Profuturi ſucceſſori: „Neceſſarium & valde hoc utile arbitramur, ut ea, quæ apud unumquemque noſtrum varia & inordinata conſuetudine retinentur, unito inter nos, per Dei gratiam, quo per concordiam celebrentur, officio. Et idcirco, ſi quid illud eſt magnum vel parvum, in quibus variari videmur, ad unam, ſicut dictum eſt, formulam præfixis rationabiliter capitulis revocentur: præcipue cum & de cæteris quibusdam cauſis inſtructionem apud nos ſedis apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationem, quondam venerandæ memoriæ prædeceſſoris tui Profuturi, ab ipſa beatiſſimi Petri cathedra directa eſt.“ Sequuntur dein decreta de una eademque forma divinorum officiorum, atque poſtremo: „Ut eodem ordine miſſæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam huius metropolitanæ eccleſiæ epiſcopus ab ipſa apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.“ *T. V. Conc. ed. Labb. p. 839.*

Nihilominus Pinio in tractatu hiſtorico-chronologico *de Liturgia Hiſpanica* probabile admodum videtur, liturgiæ *Romanæ*, primis legis chriſtianæ temporibus introductæ, hoc ipſo ſæculo ſexto plurima ex liturgia orientali immixta fuiſſe. Opera impenſa fuit a Martino *Dumienſi*, archiepiſcopo *Bracarenſi* poſt Profuturum & Lucretium circa annum 572. Ioanne *Gironenſi* & S. Leandro: „In eccleſiaſticis officiis idem non parvo laboravit ſtudio: in toto enim pſalterio duplici editione orationes conſcripſit. In ſacrificio quoque, laudibus atque pſalmis multa dulciſone compoſuit.“ Ut perhibet de eo S. Isidorus *Hiſpal.* cuius ipſius nomen legitur in fronte eius liturgiæ. Silent tamen Braulius epiſcopus *Cæſarauguſtanus*, & S. Ildephonsus (qui etiam in hoc opere unacum eius anteceſſore S. Eugenio, & ſucceſſore S. Iuliano laudatur) Synchroni & amici, dum de eo agunt, atque in conciliis *Toletanis* III. & IV., cui præfuit S. Isidorus iam ritus aliqui ceu inoliti memorantur ad hanc formam exacti. *Boll. T. VI. Iulii p. 16. ſeq.* *De viris illuſt. c. 28.* *Vid. Florez. l. c. §. 9.*

IX. Quæ autem in his conciliis acta ſunt, etiam ad *Galliam Gothis* tunc ſubiectam pertinent *Narbonenſem* nimirum, iuxta lectionem veriorem canonis *Tolet.* IV. *Ut propter unitatem pacis in Gallicanis eccleſiis ſervetur &c.* loco *Gallicianis.* Atque hinc ratio patet convenientiæ *Gallicanæ* cum *Mozarabica* liturgia, quam Cardinalis Bona obſervavit, & Mabillonius, atque poſt eum Pinius multis argumentis, collatis inter Cum Gallicana veteri comparata.

Lit. Gall. lib. I. c. 3. 4. ter ſe liturgiis, probat enumeratione partium, quibus aut conveniant inter ſe, aut diſſideant. In hoc autem non conveniunt, quænam alteri ſit præferenda ætate. Pro *Gallicana* ſuæ antiquitate ſtat MABILLONIUS & RUINART in annotat. ad S. GREGORIUM *Turonenſem*, maiorem vero PINIUS *Hiſpanicæ* tribuit. *De liturgia ant. Hiſp. c. 10.* Quæ debeat eſſe *P. Henrici* FLOREZ ſententia, ex relatis modo palam fit de liturgia *Romana* tempore Apoſtolorum in *Hiſpaniam* allata, cui ex ſententia PINII ſæculo demum ſexto ex liturgia orientali immixta plurima fuerunt, uti audivimus. Miror FLOREZIO, adventum S. IACOBI in *Hiſpaniam* tam operoſe proſequenti, in animum haud veniſſe, liturgiæ *Græcæ* formam per eum in *Hiſpaniam* illatam fuiſſe. Ad demonſtrandam liturgiæ *Gallicanæ* antiquitatem argumentum petunt *Galli* ex ſimilitudine cum liturgia *Græca*, a primis fidei præconibus epiſcopiſque in *Gallia* natione *Græcis* argumento haud improbabili ſumto, quorum inſtar ſecuti ſint S. HILARIUS *Pictavienſis* epiſcopus, MUSÆUS & SALVIANUS *Maſſilienſes* presbyteri, SIDONIUS *Avernorum* epiſcopus, & GERMANUS *Pariſiorum*, quorum ſtudia in liturgicis ac opera celebrantur.

Diverſitatem vero ritus *Romani* a *Gallicano* obſervare licet ex epiſtola celebri INNOCENTII I. ad DECENTIUM *Eugubinum*; atque ex iis, quæ S. GREGORIUS M. reſpondet S. AUGUSTINO *Angliæ* apoſtolo, ut Ven. BEDA narrat, quid ea in diverſitate ſibi faciendum ſit, ſciſcitanti, palam fit. *Hiſt. Angl. lib. I. c. 27.* HILDUINO porro abbati, in epiſtola ad LUDOVICUM *Pium* præmiſſa commentariis Areopagiticis, memorantur *antiquiſſimi & nimia pene vetuſtate conſumpti miſſales libri, continentes miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei uſu in hac occidentali plaga eſt habitus, usquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſceperit.*

Proſtant hodie ſex eiusmodi libri, ad veterem liturgiam *Gallicanam* a *Romana* diverſam pertinentes: ex quibus duo Card. BONA orbi litterario denunciavit *ſacramentaria*, quæ unacum tertio a V. THOMASIO edita, in liturgia ſua *Gallicana* (poſteaque etiam MURATORIUS in *Romana*) recudi curavit MABILLONIUS, adiecto lectionario *Luxovienſi*, & ad calcem *Muſæi Italici* ex cod. *Bobienſis* monaſterii altero *ſacramentario*: quibus *Ed.* MARTENE & *Urſ.* DURAND addiderunt veterem miſſæ *Gallicanæ* expoſitionem S. GERMANO *Pariſ.* adſcriptam, præmiſſo in præfatione ordine miſſæ, quem etiam explicatum dedit poſt Cardinalem BONA MABILLONIUS, RUINART in præfatione & appendice operum S. GREGORII *Turonenſis*, nuperrime iterum P. VEZZOSI in præf. T. VI. opp. V. THOMASII, miſſalia nihilominus illa a *Romanis* diverſa nuper omnia ad *ſacramentarium Gelaſianum* referenda duxit HONORATUS a *S. Maria*

T. V. Theſ. novi Anecd.

ria Carmelita diſcalceatus ex provincia *Aquitaniæ* in animadverſionibus in regulas & uſum critices; ὑπερκριτικῶς ſane. *T. III. lib. V. diſſert. III. §. 2. & 3.*

X. Ac quoad primum quidem (quod Card. THOMASIUS vocat *Gothicum ſeu Gallicanum*, MABILLONIUS *Gothico-Gallicanum* nuncupari poſſe dicit) Card. BONA teſtatur, titulum hunc præfixum habere manu recentiori, *Miſſale Gothicum*; & ex eo quasdam liturgicas precationes excerptas eſſe, ac tomo ſexto Bibliothecæ veterum Patrum edit. *Pariſ.* p. 155. inſertas: „Exiſtimans (ſunt verba MABILLONII lib. III. de lit. *Gallicana*) quod revera eſt, hoc eſſe vetus miſſale *Gallicanum*, præſertim *Galliæ Narbonenſis*, *Gothorum Hiſpanicorum* regno olim ſubiectæ. Ut non temere *Gothicum* dixerit, quisquis ille ſit, qui recentiorem titulum codici appoſuit. THOMASIUS *Gallicanæ* eccleſiæ hoc eſſe miſſale comprobat ex compluribus Sanctorum *Galliæ* feſtis, ut S. SATURNINI epiſcopi *Toloſani*, ſanctorum FERREOLI & FERRUTIONIS martyrum *Veſontionenſium*, ſancti SYMPHORIANI martyris *Auguſtodinenſis*, itemque S. LEODEGARII eiusdem urbis epiſcopi, & ſancti MARTINI *Turonenſis*. Aliud etiam argumentum deſumit ex triduanis ante Aſcenſionem Rogationibus, quæ in *Galliis* inſtitutæ, ſerius ad alias eccleſias pervenerunt: imo apud *Hiſpanos* poſt Aſcenſionem reiectæ. Adeo ut certum ſit, hoc miſſale non eſſe *Hiſpanicum*, etſi in eo referatur miſſa in natali S. EULALIÆ virginis & martyris *Luſitanæ*, quæ apud *Francos* olim celebris erat, ut patet ex GREGORIO, & ex *Venantio* FORTUNATO." Hæc MABILLONIUS. Subditque de tempore, quo ſcriptus ſit codex ille, non omnino conſtare; attamen ex forma litterarum, & ex Liturgiæ *Gallicanæ* abrogatione, quæ pontificatu HADRIANI I. regnante CAROLO M. ante annos nongentos facta ſit, apparere, hunc ineunte ſæculo octavo, nempe ad exemplum alterius codicis vetuſtioris fuiſſe exaratum, non citius, propter feſtum S. LEODEGARII, qui anno DCLXXVIII. necatus eſt. Liturgia ergo hæc eo tantum *Gallicana* dici poteſt, quo in *Gallia* dominabantur *Gothi*, unde quidem iam a CLODOVEO M. eiecti, compulſique in *Hiſpaniam*, provinciæ *Narbonenſis* oram ſaltem maritimam, quæ ipſis olim a *Romanis* conceſſa erat, & *Gothica* poſtea de eorum nomine dicta eſt, in poteſtate ſua retinuerunt; quoad tandem CAROLI *Martelli* armis erepta, *Francorum* regno adſcita eſt, ut SIRMONDUS apud LABBEUM T. V. col. 1031. conc. notat. Alii receptionem tardius reponunt. De quo ſupra.

Miſſale Gothicum.

pag. 175.

XI.

Miſſale Francorum. p. 262. XI. Succedit alterum miſſale editum a laudatis auctoribus, atque etiam a Morino de ſacris ordinationibus commemoratum in gratiam, ut ipſi videtur, eccleſiæ *Pictavienſis* ſcriptum. „Nullius (inquit) ſancti, præter ſancti Hilarii miſſam ſpecialiter continet, ipſius nomine in orationibus, in *præfatione*, & infra *actionem* expreſſo: cæteræ miſſæ communes ſunt. In *memento* quoque poſt Cosmam & Damianum Hilarii fit memoria & Martini. Codicem illum *Gallicum* fuiſſe, dubitari non poteſt: cum in miſſa pro regibus *Francorum*, & in variis orationibus imperium *Romanum* numquam commemoretur, ſed perpetuo Deus in eo pro regni *Francorum* proſperitate exoratur.“ Itaque videtur ipſi codex ille poſt annum DXI. ſed ante annum DLX. in *Gallia* ſcriptus, pag. 236. *Gallis* nondum in unum populum cum *Francis* coaleſcentibus. Brunius ætatem illius ad medium ſæculum VIII. revocat; Mabillonius vero non ſæculo ſexto, ut Morino viſum, ſed in ſequenti conſcriptum pag. 178. exiſtimat, at non ſerius ob duas rationes. „Primo enim (inquit) in benedictione regum, non de uno, ſed de pluribus regibus ſeu principibus *Francorum* fit mentio, in hunc modum, *Francorum regni adeſto principibus*, tum: *protege regni Francorum nominis ubique rectores.* Quæ arguunt *Francorum* principatum tunc penes unum non fuiſſe, quando vel ſcriptus eſt codex, vel compoſita benedictionis formula. Deinde in canone, ubi confeſſores martyribus ſubiiciuntur, uni recenſentur Hilarius & Martinus: cum in ſæculi noni codicibus plures alii memorentur.“

Francorum miſſale appellavit Mabillonius, quod miſſam pro rege *Francorum* exhibeat. Pluſculum mihi hic tum Thomasius in præfatione ad hoc miſſale cum etiam Mabillonius l. c. p. 177. hic de ritu veteri *Gallicano* deprehendiſſe ſunt viſi: cum pleraque *Romanis* ex fontibus ſint hauſta. Neque enim ordinationum ſolum ritus & precationes eædem ſunt in ordine *Romano* cum benedictione ſuper virgines, neque canon ſolum idem eſt cum canone *Romano*; verum etiam orationes miſſales paſſim conveniunt etiam in denominatione, qua differt ritus *Gallicanus* a *Romano*; quam ibi tandem cum *Romano* miſcet, ubi incipiunt orationes & preces communes *cotidianæ* cum canone, qui totus quantus eſt *Romanus* unacum Præfatione ſeu *Conteſtata* ut antea vocaverat, veluti etiam conſtanter in antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Rhenaugienſi* nominatur conteſtatio, quam alias modo loquendi *Romano* Præfationem appellamus ſc. ante ſacratiorem precem, quæ dicitur *Canon.*

XII.

XII. Aliud eſt *ſacramentarium*, quod *Gallicanum* inſcripſit Mabillonius, ediditque *T. I. Muſæi Ital.* ex *Bobienſi* quidem vetuſtiſſimo codice; *Gallicanum* autem eſſe ſupponit ex collectionibus *poſt nomina ad pacem;* ex vocabulo *Conteſtationis:* ex convenientia cum miſſali *Gothico* ſeu *Gallicano*, & Lectionario *Luxovienſi*, ex feſtis *Gallicanis*, ac Rogationibus. Putat nimirum, ex provincia *Veſontinenſi*, atque ex monaſterio *Luxovienſi* a S. Columbano in monaſterium *Bobienſe* eſſe allatum. Sacramentaria duo alia Gallicana, & miſſa S. Germani.

In liturgia *Gallicana* idem tertium edidit miſſale poſt Thomasium, qui illud *Gallicanum* vetus appellat, cenſet nihilominus *Romano* ordini propius accedere cum in orationum brevitate ex more *Romano*, tum in canone miſſæ, quem ſæpe citat, & ſupponit. „Verum (inquit Mabillonius) & ſecundus codex non ſupponit modo, ſed etiam fere integrum refert: cum tertius alium canonem habeat in ſecunda miſſa de *Adventu*, nec *Romanum* ſupponat, niſi in Cœna Domini, & in priori miſſa de *Adventu*, eius partem. Deinde ſecundi miſſalis orationes non tam diſſerte *Gallicanum* morem ſequuntur, quam tertii miſſalis collectiones. In ſecundo enim duæ conſequenter aſſignari ſine titulo ſolent, ut in *Gelaſiano*: neque ubique orationes *poſt nomina*, nec usquam orationes *poſt pacem;* nec ullæ denique *ante orationem Dominicam*, quæ in tertio miſſali, ut ſemper in primo, ſaltem aliquando referuntur.“ Orditur a miſſa S. Germani epiſcopi, mox ſequitur, *Ad virginem benedicendam*, & *benedictio viduæ*, cætera ad feſta Domini, ac officia de tempore per annum, atque ad Sacramentum baptiſmi miniſtrandum pertinent. Continet præterea etiam orationes ad alias divini officii partes per diem præter miſſam. *Lib. III. de liturg. Gall. p. 178.*

Sub nomine S. Germani extat Expoſitio brevis antiquæ liturgiæ *Gallicanæ* apud Martenium T. V. *Anecdotorum*, etſi nomen non præferat in veteri cod. S. Martini *Auguſtodunenſis*, ex quo illam deſcripſit. Inde autem, quod initio legatur, Germanus *epiſcopus Pariſius ſcripſit de miſſa*, coniecit, aut Germani fœtum hunc eſſe, aut prolixioris eius operis epitomen, ab aliquo eius diſcipulo conſcriptam, & forte in *Æduenſi S. Symphoriani* cœnobio, ubi ille vitam monaſticam profitebatur, priusquam ad infulas eccleſiæ *Pariſienſis* eveheretur. Refert autem ad Germani iam epiſcopi tempora, medium ſaltem ſæc. VI., quod poſt lectas ſanctorum Patrum homilias memoret preces, a diacono ſuper catechumenos factas, ante eorum & infidelium de eccleſia eiectionem, qui tamen ritus vix Germani tempora attigit. Ita autem de recenſitis hactenus a nobis etiam liturgicis *Galliæ* libris loquitur. „His omnibus in libris, id unum dumtaxat, quod tamen præcipuum eſt, habemus, ut eas ſciamus preces, quas ad altare celebrans ſacerdos recitaret, cum *pag. 91.* *Theſ. nov. Anecd. T. V. p. 85.*

lectionibus, quas ſacri miniſtri populo pronunciabant. At quid interim chorus decantaret, quove ordine nos hactenus latebat. Id quidem auctoritate veterum demonſtrare quidam tentaverunt; verum omnino fere incaſſum. Nam præterquam quod in multis defecerunt; in aliquibus etiam erraverunt. Illud autem emolumenti ex ſequenti expoſitione antiquæ *Gallicanæ* liturgiæ accidit, ut integrum illius ordinem, quidve in choro cantaretur, penitus reſciamus.

An ad ritum Gallicanum pertineat miſſa ILLYRICI.

XIII. De his agemus deinceps, veluti etiam de *breviario eccleſiaſtici ordinis*, quod ex cod. *Murbac.* 1000. annorum edidit ibidem MARTENIUS, nosque ſimiles ex *S. Galli*, ac *S. Blaſii* codicibus dabimus, qui proprie rituales ſunt libri, in quibus etiam ad *ſacramentorum* librum provocatur. A quo pariter differt *ordo ſacramentorum*, uti miſſa ab ILLYRICO edita inſcribitur, nosque ſimiles paris aut maioris antiquitatis *Alemannicos* edemus. Opinatus eſt ILLYRICUS, miſſam illam ſuam, quam dicit ex veteri codice bona fide deſcriptam, prout eam *Argentinæ* edidit, in uſu fuiſſe in Occidente circa GREGORII tempora: „Antequam (inquit) *Romana* miſſandi ratio ubique recepta eſt, quod in *Germania* quidem & *Gallia* circa CAROLI M. tempora factum eſt, ferme 800. a Nativitate Domini anno, in *Hiſpania* vero multo ſerius.“ Quod ILLYRICUS *Lutheranæ* ſectæ homo opinatus eſt tantum, pro indubitato acceperunt *Guil.* PEYRATUS in hiſtoria Capellæ regum *Francorum*; & *Carol.* COINTIUS T. II. Annal. *Francorum.* HONORATUS autem *de S. Maria* adhuc longius progreſſus, fontem eum ordinem Liturgiarum occidentalium aſſeruit. Id vero poſtea diſcutiemus; nunc illud tantum dicimus, quod iam Card. BONA idoneis aſſeruit argumentis, longe diverſam ab *Illyriciana* fuiſſe miſſam *Gallicanam.* Quodque contendit ILLYRICUS, olim unicam fuiſſe celebrandæ miſſæ rationem, quemadmodum apud *Græcos*, & ſuam ita eſſe compoſitam, ut ſit pro omni neceſſitate, nec olim fuiſſe miſſas de Sanctis & feſtis, huius ſententiæ falſitatem ex ipſa miſſa ILLYRICI convicit iam MENARDUS, in qua *Introitus*, *Epiſtola*, *Graduale*, *Evangelium*, *Offertorium*, *Secreta*, *Præfatio*, *Communio*, & *Poſtcommunio*, quæ ſolent ſecundum feſta mutari, non ſpeciatim, ſed tantum generatim nominantur. Cumque in miſſa ILLYRICI tot orationes ſeu Apologiæ, ut vocantur, integræ reperiantur, nulla tamen oratio miſſalis apparet, prout denominantur in veteri liturgia *Gallicana*; inde probatur, nec veterem hanc in *Galliis* aut *Germania* uſitatam eſſe liturgiam, ac ne quidem eſſe id genus librorum liturgicorum, qui *ſacramentorum* inſcribi ſolent. Cuiusmodi MUSÆUS GENNADIO compoſuiſſe perhibetur,

Epiſt. dedic. ad Oth. Henr. Com. Palat. Rheni.

Animadv. in Reg. crit. T. III. lib. V. diſt. III.

Not. 997. in Sacram. S. Gregorii.

De viris illuſtr.

ſacra-

ſacramentorum egregium & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu pſalmorumque ſerie & decantatione diſcretum; ſed ſupplicandi Deo, & conteſtandi beneficiorum eius ſoliditate ſui conſentaneum. Et Gregorius *Turonenſis* teſtatur, ſe præfationem libro de miſſis a *Sidonio* Apollinari compoſito coniunxiſſe. Ubi narrat, Sidonium ad feſtivitatem baſilicæ monaſterii invitatum, ſibi nequiter libello ſublato, per quem ſancta omnia agere conſueverat, ita paratum a tempore cunctum feſtivitatis opus explicuiſſe, ut omnes mirarentur, nec putaretur ab adſtantibus ibidem hominem locutum fuiſſe, ſed angelum. Iis quæ ſupra retulimus ex epiſtola Hilduini abb. *S. Dionyſii* ad Ludovicum regem *Galliarum* ſimilia habet Berno *Augienſis*, moxque ſubdit: *In noſtri quoque monaſterii archivo habetur miſſalis longe aliter ordinatus, quam Romanæ eccleſiæ habeat uſus. Walafridus* Strabo teſtatur, *Galliarum* eccleſias ſuis orationibus uſas, quæ adhuc a multis habeantur. Et poſtea: „Quia *Gallicana* eccleſia viris non minus peritiſſimis inſtructa, ſacrorum officiorum inſtrumenta habebat non minima, ex eis aliqua *Romanorum* officiis immixta dicuntur.

Hiſt. lib. II. c. 22.

De quibusdam rebus ad miſſam pertinentibus cap. 2.

De increm. rer. eccleſ. c. 25.

XIV. Apud Ven. Bedam, & paſſim, undecim recenſentur interrogationes S. Augustini cum reſponſionibus S. Gregorii, atque inter illas iſthæc: „Cum una ſit fides, cur ſunt eccleſiarum diverſæ conſuetudines, & altera conſuetudo miſſarum in ſancta *Romana* eccleſia, atque altera in *Galliarum* tenetur?“ Reſpondet S. Gregorius: „Novit Fraternitas tua *Romanæ* eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritum. Sed mihi placet, ut ſive in *Romana*, ſive in *Galliarum*, ſeu in qualibet eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in *Anglorum* eccleſia, quæ adhuc ad fidem nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis eccleſiis colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibusque eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud *Anglorum* mentes in conſuetudinem depone.“ Qualis fuerit apud *Britones* & *Hibernos* ſacrificandi ritus, non plane compertum eſſe, dicit Mabillonius. Modum tamen illum a *Romano* diverſum extitiſſe, colligit ex S. Bernardo de vita S. Malachiæ capitibus 3. & 8. ubi Malachias barbaras conſuetudines *Romanis* mutaſſe, & canonicum divinæ laudis officium in illas eccleſias invexiſſe, memoratur. Huc revocari poteſt, quod idem notat ad miſſale *Francorum* mox initio *de ſacris Ordinibus*, ex miſſali pervetuſto biblio-

Liturgia Britannica.

De liturg. Gall. lib. I. cap. 2.

pag. 301.

thecæ regiæ n. 3865. ad cuius oram legitur: „ *Helias* Scotigena ſic faciebat: & epiſcopus Ugo ſecundum ordinem *Romanum*.“ Subdit Mabillonius: „ Hi epiſcopi erant *Ecoliſmenſes*, Helias quidem tempore Caroli *Calvi;* Hugo vero medio ſæculo decimo. Itaque hic ritus eſt *Gallicanus*, non *Romanus*.“ Unde patet etiam poſt ſuſceptum *Romanum* ritum, fuiſſe, qui aliter ſibi faciendi licentiam ſumerent. Sunt, qui ritum *Gallicanum* antiquiſſimis temporibus in *Britannicas* inſulas invectum eſſe putent a S. Patricio, Germano item, ac Lupo, qui illuc conceſſerunt, in *Galliis* enutriti. Quod de curſu etiam *Gallicano* Usserius aſſerit, iuxta normam monaſterii *Lirinenſis* a Cassiano, Honorato, Cæsario & Porcherio ordinato „ Qui (ſunt Usserii verba) B. Lupum & B. Germanum monachos in eorum monaſterio habuerunt; & ipſi ſub normam regulæ ipſum curſum decantaverunt, & poſtea in *Britanniis* vel *Scotiis* prædicaverunt.“ Peyratus in hiſtoria capellæ regum *Francorum* haud inepte ex allato mox reſponſo Gregorii M. ad interrogationem Augustini conicit, S. Augustinum moviſſe quæſtionem, quod *Angli* aſſueti tunc ritibus *Gallicanis* ægre cum *Romanis* ſubito commutarent, unde S. Gregorio conſultum ſit viſum, ut ex ordine *Romano* & *Gallicano* conficeret ordinem ſacrorum. Sed in dubio eſt, qui & qualis antiquitus ea in orbis plaga fuerit ordo operis Dei, niſi ex diſciplina colonorum inde apud nos coniecturam facere velimus, atque ex antiphonario *Benchorenſi*, quod inter anecdota ſua edidit Muratorius, qui tamen ipſe circa hanc rem anceps hæſit. „ An (inquit) ullum ex vetuſtiſſimis miſſalibus ſuæ gentis luce donarint *Angli*, me latet. Fortaſſis illorum editionem ſuis opinionibus minime conducere ſenſerunt. Certe in iis nihil aliud invenient de Sacrificio incruento, quam quod cæteræ Occidentis liturgiæ præferunt, & quod ſæculo Chriſti octavo clariſſimi eorum ſcriptores Beda & Alcuinus deprædicarunt.

Britan. eccleſ. antiq. p. 343.

L. I. c. 29.

De liturg. Rom. cap. 11.

Liturgiæ aliarum gentium cum Romana commutatæ.

Can. 13. Lib. IV. c. 18.

XV. Ut tamen notabilis aliqua diverſitas fuerit ab ordine *Romano*, haud mihi perſuadeo; cum ab eccleſia *Romana* religionis chriſtianæ ſata acceperit *Britannia* primis & ſubſequentibus eccleſiæ ſæculis. Quidquid autem de aliis ritibus, *Gallicanis* præſertim, ſubvenientibus inde colonis, ac ipſo forte S. Augustino agente, acceſſerit, anno certe 747. in concilio *Cloveshovienſi* decretum eſt, *ut in miſſarum celebratione & cantilenarum modo ritus Romani ſervarentur*, cum iam antea an. 676. ſub Agathone per Ioannem abbatem archicantorem *S. Petri Romæ Romanus* cantus eſſet inſtitutus. Et forte adhuc erat aliqua variarum eccleſiarum diverſitas, qualis certe in ritibus ſacris deprehenditur, etiam poſtquam *Romanus* ritus

undique

undique fuit pervagatus, ut deinceps de *Alemannia* noſtra patebit. Opportunaque eſt hic S. ANSELMI reſponſio ad WALERANNI, epiſcopi *Newenburgenſis* querelas ſæculi XI. adhuc: „ Queritur veſtra Reverentia de Sacramentis eccleſiæ: quoniam non uno modo fiunt ubique, ſed diverſis modis in diverſis locis tractantur. Utique, ſi per univerſam eccleſiam uno modo & concorditer celebrarentur, bonum eſſet & laudabile. Quoniam tamen multæ ſunt diverſitates, quæ non in ſubſtantia Sacramenti, neque in virtute eius, aut fide diſcordant; neque omnes in unam conſuetudinem colligi poſſunt: æſtimo, eas potius in pace concorditer tolerandas, quam diſcorditer cum ſcandalo damnandas. Habemus enim a ſanctis Patribus, quia ſi unitas ſervatur in fide catholica, nihil officit conſuetudo diverſa.“ Fuerunt nihilominus ſtudioſi ſemper *Romani* pontifices, ut cum *Romanæ* eccleſiæ communione unitas etiam in ritibus eſſet. Quod in *Gallia* florente *Francorum* regno ſub PIPINO cœptum eſt, mittente STEPHANO III. cantores an. 787, PAULO I. antiphonarium & reſponſale, HADRIANO I. poſtea *ſacramentarium Gregorianum* illuc, petente CAROLO M. PIPINI filio, ut ex ipſius HADRIANI epiſtola diſcimus, quæ eſt octogeſima ſecunda codicis *Carolini*, habeturque etiam T. III. nov. edit. *Greg.* p. 618. in quo hæc verba leguntur: „ De *ſacramentario* a ſancto prædeceſſore noſtro deifluo GREGORIO Papa diſpoſito iam pridem PAULUS grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, & ſecundum ſanctæ noſtræ eccleſiæ traditionem per IOHANNEM monachum atque abbatem civitatis *Ravennatium* veſtræ regali emiſimus excellentiæ.“ Huc referendum, quod lib. V. Capitular. cap. 71. ſtatutum legitur, ut *unusquisque presbyter miſſam ordine Romano cum ſandaliis celebret.*

De ſacram. diverſ. c. 1. p. 139. nov. edit.

Perſuaſerat ſibi LAMBECIUS, ipſum exemplar ab HADRIANO transmiſſum illud eſſe, quod in bibliotheca *Vindobonenſi*, illuc ex *Augia* noſtra *divite* translatum, ſervatur cum titulo: *In nomine Domini incipit Liber ſacramentorum de circulo anni expoſitus a ſancto* GREGORIO *Papa Romano.* Qui tamen titulus paſſim habetur, ut mox patebit ex authenticis bibliothecæ cubiculi deſcriptis codicibus plurimis illo tempore, poſtquam CAROLUS M. edicto ſancivit, ut unusquisque presbyter miſſam celebraret Ordine *Romano*, ut in lib. V. Capitularium c. 371. collectionis *Anſegiſi* habetur. Eoque alia capitularia pertinent, LUDOVICI *Pii* etiam & CAROLI *Calvi*, cuius extat epiſtola ad Clerum *Ravennatem*, in qua factæ huius mutationis ſeries explicatur, & quam cito pervaſerit, elucescit, ut brevi memoria antiqui ritus *Gallicani* oblitterarentur. „Nam (ut habet ea epiſtola) & uſque ad tempora abavi noſtri PIPINI *Gallicanæ* & *Hiſpanicæ* eccleſiæ aliter, quam *Romana* vel *Mediolanenſis*

T. II. Bibl. Cæſar. c. 5.

eccleſia divina officia celebrabant, ſicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus *Toletanæ* eccleſiæ ad nos venientes ſecundum morem ipſius eccleſiæ coram nobis ſacra officia celebrarunt. Celebrata ſunt etiam coram nobis ſacra miſſarum officia more *Hieroſolymitano* auctore Iacobo apoſtolo. Sed nos ſequendam ducimus *Romanam* eccleſiam in miſſarum celebratione.“

Obſerva hic etiam convenientiam ritus veteris *Gallicani* cum *Hiſpanico*, qui uſque ad tempora Gregorii VII. perduravit, atque tunc ægerrime, nec penitus eſt dimiſſus, dum Alphonsus VI. *Hiſpaniarum rex digniſſimum Romanæ inſtitutionis officium celebrari* in regno ſuo præcepit. Quod ipſe teſtatur in diplomate relato apud Yepezium in chronici *Benedictini* tomo tertio. De aliis eius ritus ſatis diximus ſupra, uti etiam de *Ambroſiano*, in *Italia* hactenus conſervato, Pontificibus licet ſummopere curantibus, ut, quantum poſſent, reliquas occidentis eccleſias adducerent ad amplectendam *Romanæ* eccleſiæ liturgiam, ut mores ab ea diſſonos in ſacris peragendis exuerent. Quod polliceri cogebantur olim epiſcopi pertinentes ad *Romani* pontificis ordinationem, ut iam obſervavit Muratorius ex libro *Diurno C. III. tit.* 7. Notatque ex
T. IV. antiq. Ital. p. 833. Landulpho ſeniore, de quo ſupra, ſub Hadriano I. Pontifice in *Romano* concilio conſtitutum fuiſſe, ut Carolus M. per totam linguam proficiſceretur latinam, & quidquid diverſum in cantu & myſterio divino inveniret a *Romano*, totum deleret, & ad unitatem *Romani* myſterii uniret. Egit id ſane ſtrenue Carolus M. etiam in *Italia*, ac toto
Lib. I. c. 6. ſuo regno, ut patet ex tractatu *de imaginibus*, qui ſub eius nomine extat. „Quod quidem & nos collato nobis a Deo *Italiæ* regno fecimus, ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ faſtigium ſublimare cupientes, & Reverendiſſimi Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parere nitentes, ſcilicet ut plures illius partes eccleſiæ, quæ quondam apoſtolicæ ſedis traditionem in pſallendo ſuſcipere recuſabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæſerant fidei munere, adhæreant quoque pſallendi ordine. Quod non ſolum omnium *Galliarum* provinciæ, & *Germania*, ſive *Italia*, ſed etiam *Saxones*, & quædam Aquilonaris plagæ gentes per nos Deo annuente ad veræ fidei rudimenta converſæ facere noſcuntur.“

Antea etiam *Romani* pontifices id egerunt, ut diſcimus ex epiſtola Zachariæ papæ ad S. Bonifacium, in qua improbat benedictiones,
T. I. Conc. Germ. p. 36. quas *Galli* in miſſa faciebant; aitque tenendam regulam catholicæ traditionis, quam a *S. Romana* eccleſia Bonifacius acceperat. In Capitulari Gregorii ſecundi, quod datum eſt Martiniano epiſcopo, Geor-

GIO presbytero &c. in *Bavariam* ablegatis, hoc primum habetur, ut
ſacerdotibus atque miniſtris „ſacrificandi & miniſtrandi, ſive etiam pſal-
lendi ex figura & traditione ſanctæ Apoſtolicæ & *Romanæ* ſedis eccle-
ſiæ ordine tradant poteſtatem.“ Et mox: „Ut loco ſingularum eccle- *C. 2.*
ſiarum providentes, quomodo unusquisque ſacerdos ſeu miniſter erga ec-
cleſiam debeat conſervare, vel qualiter ſacra miſſarum ſolemnia ſive cæ-
tera diurnarum horarum officia, ſive etiam lectionum ſacrarum novi at-
que veteris teſtamenti ordinabilia prædicamenta ſtudeat obſervare, ſecun-
dum traditum apoſtolicæ ſedis antiquitatis ordinem diſponetis.“ In eo- *T. I. Conc.*
dem argumento fuit Leonis VII. poſtea epiſtola an. 937. ad *Gallos* & *Germ. p.*
Germanos. Quamvis, ut in ſequentibus patebit, magna rituum varie- *604.*
tas ſemper fuerit fere uſque ad duo poſteriora ſæcula.

Poſt concilium *Tridentinum* Pii V. Clementis VIII., & Urbani
VIII. opera id potiſſimum eſt factum, beneficio præſertim artis typo-
graphicæ; cum priorum temporum ſtudia non adeo profecerint ad hanc
conformitatem, etiamſi tam cito *Romanus* ritus inoleverit in occidentali
eccleſia, curantibus *Romanis* pontificibus: nam orientem quod ſpectat,
ad diem uſque præſentem haud eſt mens ac voluntas ſedis apoſtolicæ, ut
latinos mores eccleſiis orientalibus obſervandos præſtitueret, quin etiam
volentibus ritus ſuos immutare, conſtanter obſtitit, eosque religioſe ob- *Vid. ap-*
ſervandos definivit. In occidente ſibi arctius obſtricto aliter agendum *pend. ad*
ſibi duxit, ut eadem lingua idem eſſet ritus, licet hic, ut diximus, *Sacram. La-*
longo tempore diverſitas ingens fuerit, etiam ſingulares apud gentes & *ter. p. 442.*
eccleſias. „Quia vero tanta eſt in ipſis diverſitas officiis (inquit *Wala-*
frid. Strabo) non ſolum pro varietate gentium ac linguarum, verum *C. 25. de re-*
etiam in una gente vel lingua, pro temporum mutatione vel magiſtro- *bus eccl.*
rum ſtudioſa inſtitutione: ut ſi velim cuncta replicare, quæ de hac mul-
tiplicitate iam legimus, magis oneroſus, quam fructuoſus videar futu-
rus audituris. Omittam igitur, quæ infinita ſunt, hoc tantum affirmans,
quod plenarius officiorum ordo, qui nunc per *Romanum* orbem ſerva-
tur, poſt antiquitatem multis temporibus evolutam inſtitutus, & ad
omnem eminentiam ſanctæ religionis eſt dilatatus.“

XVI. Quo tempore adhuc in *Hiſpania* proprius ritus erat, Ætherius tamen & Beatus *Hiſpanici* ſcriptores in ſequentem modum lo- Liturgia Romana a prima origine.
quuntur: „Ordo miſſæ (aiunt) vel orationum, quibus oblata Deo ſa- *L. I. contra*
crificia conſecrantur, primo a S. Petro eſt inſtitutus: cuius celebratio- *Elipand.*
nem uno eodemque modo univerſus peragit orbis.“ Quæ ipſiſſima *De Offic.*
apud Isidorum habentur verba, unde iſti deſumpſerunt. *Romani* pon- *lib. I. c. 15.*
tifices

tifices, quando ad conformitatem rituum reducere diſſidentes ſtuduerunt, hoc ſemper obtenderunt. „Quis enim neſciat (inquit INNOCENTIUS I.) aut non advertat, id quod a principe apoſtolorum PETRO *Romanæ* eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus deberi ſervari, nec ſuperinduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum." Dicit hoc in præſenti verſatus argumento, uti etiam VIGILIUS ad apoſtolicam traditionem revocat *Canonicæ precis textum*, quem PROFUTURO in *Hiſpaniam* miſit. Idem, non ſolum qui medio ævo de officiis divinis ſcripſerunt, verum etiam recentiores doctores non ignobiles ſunt confeſſi, nec dubium eſſe poteſt, in eccleſia *Romana* ordinem aliquem ſacrorum a prima origine obtinuiſſe, quem traditionum tenaciſſima ea eccleſia conſtanter ſervarit, licet variis auctum cum tempore modis, aut etiam apud varias gentes immutatum.

Epiſt. 25.

Inter orientales liturgias variæ occurrunt ſub S. PETRI, aut proximorum ſucceſſorum nominibus, CLEMENTIS, XYSTI &c., uti apud RENAUDOTIUM videre eſt. Sed hæc ad auctorum, quos præſeferunt, ætatem revocari non poſſunt, notavitque laudatus RENAUDOTIUS, primam S. PETRI liturgiam recentioris alicuius *Græci* lucubrationem eſſe, qui mixtam ex canone *Romano* & liturgia CHRYSOSTOMI eam compoſuerit. Et ſi etiam aliquid in huiusmodi liturgiis primævi inſtituti forte deliteſceret, illud tamen diſcerni non poſſet, atque in omnibus his *Græca* ſuſpecta eſt fides, eaque recentioris *Græciæ* ſchiſmaticæ in varias ſectas diſtractæ, quarum uſui, *Iacobitarum* præſertim, ſerviunt illæ liturgiæ *Græcæ*.

T. II. pag. 134. 142. 145. 155. 160. 186. 199. 227. *ſq.*

Vetuſtiſſimum ſacramentarium ex cod. Veronenſi LEONINUM dictum.

XVII. Fragmentum antiquiſſimi *ſacramentarii* noſtra demum ætate in lucem prodiit, cui per coniecturam S. LEONIS magni nomen eſt præfixum. Id P. BLANCHINIUS ex veteri membrana bibliothecæ capituli *Veronenſis Romæ* an. 1735. inter prolegomena ad tomum IV. ANASTASII bibliothecarii primus vulgavit. Quod eius auctorem S LEONEM M. conſtituerit, quantas editori lites moverint, quasque oppoſuerint viri docti difficultates, animadvertit P. VEZZOSI in præfat. ad VI. opp. Ven. THOMASII, putatque, licet multa iis in contrarium prolata ſint, plene tamen ſatisfactum non fuiſſe.

Tantum vero abeſt, ut, quod antiquitatem eius liturgiæ attinet, BLANCHINIUS vir alioquin modeſtiſſimus concedendum aliquid ratus ſit, ut anno 1763. adhuc in vivis *Romæ* mihi ſignificaverit, ſibi iam eam SILVESTRO P. vindicare propoſitum eſſe. Iam THOMASIUS ex MORINO annotavit, comprobavitque præfatione in codices ſacramentorum, ex noſtris ritualibus precibus multa SS. SILVESTRO IULIOque pontificibus non

eſſe

eſſe poſteriora: & ex phraſi ſtyloque ſapere omnino tempora, quæ imperatorem CONSTANTINUM præceſſerunt. Et quis facile abnuat, optimum quemque Pontificem ſanctiſſimo ſtudio adornandæ liturgiæ incubuiſſe pro viribus, cumprimis autem paſſim ſe prodit LEONIS M. tum elegantia dictionis, cum etiam theologia, præcipue catholicum contra *Pelagianos* dogma de gratia Chriſti aſſertum. Fragmentum *ſacramentarii*, de quo agitur, ſub LEONIS nomine recudi fecit MURATORIUS in opere, *liturgia vetus Romana* inſcripto, ubi in diſſertatione prævia toto capite tertio de ea tractat. Ac curate omnia colligit, quidquid in ea ad S. LEONEM referri queat. Fatetur vero, collectionem illam poſt tempora S. LEONIS ab aliquo conſarcinatam ſibi videri veriſimilius, qui quascunque reperit orationes & Præfationes, ab ipſo ſancto LEONE eiusque prædeceſſoribus *Romanis* pontificibus compoſitas, in unum codicem coegerit, & quidem ſine accurato illo delectu, ac ſine exquiſito ordine, quem rei gravitas expoſcebat. A GELASIO P. aut ſub ipſo GELASIO, eadem collectio cum fieri potuerit ex eius ſententia, inclinante ad finem ſæc. Chriſti quinto; vero tamen ſimilius ei videtur, id potius ſub FELICE III. pontifice contigiſſe, qui GELASIO proxime præivit. Cuius rei fundamenta apud ipſum videre poteſt, qui cupit: ea enim diſcutere hic nunc non vacat. Notaſſe tantum intereſt ad præſentem tractationem de liturgia *Alemannica*, in eam ex his etiam fontibus non pauca eſſe derivata. *Pag. 22.*

XVIII. Doctiſſimus P. *Ioſ. Aug.* ORSI a P. BLANCHINIO excitatus, ut de *ſacramentario Veronenſi* ſententiam diceret, illud potius pro *Gelaſiano* habendum exiſtimavit in epiſtola ad BLANCHINIUM data, quam P. VEZZOSI citat, ac pro *ſacramentario* THOMASIANO pugnat. *Gelaſianum* vero ſuum purum integrumque nec ipſe THOMASIUS contendit, faſſus multa in eo legi, a poſterioribus pontificibus adiecta, & aliqua detracta. Quod & de *Leonino* dici poteſt, cum & dictio & materia non unum auctorem declarent. Quare nec etiam *Gelaſianum* dici debet purum putumque, quod ex codice *Veronenſi* ſub nomine S. LEONIS modo indigitavimus, uti etiam *Ioſ. Aloyſio* ASSEMANNO viſum eſt, etſi forte primum ſub GELASIO perfecta fuerit iſta codicis *Veronenſis* ſeu *ſacramentarii Leonini* collectio. Id quod evincere videtur commemoratio S. SIMPLICII pontificis, GELASII ante FELICEM III. prædeceſſoris, tempusque ordinationis GELASII rectiſſime in codice illo aſſignatum in miſſa anniverſaria conſecrationis Pontificum. Vid MURATORIUS *de rebus liturgicis* diſſert. c. 1. p. 27. &c. T. I. *lit. vet. Roman.* Gelaſianum.

Quod vero de Præfationum copia, qua abundaſſe *ſacramentarium Gelaſianum* dicit ANASTASIUS, nec ea (ſi cum parvo numero, novem

nimirum, ad quem tempore ANASTASII in miſſalibus *Romanis* fuerunt redactæ, conferantur) admodum deſideratur in THOMASII *ſacramentario Gelaſiano*, cui cætera etiam ſatis congruunt, quæ IOANNES *diaconus* a S. GREGORIO, in eius vita, præſtita memorat. „Sed & (inquit) *Gelaſianum* codicem, de miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adiiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.“ Quibus plures libros continuiſſe *ſacramentarium Gelaſianum* indicatur, prout eſt *Thomaſianum* in tres libros diſtributum, quorum primus *ordinem anni circuli*, ſecundus, *de natalitiis ſanctorum*, tertius *orationes & preces cum canone* complectitur. Nec etiam hoc congruit compilationi *Leoninæ* ſine ordine fere; aliud de *Gelaſiano* WALAFRIDUS teſtatur: *Nam & GELASIUS papa in ordine LI. ita tam a ſe, quam ab aliis compoſitas preces, dicitur ordinaſſe.* Poterant adhuc plures vidiſſe codices *Gelaſianos* IOANNES *diaconus* & WALAFRIDUS, cum in catalogo ſæc. IX. in *Centulenſi* monaſterio, uti conſtat ex chronico apud DACHERIUM, plures miſſales *Gelaſiani* notentur, quam *Gregoriani*. Dubito, an de his etiam intelligi poſſit RADULPHUS *Tungrenſis* lib. de canonum obſervantia, ubi dicit: „Beatus autem GELASIUS I., de quo ſupra propoſitione XI., tractatus & hymnos in morem B. AMBROSII compoſuit, & inter cætera Præfationes & orationes cauto & limato ſermone fecit. In antiquiſſimis etiam noſtris miſſalibus multæ continentur.“ Et dudum ante RADULPHUM GENADIUS: „Scripſit & tractatus diverſarum ſcripturarum, & *ſacramentorum* elimato ſermone.“

Vid. præf. P. Vezzoſi in T. VI. opp. V. Thomaſ. pag. XXX. &c. *Lib. II. c. 18.* *De rebus eccleſ. c. 22.* *Lib. III. c. 3. T. IV. Spicil.* *Propoſ. XXIII.* *De viris illuſtr. c. 94.*

Quæ vero *Iac.* BASNAGIUS & *Chriſtophorus* PFAFFIUS afferunt ad deprimendam antiquitatem *ſacramentarii Gelaſiani*, a V. THOMASIO editi, ad decimum uſque ſæculum, plane futilia ſunt. Ille *ex cerei paſchalis benedictione*, qualis apud S. GREGORIUM lib. XI. ep. XXXIII. iam memoratur, atque in miſſali *Gothico* & *ſacramentario Gallicano* plus mille annorum habetur. Hic vero ex oratione dominica, quam primum GREGORIUS I. canoni adiecerit, forte eo, quo nunc habetur ordine, cum conſtanter a SS. PP. ipſoque S. GREGORIO ex apoſtolica conſuetudine (ut iam eſt a Card. BONA notatum) memoretur oratio dominica ad conſecrationem Euchariſtiæ adhibita. Quæ aliaque adhuc leviora P. VEZZOSIUS diluit præfatione in novam editionem ſuam ad T. VI. opp. Ven. THOMASII, qui ipſe in ſua præfatione rationes luculenter expoſuit, ob quas illud *Gelaſianum* inſcripſit: cui, ut paullo poſt indicabimus, in pleriſque convenit antiquiſſimum noſtrum *ſacramentarium*, quod ex codice *Rhenaugienſi* inter Monumenta liturgiæ *Alemannicæ* edemus in duos

Baſ. hiſt. eccleſ. T. II. lib. XVI. c. 10. *Pfaff. de liturgiis.*

faltem

Digitized by Google

ſaltem diſtinctum libros; quæ vero ad *Gelaſianam* non ſolum & *Gregorianam*, ſed etiam *Ambroſianam* liturgiam ſpectant preces miſſales, accuratius ſumus deſignaturi ex cod. Mſc. ſeptingentorum circiter annorum olim *San-Gallenſi*, nunc *Turicenſi*, in quo his litteris A. *Ambroſiana*, G. *Gelaſiana*, GG. *Gregoriana* officia miſſæ aliaque diſtinguuntur.

XIX. Quid S. Gregorius in ordinando excolendoque *Gelaſiano ſacramentario* præſtiterit, iam meminimus ex Ioanne *diacono* in eius vita. Ad quem locum reſpiciens *Walafridus* Strabo: „ Et quia (inquit) tam incertis auctoribus multa videbantur inſerta, & ſenſus integritatem non habentia, curavit beatus Gregorius rationabilia quæque curare, & ſecluſis his, quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, compoſuit librum, qui dicitur *Sacramentorum*, ſicut ex titulo eius manifeſtiſſime declaratur. In quo, ſi aliqua inveniuntur ad hunc ſenſum claudicantia, non ab illo inſerta, ſed ab aliis minus diligentibus poſtea credenda ſunt ſuperaddita." Tanta eius poſtea ſemper in hac re eſt habita opera, ut, quidquid alii ante eum, aut etiam poſtea elaboraverint, ipſius cura, in optimam formam redacta ac perfecta liturgia, obſcurarit, ac etiam oblitterarit, cum ordo *Romanus* tanto conſenſu ubique gentium adoptaretur in eccleſia latina. „Ut autem (ſunt verba *Dion.* San-Marthani, editoris operum S. Gregorii ex congregatione *S. Mauri* præfat. in librum *Sacramentorum*) merito iure ordinem, ritumque *Romanum*, quem hic liber *Sacramentorum* exponit, ubique tandem obtinuiſſe demonſtretur, ſatis eſt, illum conferre cum miſſalibus *Gothico*, *Francico*, & veteri *Gallicano*, quæ Mabillonius edidit lib. III. de liturgia *Gallicana*, & cum *ſacramentario Gallicano*, eiusdem Mabillonii opera edito *Muſæi Italici* T. I. ſecunda parte. In his enim ſententiæ obſcuræ & abiectæ, ſermo barbarus, verba corruptiſſima, Deus bone! quam longe abſunt a gravitate & maieſtate libri *Sacramentorum* Gregorio adſcripti." Semper ſanctus Doctor ſpeciale S. Spiritus organum fuit habitus, quem ad rite digneque Deo exhibendum, ſummum præſertim euchariſticum cultum, Spiritus ſanctus aſpiraverit,

Gregorianum.

De rebus eccleſ. c. 22.

Spiritus æthereo deſcendens ſanctus olympo,
Gregorium *papam fœcundat famine ſacro,*
Quo valeat Corpus Chriſti Sanguisque ſacrari.

Prout in fronte venerandæ antiquitatis codicis *ſacramentarii* ſcriptum, ad ipſius imaginem in cathedra ſedentis egregie & ſplendide depictam, reperit Morinus.

De ordinat. p. 290.

Lib. II. c. 17. Dum autem dicit laudatus IOANNES *diaconus* in eius vita, quod codicem *Gelaſianum* pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit, eius ſtudium ſingulare ac induſtriam declarat, qua uſus eſt in omnibus rite ad pietatem diſponendis, ad ſenſum nimirum in lectionibus ſcripturæ ſacræ expreſſum, iuxta librum, quem *Comitem* vocant, ac S. HIERONYMO tribuunt: „Cuius libri ordinem (inquit MICROLOGUS) & S. GREGORIUS diligentiſſime obſervavit, ſive dum lectionibus & evangeliis miſſales orationes in *ſacramentario* adaptaret, ſive dum antiphonas ex eisdem evangeliis quam plurimis diebus in antiphonario articularet.“ *cap. 31.* Ubi, præter librum *Sacramentorum*, notat etiam Antiphonarium, Gradualem nimirum, ut etiam vocari ſolet, ad cantum in miſſa: de Reſponſali enim adhuc dubium eſt, in quo officia canonica nocturna ac diurna habentur. De quo *Walafridus* STRABO: „Ordinem autem cantilenæ diurnis nocturnisque horis dicendæ B. GREGORIUS plenaria creditur ordinatione diſtribuiſſe, ſicut & ſupra de *Sacramentorum* diximus libro: cum multi ante ſive poſt eum orationes, antiphonas, vel reſponſoria compoſuerint.“ *De rebus eccleſ.* S. GREGORIO a nonnullis fuit exprobratum, ac ſi *Kyrie eleiſon*, *Alleluia*, & orationem dominicam in liturgia adiecerit: qua de re extat S. GREGORII epiſtola ad IOANNEM epiſcopum *Syracuſanum*, ab AMALARIO etiam inſerta libro IV. *de Officiis* c. 33. in qua contra aliquorum murmurationem rationem reddit, quaſi eccleſiæ *Cpolitanæ* conſuetudines per omnia ſequeretur. *Lib. VII. epiſt. 63.* Unde nempe uſus iſtos aſſumſit, ſeu potius reſtituit, ac rite ordinavit. „Qui (inquit) aut veteres noſtras reparavimus, aut novas & utiles conſtituimus: in quibus tamen alios comprobamur imitari.“ Et poſtea: „Tamen ſi quid boni vel ipſa (*Cpolitana*) vel altera eccleſia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum.“

Eius variæ editiones.

XX. Nemo tamen unquam novitatem S. GREGORIO obiecit in liturgicis, prout ea compoſuit, quin potius digeſſit ac compilavit, ſeu *centonizavit*, quemadmodum ab eo tempore, quo ordo *Romanus* ubique gentium receptus eſt, undique ſub eius nomine perlata, ac deſcripta hodieque Mſſ. paſſim reperiuntur, ſed variis modis interpolata, aucta, ac immutata. Iam memini, librum *ſacramentorum*, qui in bibliotheca *Vindobonenſi* ſervatur, illum ipſum LAMBECIO eſſe exiſtimatum, quem Summus Pontifex HADRIANUS I. CAROLO M. ad petitionem ipſius dono miſit. *Lib. II. Bibl. Cæſ. c. V. n. 14.* Qui ab iſta ſibi aſſertione temperaſſet, ſi in diverſis Mſſ. legiſſet eundem titulum, quo editus ex authentico libro bibliothecæ cubiculi ſcriptus dicitur. Propoſuit ſibi vir doctiſſimus, uti ad calcem additamento IV. teſtatur, commodiori tempore & loco in peculiari quadam diſſertatione fideliter indicare, *Ibid. pag. 1003.*

care, quantum pervetuſtus ille codex Mſſ. Cæſareus, qui ad Imp. Caroli M., ut ait, bibliothecam cubicularem olim pertinuit, diſcrepet ab edito *Hugonis* Menardi ex miſſali Mſ. S. Eligii. Sed ex his duobus neutrum omne ferre punctum aſſeverare auſim, qui utrumque oculis uſurpavi illum *Viennæ*, hunc vero *Pariſiis* autographum ipſum codicem S. Eligii; qui ſic dictus memoratur auctoribus novi tractatus diplomatici ex Congr. S. *Mauri* PP. Toustain & Tassin, quod ad uſum eſſet eccleſiæ parochialis S. Eligii *Corbeiæ*. *T. III. pag. 349.* Atque codice iſto inter tot alios, inſignem præſertim *Gelonenſem*, qui in eadem extat bibliotheca *San-Germanenſi*, iterum utendum ſibi exiſtimarunt, qui novam editionem operum S. Gregorii pararunt ſodales ex Congregatione *S. Mauri.* Fatentur in præfatione, cum ad librum *ſacramentorum* a S. Gregorio collectum, correctum, ordinatum, auctum, novis typis edendum ſe accingerent, quem potiſſimum tot ex codicibus, aut editis, aut manu exaratis, qui penes ipſos ſint plurimi, edendum eligerent, diu ſollicitos quæſiviſſe, & maturo conſilio deliberaſſe.

Offerebat ſe primo, quem *Angelus* Rocca ex vetuſtiſſimo bibliothecæ *Vaticanæ* exemplari, ut in præfatione teſtatur, excudendum curavit, quique in collectione operum S. Gregorii multoties eſt recuſus. At de laudati codicis antiquitate dubios fecerunt, quæ obſervavit *Hugo* Menardus in præfatione ſua. Ad codicis etiam integritatem non pauca deſiderari, deprehenderunt, omiſſasque fuiſſe præſertim *Benedictiones*, conſtare ex his, quæ in feſto S. Pauli apoſtoli leguntur: *Præfatio & benedictio, quæ ſuperius*, quod nimirum argumento ſit, olim benedictiones in libro *ſacramentorum* extitiſſe; cum tamen in toto volumine ne unam quidem nunc legere liceat.

Iacobi Pamelii editionem T. II. *Liturgicon* eccleſiæ latinæ plurimi factam a viris eruditis intellexerunt, tanquam fontibus propiorem, ſi additamenta parentheſibus vel uncinis incluſa omittantur: eam ſic expurgatam, aiunt, convenire cum duobus vetuſtiſſimis codicibus olim bibliothecæ Reginæ *Sueciæ*, ſcriptis ſub Carolo M. vel Ludovico *Pio* eius filio. Collata eſt hæc Pamelii editio cum uno ex laudatis codicibus, compertumque, eum a Pamelii edito, etiam ſepoſitis omnibus, quæ intra parentheſes includuntur, ſæpe diſcrepare, non in verbis tantum, ſed etiam in Collectis aliisque orationibus, imo in officiis integris. Sancti Eligii codicem, ab *Hugone* Menardo evulgatum, ac notis obſervationibusque illuſtratum, maxima apud eruditos auctoritate valere, cum minime fugeret; perpenſis omnibus æquiori lance, nullum ipſi vel ob antiquitatem vel ob integritatem præferendum duxerunt: inde potiſ-

ſimum, quod nulli alteri aptari potuiſſent *Menardianæ* obſervationes & notæ, quas melioribus formis recudere, rei tum ſacræ, tum literariæ non parum intererat. Id equidem factum bene, non inficior. An vero, quod editionem operum S. Gregorii attinet, codex S. Eligii præferendus fuerit, alia eſt quæſtio. Optaſſet Cardinalis Thomasius, ut a Pamelio editum *ſacramentarium* in editione operum S. Gregorii fuiſſet prælatum, quod illud magis conforme ac ſimile cenſeret primogenio textui ſancti pontificis, quam alia a Rocca & Menardo evulgata. „Sed mirum eſt (ſunt verba Thomasii) quam inter ſe diſſideant, ut difficile ſit litem decidere, nec ego tantorum virorum iudex eſſe poſſum, aut volo; illud tamen pro veritatis amore ſilere non debeo, Pamelio præ reliquis me adhærere: moveor enim ex antiquiſſimorum manuſcriptorum codicum conſenſu, moveor ex multorum feſtorum miſſarumque defectu in eius editione, (ſi tamen quæ virgulis, vel quæ tanquam aliunde accita Pamelius ipſe adnotavit diligenter, dempſeris) moveor ex illius brevitate, quæ *Gregorianam* correctionem iuxta Ioannis *diaconi* narrationem magis redolere videtur; nec minoris dixerim Grimaldi abbatis, ſive Alcuini, magiſtri Caroli M. iuxta Micrologum teſtimonium.“ Notat nihilominus P. Vezzosi in præfat. in Tom. VI. opp. V. Thomasii p. XXXII. Thomasio *Pamelianum* codicem, quamquam omnium, qui in lucem prodierunt præſtantiorem, adeo interpolatum, novis adeo ritibus turbatum viſum, ut non multum a viris doctis, *ſacrarumque* antiquitatum amatoribus fieri mereretur. Rei argumentum petit inde, quod de germano vulgando Gregorii *ſacramentario* & cogitaverit, & operi manum admoverit Thomasius ad Pamelii exemplum, variantibus vetuſtiſſimi alterius *Gregoriani* codicis ſua manu adſcriptis; idque faciendum etiam a P. *Hermanno* Schenk, bibliothecario *San-Gallenſi* literis expetierit. Quæ vero mihi rem non omnino evincere videntur. Ipſum Mabillonium Pamelii textum *Menardino* præferendum confirmaſſe, teſtatur Muratorius, nec dubitandum eſſe vult: „Nimis enim multa (inquit) ſunt in *Gregoriano ſacramentario* Menardi, quæ S. Gregorium auctorem nequaquam agnoſcunt, & a vetuſtis *Romanæ* eccleſiæ moribus recedunt.“ Quæ de Præfationibus & benedictionibus epiſcopalibus dicemus paullo poſt, forte aliquid ad dirimendam hanc litem facere queant.

Præf. in Sacram.

Diſſert. de reb. liturg. c. 6. T. I. p. 65.

Cui iam etiam interceſſit Muratorius, ex *Vaticano* & *Ottoboniano* codicibus edito iterum *Gregoriano ſacramentario*, quod reliquis anteferendum exiſtimat. Quod tum ex characterum forma, quos exhibet, ac maiore ſimplicitate, tum etiam, quod ex Mſc. *Vaticano* exſcriptum ſit,

ſit, facile conceſſerim tam quoad S. Eligii *ſacramentarium*, quam etiam Pamelii, quæ non directe ex ipſis fontibus *Romanis* prodierunt: cum alibi gentium variæ acceſſiones mutationesque factæ in omnibus antiquis codicibus deprehendantur.

Eo ex capite non ſolum editio *Angeli* Roccæ commendatur, verum etiam noviſſima veteris miſſalis *Romani Lateranenſis Romæ* 1754., licet ex codice non adeo vetuſto, ſæculi XI. nimirum, ut teſtatur editor, ac præterea pro monaſtica *Lateranenſis* eccleſiæ congregatione compoſitum dicat illud *ſacramentarium*: unde etiam quasdam mutationes, additiones & detractiones tulit. Nihilominus eccleſiæ *Lateranenſis* conſuetudines magni facere debet, quisquis veteres *Romanæ* eccleſiæ ritus accurate indagare cupit, ut Mabillonius monuit, iuxta ac iam *Petrus* Abaelardus ad S. Bernardum ſcribit: „Antiquam certe *Romanæ* ſedis conſuetudinem nec ipſa civitas tenet, ſed ſola eccleſia *Lateranenſis*, quæ mater eſt omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum ſuarum in hoc eam ſequente, nec ipſa etiam *Romani* palatii baſilica.“ Miſſale hoc in duas partes diviſum eſt, quarum prima, quæ, ut ab editore recenſetur, dignoſcitur aliquantum vetuſtior eſſe ex characteris ſpecie, & ex iis, quæ in ea leguntur: orationes autem, Præfationes, & evangelia, & myſticas in ſacro faciendo preces complectitur; altera vero, quæ primæ aſſuta & coniuncta eſt, quæque recentior eſſe non ſolum ex characterum diverſitate, ſed etiam ex iis, quæ in ea continentur, agnoſcitur, *lectiones*, *Epiſtolæ*, *antiphonæ ad Introitum*, *Reſponſoria in gradibus*, *verſiculi ad offertorium*, & *poſtcommunionem*; adeo, ut in hoc uno codice inveniantur, quæ apud veteres erant in quatuor voluminibus diſpoſita, quibus ad rem divinam peragendam utebantur. Unde patet, non ſolum ea, quæ S. Gregorius M. ſingillatim in *ſacramentario* & antiphonario digeſſit, hic iam eſſe confuſa, ſed etiam intermixta, quæ ipſe non tractavit.

Commentar. in ord. Rom. §. 6.

A ſæculo decimo demum codices nonnunquam in *Gallia* & *Alemannia* reperi, in quibus ſimul, quæ antiphonario ſeu Graduali ſunt propria, orationibus miſſalibus ſunt interiecta; aliàs autem lectiones ſparſim ſubinde deprehenduntur, ubi etiam non habentur illa, quæ ad antiphonarium pertinent: quæ ipſa aliquando ad oram pagellarum tantum ſunt addita, uti de codice *Ottoboniano* notat Muratorius, non autem in *Vaticano*, quod maioris puritatis eſt indicium. a)

De

a) In antiquiſſimo miſſali ſpeciali monaſterii *S. Galli* mille ann. pro nonnullis miſſis votivis reperi lectiones ad calcem ordine adiectas.

De *Ottoboniano* vero codice hæc VEZZOSIUS in præfat. ad T. VI. opp.
Pag. XLII. V. THOMASII adnotat: „Hunc librum quum ſæpe in *Vaticana* bibliotheca, in quam illatus modo eſt, inſpexiſſem, ſuperiori regio-*Vaticano* longe antiquiorem crediderim. Eiusdem etiam rei indicium eſſe poſſet, quod exercitatiſſimus in hiſce iudiciis efformandis THOMASIUS, quum in bibliotheca reginæ *Sueciæ*, in qua ſua ætate uterque reponebatur, utrolibet pro arbitrio uti poſſet, *Ottoboniani*, non regio-*Vaticani* variantes lectiones ſibi notaverat ad marginem editi a PAMELIO *exempli.*" Adſtipulari his ipſe αὐτόπτης poſſum.

Additiones ab aliis factæ. XXI. Citat THOMASIUS, in præfatione ad codices *ſacramentorum*, antiquiſſimum miſſale Mſc. bibliothecæ *Vallicellanæ* ex *Gelaſiano* & *Gregoriano* compoſitum, ex eoque in appendice Miſſalis *Lateran.* mox laudati miſſa de S. HIERONYMO deſcripta eſt: ubi ſimiliter, ut in hodiernis miſſalibus fit, ordine ponuntur cantus, orationes lectionesque. In indice librorum monaſterii *Centulenſis* ad an. 831. apud DACHERIUM notatur: *Miſſalis Gregorianus & Gelaſianus modernis temporibus ab* ALBINO *ordinatus.* Vener. THOMASIUS pluribus demonſtrat, quod hæc de ſuo, quod *Gelaſianum* vocat, in tres partes diviſo, intelligi nequeant: quod in ipſo non habeantur eæ orationes & miſſæ, quæ tum temporis in *Gregoriano ſacramentario* paſſim extabant. Sed nec cum citato *Vallicellano* ea verba indicis *Centulenſis* conveniunt, quod apud MICROLOGUM de eodem opere refertur: „Fecit tamen idem ALBINUS in ſancta eccleſia non contemnendum opus. Nam *Gregorianas* orationes in libris *ſacramentorum* collegiſſe aſſeritur, paucis aliis adiectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe indicavit. Deinde alias orationes ſive Præfationes, etſi non *Gregorianas*, eccleſiaſticæ tamen celebritati idoneas collegit, ſicut prologus teſtatur, quem poſt *Gregorianas* orationes in medio eiusdem libri collocavit." Antequam in hoc loco ediſſerendo pergam, debeo ponere, quod ex *Ferreolo* LOCRIO in chronico *Belgico* ex monaſterii S. VEDASTI antiquis monumentis deſumptum teſtimonium refertur apud LAMBECIUM de RADDONE, eius monaſterii abbate undecimo, quam dignitatem adiit an. 795. „Miſſale implicatum ſatis (ut ferebat conditio temporis) examini venerabilis ALCUINI ſubiecit; cuius deſcriptæ etiam nunc extant apud nos ad RADDONEM epiſtolæ, atque aliquot verſus, quibus opera eiusdem poſteritati commendat." An forte hinc ab ALCUINO anſa eſt arrepta, ut ipſe in ſimili opere elaboraret; an vero aliis ſuſpicio enata, ut aliquid eiusmodi operis ALCUINO tribuerent, non auſim decernere. Certe quod a MICROLOGO ei tribuitur opus liturgicum,

Pag. 478.

T. IV. Spicil.

Cap. 60.

Lib. II. Bibl. Cæſ. c. 5. n. 33. p. 402.

cum, ſibi in cod. Mſc. *Corbeienſi* (qui nunc eſt *ſan-Germanenſis*) adſcribit RODRADUS presbyter factus an. 853. ut prima habet præfatiuncula, ſequiturque altera verſibus:

Hunc ego HRODRADUS *ſanctorum indignus alumnus*
Compoſui librum Chriſti ſub honore dicandum
Officiis ſacris Agni dum victima digna
Relligione pia ſacram mactatur ad aram &c.

In duas potiſſimum dividitur partes codex, ut habet MENARDUS præf. ad lib. *ſacrament.* In prima continentur ea, quæ ipſe RODRADUS exiſtimat tantum fuiſſe a S. GREGORIO collecta, exceptis nonnullis, quæ dicit ſe ad diſtinctionem virgulis iugulaſſe: in altera comprehendit ea, quæ a S. GREGORIO prætermiſſa ait ipſe RODRADUS, ſe ex iis, quæ a probatiſſimis & erudititiſſimis magna diligentia exarata ſunt viris, collegiſſe, adiectis Præfationibus & benedictonibus epiſcopalibus &c. Præfationem excipit ſeries capitulorum ſecundæ partis, atque ipſa ſecunda pars. Omnia hæc reperi nuper in Mſc. PP. *Theatinorum Monachii*, in cuius fronte legitur, recentiori quidem, quam codex ſit ſcriptus, antiqua tamen manu: *Miſſalis* LIEMARI *archiepiſcopi, quem ſcripſit in uſum ſucceſſoris ſui, vixit circa annum Chriſti* 1060. Præfationem unacum ſerie capitulorum edere in lucem operæ pretium eſt, a) quia

præſertim

a) „Incipit præfatio Libri II.
Hucusque præcedens *ſacramentorum* libellus a beato papa GREGORIO conſtat eſſe editus, exceptis his, quæ in eodem in quadrageſima & in aliis quibusdam locis virgulis ante poſitis lectoris invenerit iugulata ſolertia. Nam ſicut quorundam relatu didicimus domnus apoſtolicus in eisdem diebus a ſtationibus penitus vacat eoquod de ceteris ſeptimanæ ſtationibus vacando fatigatur eisdem requieſcat diebus ob id ſcilicet ut tumultuatione populari carens & eleemoſynas pauperibus diſtribuere & negotia exteriora liberius valeat diſponere. Miſſam vero prætitulatam in natali eiusdem beati GREGORII virgulis antepoſitis iugulatam a ſucceſſoribus ſuis cauſa amoris imo venerationis ſuæ eidem ſuo operi non dubium eſt eſſe interpoſitam. Præfatus ſane *Sacramentorum* libellus ſcilicet a plerisque ſcriptorum vitio depravatus qui non ut ab auctore ſuo eſt editus haberetur pro captu tamen ingenii ob multorum utilitatem ſtudii noſtri fuit eum ſtilo artis corrigere. Quem cum prudens lector ſtudioſe perlegerit verum nos dicere illico comprobabit. niſi iterum ſcriptorum vitio depravetur. Sed quia ſunt & alia quædam quibus neceſſario ſancta utitur eccleſia quæ idem pater ab aliis iam edita eſſe inſpiciens prætermiſit idcirco operæ pretium duximus ea velut flores pratorum vernantes carpere & in unum congerere atque correcta & emendata ſuisque capitulis prænotata in huius opere codicis ſeorſum ponere ut in opere cuncta inveniret lectoris induſtria quæcunque noſtris temporibus neceſſaria eſſe perſpeximus quamquam pluriora etiam in aliis libellis *Sacramentorum* inveniſſemus inſerta. Hanc vero diſcretionis gratia præfatiunculam in medio collocavimus, ut alterius finis alterius quoque exordium eſſe libelli. ita videlicet ut hinc inde ordinabiliter eisdem poſitis libellis nove-

præſertim differunt capitula, atque adeo ipſa ſecunda pars & prima quoad officia dominicarum, quæ omiſſa eſſe a S. Gregorio in ſuo *ſacramentario*, nemo ſibi perſuaſerit, & tamen ſupplentur tam in codice Rodradi, quam Grimoldi apud Pamelium, & apud Muratorium, in

rit quisque quæ a beato Gregorio quæ vere ſint ab aliis edita patribus. Et quoniam excludendos tantarum quæſitores diverſarumque inſtitutionum ſanctarum nequaquam dignum vel poſſibile eſſet, cenſuimus ſaltim eorum omnium condignis deſideriis in evidenti huius operis ſatisfacere... Si cui autem placent ea quæ ſine faſtu arrogantiæ ſummo ſtudio pioque colligimus amore ſuſcipere precamur ut non ingratus noſtro exiſtat labori. Sed potius una nobiſcum gratias agat omnium bonorum largitori ſi vero ſuperflua vel neceſſaria ſibi illa iudicaverit utatur tantum præfati patris opuſculo quod minime reſpuere ſine ſui diſcrimine poteſt. & ea quærentibus utenda dimittat. Non igitur ingratis & faſtidioſis ſed potius ſtudioſis ac devotis illa collegimus in quibus cui animo ſedeant poteſt reperire. unde & debita ſua vota & officium divini cultus digne ac placabiliter dño valeat exhibere. Noverit itaque nos perſpicacitas lectoris non alia inſeruiſſe huic operi niſi ea quæ a probatiſſimis & eruditiſſimis magna diligentia exarata ſunt viris. Ex multis igitur multa colligimus ut multorum utilitati proſpiceremus. Precamurque ut eum diligenter transſcribatis. quatenus eius textus & eruditorum aures demulceat & ſimpliciores quoque errare non ſinat. Nihil enim ut ait beatus Hieronymus proderit emendaſſe librum niſi emendatio librariorum diligentia conſervetur.

Benedictio cerei in ſabb. S.
Ordo ad catechumenum faciendum
Ordo baptiſmatis.
Miſſa in octava dñi
In vigilia epiphaniæ
In octava epiph.
Miſſa in converſione S. Pauli
In decollat. S. Iohannis bapt.
In nat. ſci Adriani
In nat. ſci Gorgonii
In exaltatione S. Crucis
In natali S. Mathei apli & evang.
In nat. S. Lucæ evang,
In vigilia apoſt. Symonis & Iudæ.
In cathedra S. Petri
In natali S. Mathiæ apli
In annuntiat. S. Mariæ V.
Miſſa in natali S. Georgii M.
In nat. S. Marci evang.
In inventione S. Crucis
In natali SS. Nerei & Achillei
Miſſa in vigilia aſcens. Dñi
Miſſa in ieiunio menſis IV. fer. IV.
In VI. feria.
In ſabbato in XII. lect.
Miſſa in Nat. SS. Primi & Feliciani
In nat. S. Baſilid. Cyr. Nab. & Naz.
In nat. S. Praxedis V.
In nat. S. Apollinaris
In nat. S. Iacobi apoſt.
Ad vincula S. Petri
In natali SS. Machabæorum
In inventione S. Stephani
Miſſa in vigilia aſſumt. S. Mariæ
In octava S. Laurentii
In natali S. Bartholomæi
Miſſa pro paſtore noſtro
Miſſa pro epiſcopo
Pro epiſcopis & ſibi commiſſis
Pro imperatore
Pro rege
Item pro rege
Item pro rege tempore ſynodi
Miſſa pro congregatione.
In natali apoſt Symonis & Iudæ
Miſſa in vigilia omnium SS.
In feſtivitat. omnium SS.
In octava ſci Andreæ apli
In translatione S. Thomæ
Miſſa in natali unius apoſtoli
Miſſa plurimorum apoſtolorum
Miſſa unius mart.
Miſſa plurimorum mart.
Miſſa unius confeſſoris
Miſſa plurimorum confeſſorum
Miſſa unius vel plurimarum
Miſſa in dedicatione eccleſiæ

in cuius codd. etiam ſeries capitulorum ſuo loco habetur, præfatio autem tantum in codice *Ottoboniano* ab eodem, ut notat, antiquario ſcripta. Atque Muratorius, auctoritate *Micrologi* ductus, Alcuinum facit auctorem. Quam nihil moratus Pamelius, vetuſtiſſimorum Mſs. fidem ſecutus, Grimoldo adſcribit. Menardo vero perinde eſt, ſi ſingulis, Alcuino, Rodrado & Grimoldo ſimile tribuatur opus. Quod inde probabile ſit, quia apud Pamelium & Muratorium, & in codice *Monacenſi* inter ſe diverſa

Miſſa in anniverſario
Miſſa de ſca Trinitate
De ſapientia poſtulanda
De gratia S Spiritus poſtulanda
De caritate poſtulanda
De ſuffragio Angelico
De Cruce
Miſſa de S. Maria
Miſſa in veneratione S. Mart. & omnium SS.
Item alia
Pro pluvia poſtulanda
Pro ſerenitate
Pro tempeſtate
Pro contentione
Miſſa contra iudices male agentes
Contra obloquentes
Miſſa in tempore belli
Miſſa propria ſacerdotis
Item alia
Item alia
Item alia
Item alia
Miſſa pro alio ſacerdote
Miſſa pro cuncto populo Cathol.
Miſſa pro pace
Miſſa pro iter agentibus
Pro navigantibus
Pro adverſantibus & calumpniantibus
Pro pœnitentibus
Pro confitentibus
Pro omnibus eleemoſynam nobis facientibus
Miſſa pro offerente oblationem
Pro infirmis
Pro peccatis ac neglig.
Item alia
Item alia
Pro fratribus noſtris abſentibus
Miſſa pro amico fideli
Item alia
Pro familiaribus
Miſſa pro mortalitate
Pro peſte & fame
Miſſa pro temptatione carnis
Pro temptationibus cogitat.
Pro petitione lacrimarum
Miſſa pro caritate
Pro humilitate
Pro concordia.
Miſſa contra paganos
Pro peſte animalium
Pro homine in tribulatione poſito
Item alia
Pro quacunque tribulatione
Miſſa pro ſalute vivorum & mort.
Item alia
Item alia
Item alia
Item alia. Item alia
Miſſa pro defuncto nuper baptizato
Miſſa pro pœnitent. poſtulanda & inimicis
Miſſa pro epiſcopo
Item alia
Pro epiſcopis
Pro ſacerdote
Item pro ſacerdotibus
Item alia
Miſſa pro diacon.
Miſſa in die depoſit.
In anniverſario
Pro congregat.
Pro Fratribus
Pro uno laico
Pro laicis
Pro una femina
Pro feminis
Pro parentibus
Pro omnibus fidelibus defunctis
Pro omnibus in cimiterio poſit.
Item alia
Ordo viſitation. infirm.
Ordo in agend. mortuorum
Benedictio ſalis & aquæ."

diverſa eſt ſecunda pars. Imprimis autem notabilis eſt, ut conferenti patebit, diverſitas codicis *Monacenſis*, licet præfatio ubique una fere ſit, quæ poteſt eſſe ALCUINI opus. Atque etiam in RODRADI, & GRIMOLDI libris varietatem iam notavit non modicam MENARDUS. MORINUSque de ſacris Ordinibus agnoſcit, non idem eſſe opus RODRADI, & GRIMOLDI. GRIMOLDUS proprie ad noſtram ſpectat *Alemanniam*, non obſtante controverſia *San-Gallenſes* inter & *Augienſes* monachos. *Iod.* MEZLERUS de Viris illuſtribus *S. Galli* inter alios hunc etiam ex albo monachorum *Augienſium* expungit, atque in canonicum & clericum ſæcularem transformat; *Io.* EGON autem Prior *Augienſis* ſuis vindicat, qui ex monacho *Augienſi* abbas *S. Galli*, & archicapellanus LUDOVICI *Germanici* ſit factus.

pag. 271.

Apud P. HERRGOTT *de veteri diſciplina monaſtica* habetur eius nomine inſcriptio ad capitula monachorum *San-Gallenſium*: „Præſtantiſſimo „& ineffabili dilectione nominando REGIMBERTO præceptori GRIMALTUS, „TATTOque ſupremi auditorum veſtrorum diſcipuli ſempiternæ felicitatis „ſalutem.“ Apud CANISIUM in veteribus lectionibus inter poemata *Walafridi* STRABONIS occurrit unum de GRIMALDO *magiſtro*. Cui idem WALAFRIDUS *Hortulum* inſcribit, qui poſtea apud eundem CANISIUM inter carmina WALAFRIDI ſequitur, atque etiam in præfamine eiusdem ex MEZLERO epitaphium, in templo S. OTHMARI, quod condidit:

pag. 33.

T. II. P. II. p. 233.

Hic manet interius divinæ legis amator
GRIMALDUS *humilis, templum hoc qui condere iuſſit.*

Alemannici Sacramentarii.

XXII. Paullatim eo delabitur ſermo, quo tota noſtra collimat tractatio, ad illuſtrandam veterem liturgiam *Alemannicam*, quæ eſt inclyta *Germaniæ* noſtræ provincia, cuius fines ſupra determinavimus, atque ſollicite totam peragravimus ad vetera in rem noſtram colligenda monumenta. Inter ea autem primo loco recenſendi ſunt *Sacramentorum* codices antiquiſſimi, quos reperimus. Orationes illi ſolum plerumque continent, ſeu Collectiones & Præfationes unacum *Romano* Canone, qui omnium primo apud diverſas nationes eſt receptus, atque oratione dominica concluditur, prout iam S. AUGUSTINUS notavit: „Omnis aut pene omnis frequentat eccleſia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa incipiat benedici, Orationes autem cum benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur. Quam totam petitionem fere omnis eccleſia dominica oratione concludit.“ In uno *ſacramentario Gallicano*, quod ex codice *Bobienſi* edidit MABILLONIUS in *Muſæo Italico*, propheticæ, apoſtolicæ & evangelicæ ſimul continentur lectiones, & in antiquiſſimo codice *San-Gallenſi*

Epiſt. 149. *n.* 16.

Gallenſi 1000. annorum ſeparatim quoad quasdam miſſas votivas. Lectiones quidem nunquam defuerunt in liturgia, ſed peculiaribus antiquitus deſcriptæ libris, uti lectionarium *Gallicanum Luxovienſe* vetuſtiſſimum, papyro *Ægyptiaca* litteris *Merovingicis* conſcriptum, argumento eſt. Reliqui libri liturgiæ *Gallicæ* a THOMASIO & MABILLONIO editi his carent, Collectionibus & Præfationibus, ſeu Conteſtationibus vel Immolationibus contentæ, quæ tamen plures ac diverſæ ſunt *ante vel poſt nomina*, poſt *Sanctus*, *ante* vel *poſt myſterium*, ſeu *poſt precem*, *poſt Aios*, *poſt benedictionem*. Sic tamen, ut in miſſali *Francorum* magis ſervetur ordo *Romanus*, qualis eſt in noſtris codicibus, in antiquiori quidem *Rhenaugienſi*, & *ſan-Gallenſi* conformius *ſacramentorum Gelaſiano* & *Francico*, in altero *ſan-Blaſiano* iuxta *Gregorianum ſacramentarium*, unde, ut mox videbimus, eſt expreſſum. Prius autem ex diverſis fontibus, quos fere in notis indicavimus, ſingulari quadam ratione eſt compoſitum. A ritu *Romano* abeuntem miſſalem librum memorat BERNO *Augienſis* in ſuo monaſterio. *In noſtri quoque monaſterii archivo habetur Miſſalis longe aliter ordinatus, quam Romanæ eccleſiæ habeat uſus.* Idque auctoritate S. GREGORII tuetur, eam licentiam S. AUGUSTINO *Anglorum* apoſtolo concedentis, ac ſubdit: „His ita inſtruimur exemplis, nil nos delinquere, ſi ea, quæ ex auctoritate pontificum, qui illum ſanctum virum tempore præceſſerunt, inſtituta ſuſcepimus, & vel ex *Gallicanarum* eccleſiarum aut *Hiſpanicarum* uſu mutuavimus, fideli devotione ſervamus, imitantes ipſius beatiſſimi Papæ prædicandam humilitatem.“ Ut tamen, quod res eſt, dicamus, orationes liturgicæ & Præfationes in noſtro illo antiquiſſimo *ſacramentario* ex *Romanis*, quæ extant SS. LEONIS, GELASII & GREGORII ſunt depromtæ, præſertim ex *Gelaſiano*, de quibus RADULPHUS *Tungrenſis* teſtatur, quod in antiquiſſimis noſtris miſſalibus multæ contineantur.

De rebus eccleſ. c. 2.

Propoſ. XXIII.

Quodve diſcrimen *Gregoriani* a *Gelaſiano* ſolum notatur in numero & varietate earum orationum, quas Collectas vocant, Præfationum item, idem in noſtro deprehenditur. Illarum eſt antiquiſſimus uſus ac denominatio a *collecta*, ſeu συνάξει fidelium, atque revera ſpirant auream eccleſiæ ætatem elegantiſſimæ perinde ac devotiſſimæ orationes illæ, licet librariorum vitio frequenter ſint luxatæ ac depravatæ. Quemadmodum etiam ordinis ac miniſterii ſacri diverſitas haud raro ex incuria & imperitia ſacris operantium provenit. Unde tot habentur in Capitularibus regum *Francorum* & conciliis medii ævi decreta de libris & ordine liturgico, maxime in minoribus ac ruralibus eccleſiis, epiſcopis in hac re ſingulari iniuncta cura, „Ut (quemadmodum habet Capitulare ineuntis,

T. I. Conc. Germ. pag. 416. tis, ut videtur, ſæc. IX.) diſcutiant diligenter per ſuas parochias presbyteros, eorum fidem, baptiſma & miſſarum celebrationes.“ Sæculo undecimo VALERANUS epiſtola ad ſanctum ANSELMUM in *Germania* maximam notavit diverſitatem, & carpit in celebratione miſſæ. „Dominici *De Sacram. div. c. 1.* etiam corporis myſterium (inquit) aliter *Romana*, aliter *Gallicana* eccleſia, ac diverſiſſime noſtra tractat *Germania*. Ex antiquis Patribus ordinem habemus ſacrificandi: & valde admiror, unde hæc novitas ſurrepſerit in domo Domini.“ Studuerunt tamen ſemper pii præſules, ut in ſuis eccleſiis ad antiquam obſervantiam reducerent ritus ſacros, ac cultum divinum. Quam in rem inter alios inſignis eſt in noſtra *Alemannia* canon in ſynodo *Auguſtana* ſuperiore ætate an. 1548. conſtitutus. *Divinus cultus obſervetur peragaturque his modis & ritibus, qui per manus ſanctorum Patrum nobis traditus, & per maiores noſtros in ſacrificio altaris &c.* Confert huc ſedulum liturgicum ſtudium, ac antiquorum rituum indagatio; quod modo agimus, quantum conſequi potuimus, vetuſtiſſimis eam in rem monumentis documentisque e tenebris protractis.

Eorum ætas. XXIII. Quos hic primum proferimus in lucem venerandæ vetuſtatis duos libros *ſacramentorum*, ut modo tetigimus, alter ex bibliotheca *Rhenaugienſi* & *ſan-Gallenſi*, alter ex noſtra *D. Blaſii*. Ille charactere, ac ſermone barbaro ſolœciſmis refertus eſt, qualis obtinuit, donec ſub ſtirpe *Carolingica* refloreſcerent litteræ. Ad quam ætatem referendus eſt codex noſter alter *San-Blaſianus* cum *Solodorenſi* & *Petersbuſano*, qui non ſolum coævi, ſed & eadem ſcriptoris manu exarati videntur: *Solodorenſis* notam chronicam habet ex nomine ADALBERTI abbatis, cui ſcriba monachus librum dedicat, abbas S. PIRMINIO, hic S. PETRO, PETRUS Chriſto, quæ diligentius examinabimus dum monumenta noſtra edemus. Accedit *Rhenaugienſis* alter, diverſus ab eo, quem deinceps antiquiſſimum indigitabimus. Deſunt in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* & *ſan-Blaſiano* verba illa in Canone *& omnibus orthodoxis &c.* quæ in *Solodorenſi* per rubricam ſunt addita, uti etiam *imperatore noſtro*, quæ itidem deſunt in *Rhenaugienſi* & *ſan-Blaſiano*. In oratione hactenus conſueta in die paraſceves in *ſan-Blaſiano* habetur *Oremus pro chriſtianiſſimo rege noſtro.* In *Solodorenſi* autem, *Petersbuſano* & ſecundo *Rhenaugienſi*, *Pro chriſtianiſſimo imperatore noſtro.* Quomodo etiam in celebri *Vindobonenſi* habetur, quem LAMBECIUS autographum ADRIANI CAROLO M. tranſmiſſum exiſtimavit, ex *Augia divite Vindobonam* tranſlatum. Idem etiam in codice *Remenſi* RODRADI & RATOLDI apud MENARDUM & PAMELIUM habetur, qui ſæc. IX. ſunt codices. In præconio tamen

cerei

Digitized by Google

cerei paſchalis ſabb. S., quod in *ſan-Blaſiano* deſideratur, in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* habetur: *nec non & clementiſſimo rege noſtro ill. coniugeque eius ac filiis cunctoque exercitu Francorum*: in *Solodorenſi*: *& glorioſiſſimo rege N. eiusque nobiliſſima prole.* Habetur vero poſtea inter votivas miſſa imperatoris vel regum. Sequitur miſſa pro rege quotidiana. Sed, ut verum fateamur, formulæ hæ ſunt generales, quæ a ſcribis ſervari potuerunt, quin ſuis præciſe convenirent, adapterenturque temporibus. Alicubi tamen veluti in ſecundo *Rhenaug.* in miſſa tempore ſynodi, eſtque miſſa pro regali proſperitate, bis nominatur *Ludovicus*, qui Ludovicus haud dubie eſt *Germanicus*, quem alias munificum fuiſſe in hoc monaſterium adhuc diplomata teſtantur. Nota autem, in eodem codice *Rhenaugienſi*, deletis prioribus litteris, in oratione *paraſcev.* pro imperatore, paullo recentiori manu ſuperſcriptum eſſe *Ad Chriſtianorum benignus imperium.* In noſtro imperium *Romanum* nominatur: *Reſpice ad Romanum propitius imperium.* Quod in primo illo antiquiſſimo *Rhenaugienſi* codice ſic habetur: *Oremus & pro chriſtianiſſimis imperatoribus noſtris vel rege noſtro ill.* Prius enim ex antiquiſſima conſuetudine adhuc ſuperſtite imperio orientali uſque ad finem ſæculi octavi eſt; alterum pro ſtatu tunc præſenti ſub regibus *Francorum* eſt additum, qua ratione mox ſubditur: *Reſpice propitius ad Romanorum, atque Francorum benignus imperium.* Quemadmodum etiam in antiquiſſimo *Gelaſiano ſacramentario* habetur: *Oremus & pro chriſtianiſſimo imperatore vel rege noſtro ill.* Et: *Reſpice propitius ad Romanum ſive Francorum benignus imperium.* Quum vero ſæculo octavo defierit imperium orientale, arguere licet, antequam penitus collapſum fuerit, codicem etiam *Rhenaugienſem* fuiſſe ſcriptum. Haud ſecus ac Muratorius pugnat contra Basnagium, adverſus antiquitatem *ſacramentarii Gelaſiani*, argumentum repetentem ex mox allatis verbis. „Si (inquit) poſt imperium ad *Fran-* „*cos* reges translatum exaratus fuiſſet codex; tantummodo dictum fuiſ- „ſet: *Reſpice propitius ad Romanum benignus imperium*; *tunc enim im-* „*perii nomen Franciam quoque complectebatur.*„ Et ſane huius rei argumentum habes in *San-Blaſiano* codice, de quo mox diximus, ac coævis, altero *Rhenaugienſi*, & *Petershuſano*, ſcriptis iam novo in Carolo M. fundato occidentali imperio. E contrario ex benedictione cerei paſchalis primi antiquiſſimi *Rhenaugienſis* coniicitur, ante erectum imperium occidentale illum eſſe ſcriptum ſub regno *Francorum.* Sic enim habet: *Nec non & clementiſſimo rege noſtro ill. coniugeque eius ac filiis, cunctoque exercitu Francorum.* Inter miſſas etiam duæ ſunt, una pro regibus, altera pro ſterilitate regis. Sed, ut diximus, ex his ætas codicis aſſerte figi non poteſt.

XXIV.

Anni eccleſiaſtici exordium.

XXIV. In hoc autem ſecum, ac cum cæteris antiquis *ſacramentariis* conveniunt ambo noſtri, quod annum eccleſiaſticum veteri more a vigilia Natalis Domini auſpicentur. Fuit hoc moris olim in *Germania*, plagisque ſeptentrionalibus, etiam adhuc ſuperſtitioni gentilium addictis. „Veteres *Saxones* (inquit SCALIGER) & *Dani* principium anni civilis ſemper a XXV. *Decembris* capiebant, idque nocte, quæ ſequitur XXIV. in qua antiquitus Chriſtiani, hodieque pervigilia natalitia faciebant. Eam noctem *Modraneck* vocabant, quaſi dixeris νυκτομήτορα, & quaſi illa eſſet parens omnium reliquarum noctium &c." Eundem vetuſtiſſimum morem *Romanorum* OVIDIUS deſignat:

De emendat. tempor. lib II. p. 170.

Bruma novi prima, veteriſque noviſſima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Licet vero apud *Germanos* iam tempore S. BONIFACII a Cal. *Ianuarii* annus inciperet, ut ex eius epiſtola ad ZACHARIAM P. patet (ubi de ſuperſtitionibus agit his Calendis fieri ſuetis, atque etiam in miſſali *San-Gallenſi* eo die extat *miſſa prohibendo ab idolis*) a Natali tamen Domini annum eccleſiaſticum cœptum eſſe in *Germania*, martyrologium *Morbacenſe* & *Corbeienſe* apud MARTENIUM declarant, atque vetuſtiſſimi quique codices *Sacramentorum.* Quod multis ſæculis obtinuit, licet poſtea intermiſſum apud nos in concilio *Colonienſi* an. MCCCX. iterum ſit fixum, ac ſtatutum, *ut ex nunc de cætero annus Domini obſervetur, & in Nativitate Chriſti innovetur a quolibet anno, prout ſacroſancta Romana eccleſia id obſervat, quæ eſt omnium eccleſiarum caput & magiſtra.* Id tamen diſcriminis, quod inter *ſacramentarium* & antiphonarium S. GREGORII habetur, hic etiam obſervatur in antiquiſſimo noſtro antiphonario (quod quidem in mſc. *Rhenaugienſi* poſitum eſt ante ipſum librum *Sacramentorum*) ut ab adventu Domini, uti & in *Gothica* & *Gallicana* veteri liturgia, officia incipiant. Quod etiam in miſſali veteri *Lateranenſi*, *Romæ* nuper edito, obſervatur, & in Capitulari evangeliorum *Vaticano*: licet alias Capitularia evangeliorum, uti & epiſtolarum, ac pleraque *ſacramentaria* a vigilia Natalis Domini ordiantur.

Tom. III. Theſ. Anecdot. p. 1563. & 1571.

Notæ quædam ſingulares antiquiſſimi ſacramentarii Alemannici.

XXV. Ad ritum *Romanum* pertinet, ut tres miſſæ in Natali Domini celebrentur, uti in noſtris codicibus habetur. Ritu enim *Gallicano* unam tantum fuiſſe, obſervat MABILLONIUS & RUINARTUS in notis ad S. GREGORIUM *Turonenſem.* Utrique ordini communis olim erat die prima *Ianuarii Miſſa prohibendo ab idolis*, ut in noſtro inſcribitur *San-Gallenſi*, nam in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* deſideratur ſecunda hæc eius diei miſſa: unaque octava Nativitatis Domini notatur, ut in *Geloſiano* Circumciſionis tantum

Digitized by Google

tantum in Conteſtatione ſeu Præfatione iniecta mentione. Cum *Gelaſiano* etiam antiquiſſima noſtra *ſacramentaria Alemannica* conveniunt in numero orationum poſt Introitum & Communionem, quas S. Gregorius detraxiſſe dici poteſt iuxta Ioannis *diaconi* teſtimonium. Quod poſt feſta præcipua plures ſubiungantur orationes, commune eſt noſtris codicibus cum aliis, ut in obſervationibus notavimus. Titulum non raro habent *Romano* more *ad veſperas, ad fontes, ad S. andream, ad apoſtolos.* Id autem eſt ſingulare, ut alicubi obſervavimus, quod notentur horæ canonicæ ſingulæ, per quas dictæ orationes fuerunt diſtributæ. Prout etiam in antiquiſſimo codice *ſan-Gallenſi* ſeparatim eas invenimus. Præterea initio libri ſecundi codicis *Rhenaugienſis*, quæ diſtinctio ei ſingularis eſt, orationes *ad matutin. ad primam &c. Quotidianæ* vero plurimæ *Pro peccatis &c.* etiam in noſtro *San-Blaſiano* & aliis ſimilibus notantur. Quales in quodam *San-Gallenſi* codice notavi cum hac rubrica. *Incipiunt orationes Ambroſianæ.* In alio item cod. *Incipiunt orationes Ambroſianæ de adventu.* Orationes autem votivas ac miſſas, quæ *Gelaſiano* aut *Gregoriano* conveniunt, in *Rhenaugienſi* ſingulis locis obſervavimus. Id vero hic notandum, unde coniecit Thomasius, codicem a ſe editum *Gelaſianum* eſſe, dum in miſſali antiquiſſimo *Vallicellano* Dominica II. poſt octavas paſchæ reperit: *Alia miſſa* S. Gelasii, cum orat. *Tibi placitam Deus populo tuo tribue ſalutem &c.* ſuper obl. *His nobis dñe myſteriis conferatur &c.* Ad communion. *Sacramenta, quæ ſumpſimus &c.* hanc S. Gelasii miſſam eodem die in noſtro *Rhenaugienſi* antiquiſſimo legi, eandem quoad omnia, ſicut in edito ſacramentario *Gelaſiano*, ubi oratio *Tibi placitam*, ſecundo loco habetur. Oratio prima autem, item *ſecreta*, & *poſtcommunio.* congruit in codice *San-Blaſiano.* Idem Thomasius notavit ex *Toloſano* codice, relato a Morino in appendice de pœnitent. p. 55. ſcribi ſabb. S. cum XII. lectiones leguntur: *Sequuntur lectiones ſecundum Gelaſium. Oratio, antequam legatur prima lectio*, illico poſt Benedictionem cerei. Deinde deſcriptis XII. lectionibus ſecundum Gelasium ſequitur: *Item lectiones ſecundum Gregorium, lectio prima in Geneſi. In principio &c. Oratio. Deus, qui mirabiliter.* Idem diſcrimen in noſtris *ſacramentariis* habes: cum *Rhenaugienſis* iuxta ritum Gelasii poſt duas orationes benedictionem cerei mox ſequentes, alteram adhuc ante lectionem ponat tam in ſabbato paſchæ, quam pentecoſtes. In *ſan-Blaſiano* autem & aliis *Gregorianis* a lectione *Geneſis* incipitur; ut adeo contineat *S. Blaſianus* ordinem, prout apud nos ſervabatur, poſtquam Adrianus P. *ſacramentarium* S. Gregorii miſit, *Rhenaugienſis* autem (& qui cum eo convenit *ſan-Gallenſis* in plerisque

præter additionem feſtorum, ut ſuis locis annotavimus) qualis antea fuerat, ritum *Gelaſianum* iuxta *Thomaſianum ſacramentarium*, quod *Gelaſianum* inſcribit, tantum quod illud in tres, noſtrum in duos ſolum dividatur libros: cum S. GREGORIUS *Gelaſianum* in unum coarctaſſe dicatur. Ad finem libri primi cod. *Rhenaug.*, ubi demum Canon habetur, qui in *ſan-Blaſiano* & aliis *Gregorianis* initio ſtatim poſt titulum & Præfationem ponitur, poſtquam orationes plures generales *Poſt communion.* eſſent poſitæ, ſequitur novus titulus. *Item benedictiones ſuper populum*, atque indiſcriminatim plures ponuntur orationes ſecundum veterem morem *Gallicanum*, quem ZACHARIAS P. in epiſtola ad S. BONIFACIUM carpit. Nihilominus in cod. *ſan-Blaſiano* benedictiones ſolemnes epiſcoporum ſecundum feſta diſtributæ ponuntur, de quibus poſtea agemus.

Dies Rogationum.

Cum vero in eccleſia *Romana*, teſte ANASTASIO, primum a LEONE III. inſtitutum ſit, *Ut ante tres dies aſcenſionis Dominicæ letaniæ celebrarentur*, in *Rhenaugienſi* noſtro habentur, ritu *Gallicano*, cum ieiunii frequenti mentione in precibus; licet aliqua in codice manco deſiderentur. De illis vero nihil occurrit in codice *ſan-Gallenſi*, qui alias *Rhenaugienſi* ſimilis eſt. Quin imo nec in *ſan-Blaſiano*, &, quos cum illo contulimus, *Vaticano* & *Ottoboniano* MURATORII, licet iam inter *Rhabani* MAURI homilias, qui an. 822. archiepiſcopus *Moguntinus* renuntiatus eſt, habeantur inter alias *de rogationibus*. *Moguntinæ* metropoli tunc, uti etiamnum, maior *Alemanniæ* pars coniuncta fuit.

Quinque Dominicæ ante Natale Domini.

De Off. lib. III. c. 40.

In *ſacramentario* porro *Rhenaugienſi*, quemadmodum in *Gelaſiano* & lectionario a V. THOMASIO editis, ſunt quinque adventus Domini hebdomadæ, cum in *ſacramentario Gallicano*, quod MABILLONIUS T. I. *Muſæi Italici* edidit, tres tantum miſſæ Adventui adſcribantur. „In antiquis libris miſſalium & Lectionariorum (inquit AMALARIUS) reperitur ſcriptum: Hebdomada quinta ante Natalem Domini. Totidem enim lectiones habentur in lectionario, & totidem evangelia a tempore memorato per dies Dominicas uſque ad nativitatem Domini." Atque, teſte MARTENIO, in codice *Remenſi* ab annis circ. 900. ſcripto, in *Gellonenſi*, & *Colbertino*, & altero *Colbertino*, cuius character annos 800. repræſentat, in pontificali EGBERTI *Eborac.* ep., & quibusdam aliis quinque leguntur Dominicæ ante Domini Natalem.

De antiq. eccl. rit. lib. IV. c. 10.

Officia Fer. V. in Quadrageſ.

Lib. VI. c. 43. & 36.

Quæ in *ſacramentario Gelaſiano* deſiderantur officia feriarum quintarum in Quadrageſima, habentur quidem in noſtro *Rhenaugienſi*, at diverſæ ubique ſunt orationes a *Gregorianis*, prout in *ſan-Blaſiano* & aliis habentur. Id etiam DURANDUS obſervavit. A quo nempe ſtatutum refertur; *ut feriæ quintæ Quadrageſimales ieiunio & officio celebrarentur,*

ſicut

ſicut aliæ feriæ, quod non fiebat antea. Ea primum a Gregorio II. ad initium ſæculi octavi inſtituta eſſe, adnotavit Pamelius. Quæ vero cauſa fuerit, quod feria V. ſoluta fuerit a ieiunio, in ep. 2. Karoli M. ad Albinum abbatem indicatur, recenſeturque in notis ad Miſſale *Lateran.* „Melchiades vero. . . . conſtituit, ut nulla ratione in prima vel quinta feria ieiunium quis de fidelibus agere præſumeret. Nam cur in prima feria ieiunium ipſo tradente ſolvatur, non eſt neceſſe texendo replicare. Quintam vero arbitrati ſumus propter magna myſteria, quæ in ea continentur, ab eo eſſe ſolutam." Forte tamen rectius dicitur cauſa intermiſſi officii ſuperſtitio quorundam Chriſtianorum, qui ea die feriabantur, quod vetuit concilium *Narbonenſe* an. 589. *ut quinta feria, niſi aliqua feſtivitas in eam incidat, feriari & ceſſare non liceat.* *pag. 41.*

Singularis eſt ritus, *ſacramentario* antiquiſſimo *Rhenaugienſi* & *ſan-Gallenſi* communis cum *ſacramentario Gelaſiano*, annunciandi ante communionem proxima feſta. In *ſacramentario Gelaſiano* id præcipuum antiquitatis argumentum habetur, quod martyrum ſolum feſta habeat. In *Rhenaugienſi* noſtro præter feſta SS. Benedicti, Augustini, Martini & Silvestri nullum occurrit, in *San-Gallenſi* præterea habetur S. Gregorii, & Leonis pontificum, quod etiam in aliis rebus magis eccleſiæ *Romanæ* accommodatum eſt. Feſta Sanctorum.

Nota item in noſtris codicibus commemorationem S. Pauli proximo die poſt feſtum S. Petri, pridie nimirum Kal. *Iulii*, quam inſtitutionem S. Gregorio M. tribuit *Micrologus*, ſicque illius *ſacramentaria* habent. Dedicatio eccleſiæ S. *Mariæ ad martyres* III. Id. *Maii*, cuius inſtitutio circa an. 610. Bonifacio IV. tribuitur, tantummodo in *ſacramentario ſan-Gallenſi*, non vero in *Rhenaugienſi* antiquiſſimo, habetur. In quo nullum eſt recentius, pariter ac in *Gothico* Thomasii & Mabillonii, quam feſtum S. Leodegarii epiſcopi *Auguſtodunenſis*. Deeſt tamen feſtum hoc in cod. *S. Galli*, quod alias feſtis abundat. S. Leodegarius anno DCLXXVIII. eſt interfectus impii Ebroini conſilio ſub Theoderico rege, quo adhuc vivente tertio anno a martyrio, cum indies miracula ad eius tumulum inclareſcerent, pia inter epiſcopos, qui in ipſo palatio verſabantur, facta eſt contentio de eius corporis translatione, quæ in baſilicam eius nomini extructam facta eſt. Atque ipſius honori ineunte ſæculo octavo iam monaſteria ſunt extructa, imprimis *Murbacenſe*. De quo monaſterio intelligit Mabillonius in obſervationibus de S. Leodegarii translatione & reliquiis, quod vitæ Leodegarii ſcriptor teſtatur, *in finibus Alamanniæ glorioſum caput inclyti martyris ſervari, ac miraculis illuſtrari in* Et alia circa feſta. *Sæc. II. Bened. p. 706.*

quodam monaſterio, quod non aliud eſt ſine dubio a *Murbacenſi*. Nam iſtud monaſterium in finibus *Alamanniæ* ſitum eſt ad pedem *Vogeſi* in *Alſatia;* monſtrantque uſque hodie S. LEODEGARII caput *Murbacenſes*, quod a primo loci conditu penes ſe habere aſſerunt, ob idque eccleſiam ſuam in S. LEODEGARII honorem conſecratam eſſe. Atque inde cultus S. LEODEGARII celeriter *Alemaniam* pervadere potuit, cura ac pietate cumprimis S. PIRMINII inter primos noſtros apoſtolos, qui an. 727. ex *Augia* pulſus, *Murbacenſe* hoc monaſterium annuente ipſo THEODERICO rege fundavit.

Martyrologium ad calcem non eſt Alemannicum.

Ad calcem *ſacramentarii* huius antiquiſſimi adiicitur *martyriologium circuli anni*, ſed maiori parte mutilum, in quo multis diebus nulli aſſignantur ſancti, etiam de quibus in ipſo *ſacramentario* miſſæ habentur ac feſta. Nec raro alia notantur feſta in martyrologio, quam in *ſacramentario*, ut in notis obſervavi. Nec ullus ſanctus in martyrologio *Alemanniæ* noſtræ peculiaris eſt. Sed præter eos, qui communi cultu in eccleſia celebrantur martyres & confeſſores, etiam in *Italia*, *Hybernia*, *Scotia*, *Belgio*, *Gallia* præſertim celebrati habentur. *Rhenaugienſes* vocant hoc *ſacramentarium* S. FINTANI, qui ex *Scotia* vel *Hibernia* oriundus huc ſeceſſit iuxta MABILLONIUM an. 800. poſtquam *Franciam*, *Alemanniam* peragraſſet atque *Italiam*. Aſſertius eſt medio demum ſæc. IX. a S. FINTANO *ſacramentarium* hoc *Rhenaugiam* eſſe allatum.

Muſ. Ital. T. I. P. II. p. 276.

Liber pœnitentialis.

Demum hic obſervandum de codice noſtro *Rhenaugienſi*, quod in *ſacramentario Gallicano* rariſſimum & pene ſingulare MABILLONIUS exiſtimavit, in fine haberi librum pœnitentialem, atque etiam alia contineri, ex quibus pateat, non fuiſſe monaſticum *ſacramentarium*. At vero noſtrum *S. Blaſii*, *Romæ* deſcriptum quidem ex bibliotheca cubiculi, ea tamen ſolum complectitur, quæ ad miſſæ celebrationem pertinent pontificalem quidem etiam, quo ſpectant poſitæ ad finem ordine benedictiones epiſcoporum, quibus carent gemini *Solodorenſis*, *Petersbuſanus*.

Liber II. Sacramentarii Renaug.

Liber II. in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* non ſolum ritum baptiſmi, ſed etiam conſecrationis olei ſacri, ac chriſmatis Fer. V. Cœnæ Domini aliaque complectitur, quæ ad publicos eccleſiæ miniſtros ſpectant. In codice *San-Gallenſi* deeſt integer liber II., qui inſcribitur in cod. *Rhenaug. Incipit liber II. de extrema parte*, ubi primo occurrunt orationes *ad matutinos*, *ad veſper.* Sequitur oratio ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam. *Ordo baptiſterii* orditur a miſſis, quæ per ſcrutinia celebrantur. Ante miſſas varias pro vivis & defunctis, quas votivas nominamus, prima legitur in dedicatione baſilicæ anniverſaria,

quam

quam ſequuntur orationes *ad clericum faciendum, item miſſa Conſecratio presbyteri, Pro regibus &c.* reconciliatio pœnitentis ad mortem, commendatio animæ, ad lavandum corpus, ſepeliendum &c. Nec illud omiſerim, uti in *ſacramentario Gallicano* T. I. P. II. *Muſæi Italici* poſt libellum pœnitentialem (ſeu ut inſcribitur *Iudicius pœnitentialis*) de ſingulis apoſtolis, quomodo ſymbolum apoſtolorum ediderint, additur recenſio, ita in *Rhenaugienſi* adiungi *Breviarium apoſtolorum ex nomine vel locis ubi prædicaverunt, orti vel obiti ſunt.*

XXVI. Hactenus quasdam res ſparſim in *ſacramentariis* noſtris contentas notavimus, quibus tum inter ſe, tum cum aliis conveniunt, aut differunt; atque diverſus diverſis temporibus & locis fuit earum uſus, & ad ampliorem ſacrorum Chriſtianorum, miſſæ præſertim ſacrificii, celebrationem pertinent. Ad cuius nunc ſacratiora myſteria progredimur in ipſa oblatione ſacrificii, panisque & vini ſymbolis a ſacro myſta conſecrandis. „Quæ cum accepit (inquit S. Iustinus) laudem & gloriam omnium parenti filii ſpiritusque ſancti nomine tribuit, gratiasque diu agit, quod ab eo his dignus ſit habitus: quibus rite perfectis, precibus & gratiarum actioni populus omnis, qui adeſt, benedicit, dicens Amen.“ Frequens eſt apud SS. PP. præparationis alicuius ſeu Præfationis mentio, apud S. Cyprianum, Cyrillum *Hieroſolymitanum*, Chrysostomum, Augustinum, aliosque ſanctos Patres. Supra retulimus Canonem concilii *Milev.* II. anno 416. ubi inter alia Præfationes ab omnibus celebrari debere, ſtatuitur, ne tamen aliæ dicantur in eccleſia, niſi quæ a prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in ſynodo fuerint; dum nimirum hæ etiam feſtivitatibus aptari cœperunt. Suntque, qui, dum de actis & paſſionibus Sanctorum in miſſa recitandis ſit apud veteres ſermo, de his Præfationibus intelligendum putent. Fuit non ſolum in *Africa*, ſed alibi etiam in his magna diverſitas, tum præſertim in officio *Ambroſiano*, ubi ad ſingulas miſſas variantur Præfationes.

Imprimis quoad Præfationes.

Apolog. 2.

Earum multas Pamelius S. Ambrosii nomine inſignivit, & S. Gelasii, de quo in Libro pontificali perhibetur, feciſſe etiam & Sacramentorum Præfationes, eique Remigius *Altiſiodorenſis* communem illam tribuit, quæ inſtar aliorum quotidiana habetur: *Hanc exhortationem*, inquit de hac miſſæ parte agens, *quæ ſequitur*, Gelasius *papa compoſuit.* De eo Anastasius bibliothecarius in cat. *Roman.* Pontif. hæc habet: *Fecit autem Sacramentorum Præfationes cauto ſermone*: quare quidem in vulgato per V. Thomasium *Gelaſiano ſacramentario* Præfationum copia deſiderata eſt, ut pluribus detractis per S. Gregorium tamen adhuc multo plures ſuper-

T. XVI. Bibl. PP. p. 955.

pereſſent, quam in veteribus *ſacramentarii Gregoriani* codicibus reperiuntur. Neque vero tot in THOMASII *ſacramentario Gelaſiano* habentur, quot in noſtro *Rhenaugienſi* antiquiſſimo per ſingulas fere miſſas, diverſis ex fontibus hauſtæ.

Inter alias utrinque notanda venit, quæ etiamnum de SS. Trinitate canitur, atque PELAGIO II. tribuitur, qui in epiſtola ad epiſcopos *Germaniæ* & *Galliæ* earum numerum ad novem iuxta uſum *Romanæ* eccleſiæ determinaverit. Sed dubia eſt ea epiſtola, aut certe intentum effectum haud habuit, ut in ſequentibus amplius liquebit: id ex noſtro hoc *ſacramentario Rhenaugienſi* patet, quod duobus ſæculis eo pontifice poſterius eſt, qui vergente ſæculo ſexto ſedit *Romæ*, proximus S. GREGORII anteceſſor, cum magnus hic habeatur Præfationum numerus ſub *conteſtationum* nomine: quæ *immolationes* etiam vocari ſolebant, præſertim in officio *Gallicano*, in quo aliud habetur genus Præfationum mox initio liturgiæ, quæve exhortatio erat ad populum, ad rem ſancte agendam, quam prophetia, aliæque lectiones, & collectiones ſequebantur. Sic in uno *Gothico* miſſali ſingula ea nomina, Præfationis, Conteſtationis, Immolationis notantur.

Et Canonem.

XXVII. *Romano* ritu Præfatio ad *canonem* proprie dicitur, qui licet varius fuerit in officio *Gallicano*, in eodem tamen etiam *Romanus* habetur, uti in *Ambroſiano*, ab auctore librorum de *ſacramentis* inter S. AMBROSII opera maximam partem recenſitus, & a MURATORIO editus ex bibliotheca *Ambroſiana*, idem ac in miſſalibus *Romanis*, paucis exceptis. Nihilominus, quæ fere apud auctorem libb. de *ſacramentis* recitantur verba, *Ergo memores glorioſiſſimæ ab inferis reſurrectionis* &c. poſt conſecrationem dici ſolita, eorum loco apud MURATORIUM aliam legere eſt orationem, cum cætera conveniant quoad ſenſum ſaltem, præter ea, quæ ſingularia ſunt miſſæ in Cœna Domini ad ipſum diem ſpectantia, ut in aliis ſummis feſtivitatibus uſitatum eſt; ſed olim frequentius fiebat, ut ex noſtris etiam *ſacramentariis* patet. Quæ reſpicere videtur VIGILIUS P. in epiſtola ad PROFUTURUM, dum ita ſcribit: „Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum: ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare. Quoties vero paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes & Epiphaniæ, ſanctorumque diei fuerit agenda ſolemnitas, ſingula capitula diebus apta ſubiungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolennitatis aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: cætera vero ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius canonicæ precis textum direximus ſubter adiectum, quem Deo propitio ex apoſtolica traditione ſuſcepimus." S. CYPRIANUS

T. I. Lit. p. 131.

De unit. eccl.

Digitized by Google

mus eadem etiam voce in hac re utitur: *Conſtituere audent aliud altare, Precem alteram illicitis vocibus facere.* Et Innocentius I. epiſtola ad Decentium: „De nominibus vero (inquit) recitandis, antequam Precem ſacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit, ipſe pro tua prudentia recognoſcis, ut cuius hoſtiam necdum Deo offeras, eius ante nomen inſinues, quamvis illi incognitum ſit nihil. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt, edicenda; ut inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus." Morem orientalem attingit, quo ante Canonem nomina recitabant, quem etiam poſtea receptum in *Galliis* & *Hiſpaniis* ex liturgia *Gallicana* & *Mozarabica* conſtat. *T. I. pag. 857.*

Ritum illum, omnibus liturgiis præterquam *Romana* communem, mox ad oblationem in Miſſæ ſolemniis nomina recitandi ac diptycha legendi, quem Innocentius I. improbaverat in epiſtola ad Decentium, attinet *collectio poſt nomina*; palam autem fit ex Miſſali *Gothico* morientium ſimul ac viventium commemorationem fuiſſe factam, ac recitata nomina. Sic nempe habet in vigiliis Epiphaniæ *collectio poſt nomina: Præſentem itaque oblationem ita inlabere, ut medelam viventibus, defunctis refrigerium præſtet. Et quorum texuit recitatio præmiſſa ſortem, inter electos iubeas adgregare.* Infra *in natale ſancti* Clementis *epiſcopi* quædam etiam inſerta leguntur nomina; eſt vero *collectio poſt nomina* ſequens: „Nominum ſerie relata defunctorum, fratres Kariſſimi, omnipotentis Dei miſericordiam ſupplices exoremus: ut interventu ſancti Clementis antiſtitis & martyris ſui, defunctis abſolutionem, viventibus tribuat ſalutem. Memores etiam ſimus fideliſſimorum ſuorum Sisinnii atque Theodoræ: ut quibus per beatum martyrem fidem ſe credendi inſeruit, eis paradiſi regna participet." *T. VI. Opp. V. Thomaſ. p. 250. pag. 260.*

Ego autem hæc ſtudioſe commemoro, quia ſingulare prorſus eſt in Canone *ſacramentarii* antiquiſſimi *Rhenaugienſis*, ut ante conſecrationem mox poſt commemorationem vivorum memoria etiam mortuorum ſubiiciatur, licet poſt conſecrationem repetatur, iiſdem, quæ in *Gelaſiano* habentur, verbis: *Memento etiam Domine & eorum (nomina) qui nos præceſſerunt &c.* Deeſt vero in *Gelaſiano* ante conſecrationem expreſſa *Romani* pontificis & epiſcopi mentio, quæ in noſtro more ſolito notatur: in *Gelaſiano* autem illo aliquid deſiderari in contextu, innuere videntur illa verba *unacum omnibus orthodoxis atque apoſtolicæ fidei cultoribus*, quorum inſtitutio S. Gregorio M. tribuitur, deſiderantur

autem

Digitized by Google

autem non ſolum in noſtris antiquiſſimis *Rhenaugienſi* & *ſan-Gallenſi*, ſed etiam *ſan-Blaſiano*, S. Gregorii ex bibliotheca cubiculi *Romæ* deſcripto. Quod vero coniunctam vivorum & mortuorum memoriam attinet, nullum uſpiam neque in *Gregoriano*, neque *Gelaſiano ſacramentario*, eius rei habetur veſtigium: quem ultimum alias fere per omnia ſequitur noſter codex, habet tamen præter ſanctos martyres, in *Gregoriano* memoratos, confeſſores, quales forte etiam in *Gelaſiano* adiuncti fuerunt cum aliis martyribus, multique adhuc in Canone *Ambroſiano* adduntur. In Canone autem *Gallicano*, uti in noſtro, confeſſores adiiciuntur iidem, S. Ambroſio excepto, ſed plures in noſtro occurrunt: præter S. Hilarii enim & Martini, Auguſtini etiam, Gregorii, Hieronymi, & Benedicti nomina recenſentur. In utroque *Rhenaugienſi* & *ſan-Gallenſi* eadem, quæ ipſa in cod. *Remenſi* apud Menardum n. 42. leguntur, ac præterea Dionisii, Rustici, Eleutherii MM. Remigii epiſcopi memorantur nomina. In *ſacramentario Gelaſiano* cum locus mancus ſit, legitur tamen Eleutherii nomen, pariterque alii martyres, ſocii haud dubie, notati fuerunt, aut etiam confeſſores, qui in noſtris, ac multis aliis, ut ſuo loco obſervabimus, appoſiti ſunt.

Id vero ſingulare eſt in codice *San-Gallenſi*, quod in inferiore ora antiqua pariter manu ad *memento* vivorum adſcribatur: *Memento Domine famuli tui* Remedii *epiſcopi*, poſt mentionem papæ & antiſtitis. Remedium hunc *Curienſem* epiſcopum eſſe exiſtimo, non *Remenſem* S. Remigium, etſi etiam paſſim in antiquis monumentis ſic ſcribi apud

In Sacram. n. 489. pag. 417.

Menardum comperiam, ubi de celebri huius ſancti feſto agit, atque etiam in capit. Ahytonis *Baſileenſis* ep. S. Remedii, S. Mauricii, & S. Martini feſta iunguntur. Inter epiſtolas S. Bonifacii 107. legimus:

Cap. 8. Bibl. PP. T. XIII. p. 116.

Poſtea traxerunt me ad altare ſancti Remedii, *& fecerunt me iurare &c.* In diptycho *Leodienſi*, quod Wiltemus edidit, Remedius cum Gregorio, Germano, Medardo memoratur. Quæ omnia *Remenſem* ſanctiſſimum epiſcopum ſpectant, etiam in Canone recitari conſuetum, ſed eo loco, ubi ſancti recenſentur, hic autem ubi antiſtitis poſt papam memoria fit. An forte in monaſterio *S. Galli* antiſtiti *Conſtantienſi* hunc iunxerint ex reverentia tanti viri? Cuius extant *Alemannicæ* eccleſiæ veteris canones apud Goldastum T. II. P. II. Rer. *Alem.* quos Notungus epiſ. *Conſtant.* continuavit. Certe character congruit illi tempori ſæc. IX. quo vixit Remedius. An forte ex coniunctione monaſterii *Fabarienſis* id fuit factum?

T. I. Rer. Alem. p. 36.

In Ekehardi lib. de caſib. monaſt. *S. Galli* habetur querela Hartperti epiſc. *Curienſis*: *quoniam meæ ſedis ſemper erat illa abbatia, quousque* Salomonis *epiſcopi technis inde eſt ſubducta.* Loquitur de Fabaria.

XXVIII.

Sa-
ntarii
ani,
que
ren-
tera-

. I.

I.

MART. GERBERT. DE LITURG. ALEMAN. O ſe,

In
n.
41
Ca
Bi
T.
B.

T.
Al

18

Digitized by Google

XXVIII. In laudato modo *S. Galli ſacramentario*, quod fere cum *Rhenaugienſi* antiquiſſimo congruit, extra ordinem recentiori manu cum aliis nonnullis miſſis de SS. Trinitate, præcipue vero monaſterio *S. Galli* proprii, ſuppletur feſtum omnium Sanctorum, quod ADONE & USUARDO teſtibus, GREGORIUS IV. imperante LUDOVICO *Pio* circa annum 830. inſtituit, atque etiam in *Pameliano*, & S. ELIGII *Menardiano ſacramentario* habetur, & in noſtro *San-Blaſiano*, quod poſt *Rhenaugienſe* antiquiſſimum edimus, cum altero *Rhenaugienſi*, *Solodorenſi* & *Petershuſano* coævis collatum. Cuius tanta eſt cum utroque poſteriori etiam quoad ſcripturam ſimilitudo, ut ab uno eodemque ſcriptore exaratum haberi poſſit. Elegantiſſimo charactere omnia tria ſunt deſcripta nitidiſſimo pergameno. Imprimis magnifice compactum eſt *Solodorenſe* panno quidem holoſerico violacei coloris, argenteiſque & auratis SS. Trinitatis, & quatuor evangeliſtarum, ac quatuor eccleſiæ doctorum imaginibus circumdatum; noſtrum vero *ſan-Blaſianum* holoſerico nigro cum repagulis argenteis, eiusdemque metalli laminis figuratis: ad quatuor angulos, evangeliſtæ cum inſignibus, opere fuſorio: in medio includitur tabula elephantino opere anaclyptico ea ex parte, qua pro more eorum temporum aſpectui fuit expoſitus liber a ſiniſtro latere. Repræſentat Chriſtum in cœlos aſſumtum in limbo: ad latus figura virilis & muliebris cum diademate, ſc. caput viri radiatum, matronæ velatum deſuper luna creſcens. Donarium regium hoc innuere videtur.

Nota Sacramentarii S. Blaſiani, geminique Solodorenſis & Petershuſani.

TAB. I.

Omnia hæc, quæ recenſuimus *ſacramentaria*, pro cœtibus monaſticis deſcripta videntur: quod in codice *Solodorenſi* firmatur ex eo, dum in ſabb. S. poſt lectiones conſuetas & Benedictionem additur: *Alius incipit ordo eiusdem diei orat. apud Canonicos celebrandus.* Inter feſta Confeſſorum eo in codice ad *Alemanniam* noſtram pertinent SS. PIRMINII & GALLI. De *Petershuſano* iam ſupra diximus. *San-Blaſianum* vero noſtrum, licet ad calcem habeat benedictiones ſolemnes epiſcopales, nihil eorum tamen præterea continet, quæ ad miniſteria eccleſiaſtica pertineant, ne quidem, quæ in *Lateranenſi* monachorum ord. S. BENEDICTI miſſali iuxta antiquam monaſticam conſuetudinem notantur. Ac forte ante ſuſceptum ordinem S. BENEDICTI apud *fratres ad Albam* iam in uſu fuit, licet feſtum S. BENEDICTI contineat, quod celebre alibi etiam fuit per eccleſiam, non ſolum occidentalem, ſed etiam orientalem. Miſſale hoc etiam ante ſuſceptum patrocinium S. *Blaſii* apud nos fuiſſe, inde coniicitur, quod feſtum eius ad calcem appoſitum ſit recentiori manu, quæ eadem, in ora codicis, poſt feſtum Purificationis adnotavit hæc verba: *De S. Blaſio quære in fine.* Inde vero firmatur, patrocinium hoc ex monaſterio *Rhenaugienſi* ad nos perveniſ-

pag. 181.

ſe, quod iam in antiquo cod. ſæc. IX. illius monaſterii ſuffragium S. Blasii habeatur, quomodo ad hunc uſque diem apud nos in horis canonicis minoribus cani ſolet: *Dñe* Iesu *Chriſte verus Deus noſter per orationem ſervi tui* Blasii *feſtina in adiutorium noſtrum.*

Sed ut redeamus ad noſtrum *ſacramentarium* ſeu Miſſale, illud pro *Germania*, noſtraque *Alemannia* compoſitum eſſe, feſta probant, ac primo S. Bonifacii, in cuius natali *Walafridus* Strabo ſingulare carmen cecinit. Memoratur etiam in Rhabani, Notkeri & aliorum martyrologiis. De cultu eidem ſolemni paullo poſt martyrium impenſo legi epiſtolæ 70. 74. & 78. inter *Bonifacianas* poſſunt. Quarum prima Cuthberti, archiepiſcopi *Cantuarienſis*, ita habet: „Unde igitur poſt incomparabile toto orbe apoſtolicæ electionis & numeri myſterium, aliorumque tunc temporis evangelizantium diſcipulorum Chriſti miniſterium, hunc inter egregios & optimos orthodoxæ fidei doctores, & amabiliter habemus, & laudabiliter veneramur. Unde in generali ſynodo noſtra, ubi & de cæteris omnibus, quæ veſtræ modo ſanctitati paucis depromimus, & plenius inter nos conferebamus, eius diem natalitium, illiusque cohortis cum eo martyrizantis inſinuantes, ſtatuimus annua frequentatione ſolemniter celebrare." Scripta eſt ad S. Lullum diſcipulum & ſucceſſorem S. Martyris in ſede *Moguntina*, quem eadem erga magiſtrum pietate accenſum in ſuo archiepiſcopatu, atque adeo *Alemannia*, potiſſimam partem agitaſſe, dubitandum non eſt. Ad eum tunc etiam pertinuit *Wirzburgenſis* diœceſis, unde feſtum SS. Kiliani ac ſociorum venire potuit, quod in noſtro *ſacramentario* pariter habetur, notaturque in antiquiſſimis martyrologiis apud Martenium & *Bollandiſtas*, & quidem in *Richenaugienſi*. Habetur item feſtum S. Afræ *Auguſtanæ* martyris, quod etiam in vetuſtioribus quibusque martyrologiis notatur.

T. VI. Iunii app. p. 10.

Inter miſſas votivas primo loco occurrunt ſeptem illæ pro ſingulis diebus per hebdomadam *De SS. Trinitate*, *De ſapientia &c.* quas Alcuino tribuunt veteres, habenturque etiam in codice *Vindobonenſi*, quem Lambecius ad *Augiæ Maioris* ſeu *divitis* monaſterium pertinuiſſe, ex Calendario cognovit, ubi anniverſarius dies, obitus, & interdum ordinationis illorum abbatum adnotatur, atque inſuper regum, aliorumque hominum bene de eo cœnobio meritorum dies emortualis vario charactere ſignatur. De harum miſſarum inſtitutione ſic ſcribit Durandus: „Hæreſibus pullulantibus, & Trinitatem impugnantibus, ex inſtitutione Alcuini, magiſtri Caroli magni, rogatu Bonifacii archiepiſcopi *Moguntini* ſtatuentis Prima feria miſſa de Trinitate dicebatur, ſecunda feria de Sapientia &c." Quod melius cum temporum rationibus

Lib. IV. Ration. c. I. n. 28.

Digitized by Google

ILLO ALBINI ſenioris, abbatis *Cantuarienſis* combinari poſſit, licet etiam *Flacus* ALBINUS ſeu ALCUINUS medio iam ſæc. VIII. ſub EGBERTO epiſcopo ſcholis *Eboracenſibus* præfuiſſe legatur apud MABILLONIUM T. II. Annal. lib. XXIII. n. 37. obſerva demum, PAMELIUM poſt *ſacramentarium* S. GREGORII & GRIMOLDI ex codice *Colonienſi* ſubiicere miſſas easdem cum aliis ſub titulo *ſacramentorum liber tertius incerto auctore, conſcriptus quantum apparet ab* ALCUINO *abbate.* Sed in ſequentibus miſſis non congruit cum noſtris votivis codicis *San-Blaſiani* & aliorum, quos cum eo contulimus, *Rhenaugienſis* nimirum & *Petersbuſani.*

XXIX. Omnes hi tres codices eandem habent inſcriptionem, paucis variantibus lectionibus, quas in margine notavimus: „In nomine Domini incipit liber *ſacramentorum* de circulo anni expoſitus a ſancto GREGORIO Papa *Romano* ex authentico editus libro bibliothecæ cubiculi ſcriptus, qualiter miſſa *Romana* celebratur &c.“ Apud PAMELIUM hic tantum habetur titulus: „In nomine Domini incipit liber *ſacramentorum* de circulo anni a S. GREGORIO papa editus, qualiter miſſa *Romana* celebratur. Hoc eſt imprimis &c.“ In pluribus vetuſtis *San-Gallenſibus* codicibus nuſpiam bibliothecæ cubiculi, nec etiam S. GREGORII mentionem reperi. Nimirum ſecuti ſunt librarii *San-Gallenſes* vetuſtiſſimi exemplaris formam, de qua ſupra egimus: quemadmodum alii alia exemplaria, ubicunque fuerunt deſcripta gentium. Codicis antiquiſſimi *Ottoboniani* inſcriptio apud MURATORIUM congruit *Pameliano;* codicis autem *Vaticani* apud eundem MURATORIUM titulus convenit noſtro *ſan-Blaſiano*: ſicque habet etiam editus ab *Angelo* ROCCA, & ab *Hugone* MENARDO, atque a LAMBECIO memoratus *Vindobonenſis*, qualesque refert MURATORIUS, *Aquileienſis*, & *Mutinenſis* ſæc. IX. *Veronenſis* vero ſæc. X., ut nomen OTTONIS regis, & VUOLFGANGI in benedictione cerei declarant. OTTONIS nimirum III. *Germaniæ* regis, nondum imperatoris, quo tempore *Ratisbonenſis* epiſcopus fuit WOLFGANGUS ab anno 974. uſque ad an. 994. Eundem titulum habet ſupra citatus *Monacenſis* ſæc. XI. liber miſſalis LIEGMARI archiepiſc. in uſum ſuorum ſucceſſorum ſcriptus an. 1060. Quin imo eundem titulum reperi in Mſc. *Einſidlenſi* ſæc. XII. aut ineunte etiam XIII. ſcripto. Differunt tamen inter ſe eiusmodi codices, quales varios alibi etiam in *Galliis* & *Germania* vidi: qui adeo ſinguli ex ipſo authentico libro bibliothecæ cubiculi deſcripti dici haud poſſunt, pro locorum & temporum diverſitate paſſi variationes, licet ad *Romanum* ritum & obſervantiam expreſſi ſint ſolemnium orationum formulis, eaque antiqua forma, quæ

Inſcriptio & forma a miſſalibus plenariis diſtincta.

T. I. p. 178.

 ſolum

ſolum Collectas cum Præfationibus & Canone complecteretur, lectiona-riis & antiphonariis ſeparatim ſcriptis, iuxta S. Gregorii, ac anteceſſorum etiam exemplum, quorum loco poſtea ad privatarum potiſſimum miſſarum commoda miſſalia plenaria ſunt conſcripta, quibus omnia continentur, quæ ad celebrationem miſſæ pertinent. Cuiusmodi nunc noſtra ſunt miſſalia. Non auſim tamen aſſerere, hanc eſſe primariam nominis miſſalis plenarii notionem, prout in Capitulari Caroli M. memoratur, & unacum lectionario & antiphonario in ſermone ſynodali T. XI. pag. 1076. ex Mſc. *Neresheimenſi* in Ed. conc. *Ven.* ad an. 1009. notatur: *Miſſale plenarium, lectionarium, & antiphonarium unaquæque eccleſia habeat.* Cum de parochianis presbyteris ibidem agatur, adeoque de ruralibus etiam eccleſiis, hinc eum, quem indimus, ſenſum commode haberet, quo ſucceſſu temporis in uno volumine hæc ſunt compacta, diſtincta quidem primum inter ſe, ita ut ſeparatim Collectæ, antiphonæ &c. & lectiones ponerentur, uno tamen in volumine. Sed tamen potuit olim etiam plenarium Miſſale diſtingui ab eo, quod dominicarum forte & præcipuorum feſtorum officia, aut ſelectas tantum miſſas contineret. Tale ante mille circiter annos ſcriptum ex bibliotheca *ſan-Gallenſi* iam memoravimus. Quin imo typis impreſſi etiam extant libri miſſales ſpeciales. Manuſcriptum autem habuimus in noſtra bibliotheca ſæc. XIII. qui fuit eccleſiæ in *Menzenſchwand*, ubi miſſæ tantum feſtivæ & dominicales habebantur (ac una ſolum miſſa in natali Dni) cum notis etiam muſicis in *Introitu &c.* Alium ſimilem ſine notis ſæc. XIV. parvum, ubi folia laminis plumbeis ſunt gravata in primis foliis, ut ſuapte apertus ſe ſiſteret. Sed hi iam more noſtro ſunt ſcripti. Unum tamen vidi codicem ſæc. XIV. adhuc, ubi in uno quidem volumine collectarius, antiphonarius, & lectionarius ſeorſim unus poſt alterum collocantur.

Quia vero *Alemannicam* liturgiam damus, collectionibus liturgicis excerpta inſeremus proprie dicti miſſalis plenarii, in linguam *Germanicam* converſi ex codice *Einſidl.* ſæculi XIV. uti notatur his verbis: „Completus eſt iſte liber ſabbato ante Domini aſcenſionem ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo, dono autem datus monaſterio *Einſidlenſi* an. 1627. a nobili *Ioan.* Vernero de *Raitnewo* Ord. equitum S. Ioan. in *Rordorff* & *Dezingen.*" Notatur etiam obitus Conradi III. pag. 52. ducis. Imprimis inſignis viſus eſt hic codex abbati Calmeto ac nepoti eius Fanchetio, uti notarunt in *Itinere Helvetico*; nec nos perluſtrando tot bibliothecarum pluteos ſimilem reperimus: quod Canon valde detritus ſit, argumento eſt uſus frequentioris huius miſſalis in miſſa, privatæ perſonæ nimirum nobilis, ad quam pertinuit. Dicemus de huiusmodi libris liturgicis paullo poſt. XXX.

Digitized by Google

De eo, quod habet, *Gloria in excelſis* a presbyteris non niſi in paſchate dici.

[illegible] ex authentico bibliothecæ cubiculi editi ſcriptique dicuntur. Qualis noſter eſt, de quo agitur, eique ſimiles, quos citavimus eandem inſcriptionem habentes. In qua id conſtanter habetur: „Item dicitur *Gloria in excelſis Deo*, ſi epiſcopus fuerit tantummodo die dominico, ſive diebus feſtis, a presbyteris autem minime niſi in paſchate.“ Quod tamen in *Alemannia* noſtra firmum ſaltem uſum non habuit. Fuit hæc occaſio Bernoni *Augienſi* libelli de quibusdam rebus ad miſſæ officium pertinentibus ſcribendi. Ubi ad hunc ipſum titulum & inſcriptionem *ſacramentarii* reſpicit. „Nunc (inquit) *Cap. 1.* ſtilus ad movendam quæſtionem ſe vertat, ad quam totus hactenus ſermo habitus intendebat, videlicet cur non liceat omni die dominico vel natalitiis Sanctorum presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino angeli cecinere dicentes: *Gloria in excelſis Deo.* Quodſi conceſſum eſt illum cantare in paſcha ſecundum prætitulationem miſſalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab angelis canebatur in cœlis.“ Certe in *Alemannicæ* eccleſiæ canonibus ex pontificum epiſtolis ſpuriis, nimirum *Iſidori* Mercatoris, tale habetur capitulum ex epiſtola, Telesphoro P. affiсta: „Nocte vero ſancta Nativitatis Domini Salvatoris miſſas celebrent, & hymnum angelicum in eis ſolemniter decantent, quoniam eadem nocte ab angelo paſtoribus eſt nunciatus . . . Ab epiſcopis autem idem angelicus hymnus pro tempore & in loco in miſſarum ſolemniis recitandus eſt.“ Videtur ergo ſecundum hæc ſolis alias epiſcopis competiiſſe hymnus angelicus in miſſa. Quod an uſpiam in *Alemannia* iuxta hoc capitulum locum habuerit, me latet. Laudatus Berno Telesphorum pro ſe citat, ex alio, quod ei tribuitur, decreto: „Ut ante ſacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc eſt, *Gloria in excelſis Deo.*“ Tum Symmachi: „Ut omni die dominica vel natalitiis martyrum *Gloria in excelſis* hymnus caneretur.“ Liber pontificalis quacunque origine ſit editus, media certe ætate auctoritatem habuit. Nihilominus *Romæ* tempore Bernonis ſaltem presbyteri adhuc morem ſervaſſe videntur, *Gloria in excelſis* canendi ſolum in paſchate, unde tamen exemplum duci non vult: „Nam (inquit) ſi ideo, ut ſæpe dictum, illum angelicum hymnum prohibemur in feſtivis diebus canere, eoquod *Romanorum* presbyteri non ſolent eum canere, poſſumus ſimili modo poſt evangelium Symbolum reticere, quod *Romani* uſque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt.“ Sed forte ſolum ad inſcriptionem *Sacramentorum* libri, qua de nunc agitur, reſpexit, ut ex ſequentibus colligitur: „Super hæc omnia (inquit) cum in capite libri miſſalis, quando presbyteri *Romani*

[illegible]
prætitulatum, nusquam autem vel a beato Gregorio, vel aliquo ſanctorum Patrum nobis interdictum puto, quin omni die dominica, vel in Sanctorum natalitiis liceat nobis ſæpe dictum hymnum canere ad augmentum laudis divinæ.“ In ſuperioribus iam, repetitis vicibus, ad hoc provocaverat, ut proferant contradictores in medium, ubinam ſit a ſanctis Patribus, vel ab ipſo ſanctiſſimo P. Gregorio interdictum. Amplius ergo aliquid, ac certis ex documentis & ſcriptis S. Gregorii petit Berno, quam ſolam inſcriptionem libri *Sacramentorum*, uti expoſitus a S. Gregorio P. *Romano* dicitur in noſtro aliisque ſimilibus codicibus. Auctoritate etiam concilii *Toletani* IV. utitur, eccleſiarumque *Galliæ* & *Hiſpaniæ*, atque ea occaſione affert, quod iam ſupra retulimus. „In noſtri quoque monaſterii archivo habetur miſſalis longe aliter ordinatus, quam *Romanæ* eccleſiæ ſe habeat uſus.“ In *ſacramentario* eccleſiæ *Gallicanæ*, a Mabillonio T. I. *Muſæi Italici* ex mſc. *Bobienſi* edito, poſt miſſam *Romenſem* quotidianam

P. II. p. 281. refertur *Gloria ad miſſam decantanda* iisdem omnino verbis, prout hodie habetur promiſcuo eccleſiæ *Romanæ* uſu. De uſu huius hymni, ritu etiam *Gallicano* & *Hiſpanico* bene Martenio ſcrupulum exemit P. Vezzosius præfat. in T. VI. Opp. V. Thomasii p. L. de quo plura poſtea, cum de ſingulis miſſæ partibus peculiariter agemus ad veterem liturgiam *Alemannicam* illuſtrandam. Id unum ex ſupplemento ad librum IV. Amalarii de Officiis div. in Mabillonii Analectis p. 96. addo iam (quod hodieque obſervatur in feſto Innocentum ſingulare) notari, ceu ex authentico *Gregoriano*: „Hinc & in authentico *Gregoriano* tantum *Alleluia* & *Gloria* ad miſſam tolli propter luctum matrum ſive eccleſiæ.“

De Præfationibus ſingularibus eiusdem ſacramentarii.

De Lit. R. T. I. p. 65.

XXXI. De Præfationibus etiam codicis noſtri *San-Blaſiani*, eique ſimilium ac ſupparium, quos cum illo contulimus, aliqua ſunt obſervanda. Hoc primum argumentum fuit Muratorii, cur Pamelii *ſacramentarium Menardiano* S. Eligii antiquius cenſeret. „In oculos (inquit) primo ſtatim incurrunt innumeræ, ut ita dicam, Præfationes illæ, quæ ad ſingulos ferme feſtos dies, & ad omnes totius anni dominicas, vel ad ipſas vigilias, & ad privatarum neceſſitatum miſſas adiunguntur. Atqui tantam Præfationum copiam a S. Gregorio profectam, atque probatam a credendo nos vetera monumenta deterrent.“ Refert deinde reſponſionem, quæ tribuitur Pelagio II. ad interrogationem epiſcoporum *Germaniæ* & *Galliæ*, quoad *ordinem Præfationum*, quem ſancta *Romana* eccleſia hactenus haberet. Reſcripſit nempe Pontifex: „Sacrum ordinem *Romanum*, ſacraque conſtituta noſtrorum anteceſſorum relegentes invenimus, has novem

Digitized by Google

vem Præfationes in ſacro catalogo recipiendas, quas longa retro veritas in *Romana* eccleſia hactenus ſervavit. Unam in Albis paſchalibus, aliam de Aſcenſione Domini, tertiam de Pentecoſte, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione (id eſt Epiphania) ſextam de Apoſtolis, ſeptimam de ſancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de ieiunio & Quadrageſima tautummodo dicendam. Has Præfationes tenet & cuſtodit ſancta *Romana* eccleſia. Has tenendas vobis mandamus.“ Suſpecta fuit Cardinali Bonæ hæc epiſtola, quod in Gregorii proximi ſucceſſoris poſt Pelagium *ſacramentariis* plures reperiantur Præfationes. Atque eo ex capite etiam Pagius abiudicavit Pelagio II. eam epiſtolam. Quod cum idem ſentiat Muratorius, aliter tamen rationem init. „Decepti namque (inquit) ab editione Menardi tam Bona, quam Pagius, ſibi perſuaſere, tot in *Gregoriani ſacramentarii* editione *Menardiana* Præfationes ab ipſo Gregorio M. pontifice eſſe profectas: quod tamen cum veritate pugnat; quippe brevi palam fiet, dumtaxat paucas illas, quibus nunc utimur, Præfationes a S. Gregorio eſſe receptas atque probatas. Ratio ergo cur ſuppoſitionis arguenda ſit epiſtola nuper memorata, ea eſt, quod revera ante Pelagium II. atque ante annum 590. eccleſia *Romana* compluribus uſa ſit Præfationibus, uti conſtat ex *ſacramentario Leoniano*, & *Gelaſiano*, atque ex Anastasio ſcribente Sacramentorum Præfationes a S. Gelasio elaboratas fuiſſe: quæ verba non novem tantum, easque breviſſimas *Præfationes* indicant, ſed quidem multas, quales in *Gelaſiana* liturgia reperimus. Itaque falſo ea ſcripſiſſet Pelagius II.“ Hæc Muratorius, qui putat, *Præfationes* tot in *ſacramentario Menardi* ex Alcuini collectione eſſe: quique in *Gallicanis* & *Germanicis* eccleſiis pietate præſtabant, eiusmodi proprias *Præfationes* ad maiorem quibusdam diebus venerationem conciliandam in liturgiam *Gregorianam* intuliſſe. In noſtro quidem *San-Blaſiano* codice, & quos cum illo contulimus coævos, copioſæ Præfationes non ſunt, aliæ tamen quædam habentur tam in quibusdam feſtis, quam etiam de communi ſanctorum, nec non in miſſis votivis, illis præſertim, quæ Alcuino tribuuntur. Ex novem vero illis deſiderantur duæ, nempe de Quadrageſ. & de S. Cruce, quæ legitur quidem in miſſa votiva Alcuini Fer. VI. non vero in feſto Invent. S. Crucis, quod antiquiſſimum eſt, atque etiam in *ſacramentario Gallicano*, quod Mabillonius in *Muſæo Italico* edidit, habetur. De apoſtolis autem ea, quæ hodie uſitata eſt, in noſtro *ſacramentario* ponitur in feſto S. Pauli, ſed in aliis feſtis plerumque propriæ habentur. Qualem unam in vigilia & Natali S. Andreæ notat Muratorius, in miſſa item de S. Anastasia. Alias novem tantum illas, quæ adhuc in uſu *Romanæ*

eccleſiæ

eccleſiæ ſunt, in ſuis *Vaticano, Ottoboniano, Mutinenſi* & *Veronenſi* invenit; licet ad calcem codicis *Vaticani* & *Ottoboniani* plures ſimul collectas repererit, edideritque, veluti etiam Pamelius ad calcem Tomi II. *liturgicon.* Idem propoſitum habuit Cassander, ſed ſe temporis anguſtia & valetudinis incommoditate impeditum dicit. Editæ ſunt cum aliis nonnullis liturgicis in parvo libello: „Præfationes, quæ vocantur numero CXIII. non tam vetuſtate quam pietate venerandæ, per totius anni circulum olim cantari ſolitæ, nunc autem prorſus oblitteratæ, *Coloniæ* apud *Ioannem* Soterem anno MDXXX. opera Fr. *Galteri* Ruys a *Gravia* ex volumine ornatiſſimis litteris deſcripto & venerabilem antiquitatem conteſtante," ut auctor dicit. Noſque ex cod. *San-Gallenſi* ſæc. XI. ſimilem collectionem Præfationum excerpſimus, quas non quidem illic ſeorſim poſitas reperimus, quomodo uſuveniſſe plerumque notat Muratorius, dubitatque, an non in codice *Eligiano* idem deprehendatur. Sed non ita ſe habet, notaſſetque haud dubie Menardus, qui id de codice *Theodericenſi* expreſſe dicit, tres in partes dividi, quarum ultima *Præfationes* continet. Idem notat, atque etiam ſimul cauſam prodit auctor præfationis, quæ ſecundo libro Alcuini, Rodradi ac Grimoldi præfigitur. Quæ quidem in codice Rodradi habentur, deſiderantur tamen in codice Grimoldi & *Monacenſi.* Unde coniici poteſt, ad duos codices poſteriores præfationem iſtam minus quadrare. Ita vero habet: „Præfationes vero, quas in fine poſuimus codicis, flagitamus, ut ab iis, quibus placent, cum charitate ſuſcipiantur & canantur. Ab his vero, qui eas intelligunt, nec tamen delectant, nec non & ab his, qui eas volunt, nec intelligunt, poſcimus, ut nec aſſumantur, nec canantur." Putem rationem haud poſtremam fuiſſe, cur pleræque uſu exciderint, quod incuria librariorum depravatæ fuerint, ut non raro animadvertimus, atque in antiquiſſimo codice *S. Gallenſi*, perita aliqua manu vidimus integritati reſtitutas. Id pene e memoria excidit, in *ſacramentario* noſtro in feſto Aſſumtionis B. M. ſingularem haberi Præfationem, communem potius de SS. Virginibus, quam de B. M. V. de qua ea, quæ hodie habetur in concilio *Placentino* an. 1095. ſub Urbano II. eſt præſcripta. *Et te in veneratione beatæ Mariæ virginis &c.*

T. XII. Conc. Edit. Venet. pag. 826.

De canone, rubricis ad canonem, & benedictionibus epiſcopalibus ad calcem

XXXII. Canonem quod ſpectat miſſæ, quæ ſunt ſingularia in *ſacramentario* noſtro iam notavimus. Cætera ad verbum reſpondent noſtro, quo hodieque utimur; nullo etiam, qui ſæculis illis addi ſolebant, adiuncto ſancto, qualis eſt in *Solodorenſi* ante conſecrationem memoria Gordiani & Epymachi, atque hæc inſuper verba: *Et quorum ſolem-*

Digitized by Google

ſolemnitas hodie in conſpectu tue maieſtatis celebratur dñe ds noſter toto &c. In codice noſtro *ſan-Blaſiano* notabiles imprimis ſunt rubricæ ad oram poſitæ, quibus actiones & ritus a ſacerdote obſervandi unacum depictis aliquoties ipſius ſacerdotis imaginibus exprimuntur: quæ ſane ſingularia ſunt codici noſtro. Id autem ei commune cum *Rhenaugienſi* altero illo, quem cum noſtro contulimus, quod commemoratio ſeu *memento mortuorum* recentiori manu addatur, deletis prioribus literis, quas exiſtimo reſpexiſſe ad antiquum morem diptychorum. In codice *Solodorenſi* hoc iſta explicatur rubrica: *ſi fuerint defunctorum nomina recitanda, dicat ſacerdos: & eorum nominum.* Poſt: *in ſomno pacis.* Iterum rubrica occurrit his verbis: *Deinde cum recitata fuerint, dicat ſacerdos* N. *Ipſis.* In *ſan-Blaſiano* hæc tantum leguntur: *Memento etiam Domine & eorum, qui nos &c.* In cod. *Solodorenſi* poſtea SS. martyribus STEPHANO & LAURENTIO proxime iunguntur CYRIACUS, NAZARIUS. Qua de re pluribus poſtea dicemus ſuo loco. Sacramentarii S. Blaſiani.

Quædam adhuc de Benedictionibus epiſcopalibus, quæ ſeparatim ad calcem ponuntur, ſunt memoranda. Diverſæ hæ ſunt ab orationibus ad benedictionem in antiquiſſimo codice *Rhenaugienſi* indiſtincte poſitis, cum hic tribus conſtanter orationibus pro feſtorum varietate diſtinguantur, prout etiam de ordine *Ambroſiano* apud MURATORIUM notatur. „Sacerdos ſe volvens ad populum dat benedictionem, prout competit diei. Una habetur communis, videlicet: *Benedicat vos divina maieſtas &c.* Nunc (ſubdit MURATORIUS) una tantum habetur.“ Ex antiquiſſimis libris ordinis *Gallicani*, & ex concilio *Tolet.* IV. patet, benedictionem ab epiſcopis eſſe datam ante communionem. In miſſali *Gothico* nullæ fere occurrunt miſſæ, in quibus non legantur benedictiones, verum a noſtris diverſæ. Uti etiam in miſſali veteri *Gallicano* aliæ ſunt breviores. Concilium mox laudatum *Tolet.* IV. c. 18. ſciſcit. „Poſt orationem dominicam & coniunctionem panis & calicis benedictio in populum ſequatur.“ In miſſa *Mozarabica*: „Particulam, quæ dicitur *regnum*, præmiſſa oratione, ponit ſuper calicem, mox addita alia, imittit in illum. Poſt hæc dicit: *Humiliate vos benedictioni:* & certis quibusdam formulis benedicit populo.“ In miſſa ab ILLYRICO edita ita præſcribitur: „Non mittat epiſcopus in calicem partem oblatæ, ut presbyteri ſolent, ſed expectet, donec finita benedictione epiſcopus communicare debeat.“ Notat MABILLONIUS in ordine ſecundo *Romano*, quæ de his benedictionibus habentur, intruſa eſſe. „Sed (ſubdit) hæc verba, ut in his partibus mos eſt, dicta eſſe conſideratione loci, ubi deſcri- *T. IV. antiq. Ital. p.* 839. *Comment. in Ord. Rom. p.* 52.

Digitized by Google

ptus eſt iſte ordo *Romanus*, ſatis intelligitur. Non ergo inferendum erat *Benedictionale* novæ GREGORII operum editioni, quod a ritu *Romanorum*, atque adeo ipſius GREGORII mente alienum eſt. Tametſi in codice bibliothecæ Cæſareæ *ſacramentario Gregoriano* ſubiectum reperiatur, utpote deſcriptum ad alterius eccleſiæ uſum, quam *Romanæ*.“ Idem de noſtro *San-Blaſiano*, eique ſimilibus codicibus dicendum eſt. Uti etiam in S. ELIGII, RODRADI, & GRIMOLDI parte ſecunda apud PAMELIUM & MENARDUM, qui multas ſupplevit benedictiones ex benedictionali a LAMBECIO edito, nec non ex codice pervetuſto S. THEODERICI prope *Remos*. Similesque notavit in codice *Gemeticenſi*. Etiam CASSANDER cum Præfationibus edere benedictiones propoſitum habuit. Falſus vero eſt LAMBECIUS, quod in cod. Mſc., quo uſus eſt MENARDUS, eas deſiderari dicat, ubi nempe ipſi *ſacramentario* præter morem inſeruntur. In RODRADI, ſeu GRIMOLDI, & ALCUINI præfatione ſtudioſe præfationis auctor dicit, ſe has in ſecundam partem reieciſſe ſeorſim a *Gregoriano*. In liturgia *Leoniana* & *Gelaſiana* nullum benedictionum eiusmodi habetur veſtigium. Nullæ etiam habentur in codice ab *Ang*. ROCCHA edito. Nec quidem in *Mutinenſi* apud MURATORIUM, licet in calce *Vaticani* & *Ottoboniani* ab eodem MURATORIO editi extent, plures in
Lit. Rom. uno, quam in altero, atque interdum diverſæ a MENARDI codice.
T. I. p. 81. „Si (notat MURATORIUS) easdem complexum fuiſſet *Romani* cubiculi *ſacramentarium*, unde exempla olim deſumta, nulla inter codices antiquos eſſet diverſitas.“ Videtur ad has benedictiones referendum, quod
Cap. 15. iam in concilio *Epaonenſi* habetur: „Ut cives ſuperiorum natalium Paſchæ, ac Nativitatis Domini ſolemnitate epiſcopos, nec intereſt, in quibus civitatibus poſitos, accipiendæ benedictionis deſiderio noverint expetendos.“ Perſeveravit hactenus in multis *Galliæ* Cathedralibus benedictionum epiſcopalium uſus, ut ſe vidiſſe PAMELIUS *Pariſiis* in præfatione T. II. perhibet, & in Itinere liturgico MOLEON paſſim indicat, non obſtante ſevera adeo ZACHARIÆ ad S. BONIFACIUM de his benedictionibus, ut quidem videtur, cenſura. „Pro benedictionibus autem, quas faciunt *Galli*, ut noſti frater, multis vitiis variantur. Nam non ex apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per vanam gloriam adhibentes ſibi damnationem.“ Notantur etiam tales benedictiones in indice evangeliorum dominicalium & feſtorum apud veteres *Anglo-Saxones* T. I.
pag. 63. ſeq. antiquit. *Teutonicarum* Io. SCHILTERI. Eſt cod. *Fiſchingenſis* monaſterii in *Helvetia* ſcriptus 1587. qui ſic inc. *In Chriſti nomine Amen. Benedictiones ſolemnes, quibus populus catholicus a pontificibus in miſſæ ſacrificio benedicitur.* Ubi eſt magnus eiusmodi benedictionum numerus de feſtis

feſtis Domini, & Sanctorum, dominicis, de communi item Sanctorum cum aliis benedictionibus. Eiusdem XVI. aut XV. ſæculi eſt codex noſtræ bibliothecæ mſc. benedictionum epiſcopalium. Apud Martenium in ampliore editione de ritibus eccl. Tomo I. p. 653. ex mſc. monaſterii S. Gregorii in valle *Gregoriana* annorum circiter 300. habetur ordo miſſæ abbatialis pompa pontificali, in quo benedictio epiſcopalis præſcribitur ad ea verba: *Et pax eius ſit ſemper.* „Ubi diaconus converſus ad populum dicat: *Humiliate vos ad benedictionem.* Clerus: *Deo gratias.* Hic abbas reſumtis mitra annulo & baculo, converſus ad populum dicat benedictionem pontificalem diei convenientem: qua dicta iterum remotis ab eo mitra, annulo, baculoque, converſus ad altare dicat: *Et pax eius ſit ſemper vobis.*“

CAPUT II.

De aliis Libris ad Liturgiam ſpectantibus.

I.

Varia aliorum codicum liturgicorum genera.

Quos hucusque deſcripſimus antiquiſſimos libros noſtros *ſacramentorum*, ſeu miſſales, alios adhuc neceſſario flagitabant ad concelebrandum ſacrum miſſæ ſacrificium. Mentionem fecimus, quam curate ſit actum, refloreſcente cumprimis eccleſia ac litteris ſub ſtirpe *Carolingica*, quam hæc cura epiſcopis inculcata, *ut presbyteri miſſalem & lectionarium ſive cæteros libellos ſibi neceſſarios bene correctos habeant.* Quemadmodum habetur in Capitular. Caroli M. cap. 103. apud Baluzium, qui recte notat, hos duos libros ſæpe coniungi apud veteres, quia utroque opus erat ad celebrandas miſſas, citatque epiſt. 114. inter *Bonifacianas* Iattonis, ubi petit mitti ſibi *de pergameno bono ad unum lectionarium perſcribendum, & ad unum miſſalem Gregorianum.* Polypticon S. Remigii *Remenſis* notat *Miſſalem Gregorii cum evangeliis & lectionibus.* Antiphonarius ob eandem cauſam plerumque adiicitur. Paullo ante adduxi locum ex admonitione ſynodali anti-

T. I. pag. 724.

 qua,

qua, de cura paſtorali, qua inter alia præcipitur, *ut Miſſale plenarium, & lectionarium & antiphonarium unaquæque eccleſia habeat.*

Superius dubium movi de notione miſſalis plenarii in hoc loco, an, ut videtur DUCANGIO, BALUZIO & aliis, intelligatur, quod omnes tres antedictos libros complectitur, ſeu ſingula, quæ ad miſſam pertinent. Quod quidem alicubi ita ſumatur, facile largior, habetque ſic vox ſignificatum convenientem. Eius denominationis uſum iam a ſæculo nono repetit VEZZOSIUS Præfat. in tom. V. opp. Ven. THOMASII p. XIII., uſus auctoritate LEONIS IV. qui in homilia de cura paſtorali vult, *ut Miſſale plenarium, & antiphonarium unaquæque eccleſia habeat*: quæ tamen omnia de libris ad liturgiam miſſæ accipi poſſunt. Nuſpiam certe vidi eius ætatis miſſale eiusmodi plenarium, quod plene unico volumine ea omnia contineret, ſufficeretque, quæ ad miſſæ ſacrum faciendum requirebantur: ſcilicet unacum ſuo pſalmo antiphonas ad Introitum, ad Offertorium, ad Communionem, reſponſoria Gradualia; cum Collectis item ſeu orationibus, lectionaria, epiſtolas, evangelia &c.

T. I. Gen. diplom. pag. 316.

Eiuscemodi libri diſſerte diſtinguuntur in actis *Murenſibus* apud P. HERRGOTT: „Sunt etiam hic miſſales libri V., ex his tres pleniter ſcripti ſunt. Quartus vero habet Graduale cum orationibus. Quintus tantum orationes habet. Et duo lectionarii. Unus cum lectionibus habet & Evangelia. Eſt & evangelicus liber & quatuor Gradualia &c.“ Sæculo XI. floruit inſignis ac beata ſanctimonialis DIEDMUDIS apud *Weſſofontanum* monaſterium, notatique ſunt inter alios plurimos libros ab ea conſcriptos, ſequentes ad cultum divinum ſpectantes, quorum aliquos elegantiſſime exaratos meis vidi oculis: „Liber miſſalis cum graduali & ſequentiis, qui datus eſt epiſcopo *Treverenſi.* Liber miſſalis alius cum epiſtolis, evangeliis, graduali & ſequentiis. Liber miſſalis alius cum epiſtolis & evangeliis per totum annum & graduali & ſequentiis & baptiſterio integro. Item liber miſſalis cum epiſtolis & evangeliis. liber officialis: liber alius officialis cum baptiſterio, qui datus eſt epiſcopo *Auguſtenſi.* Liber cum evangeliis, & lectionibus. Liber cum evangeliis. Liber cum epiſtolis.“ Quibus in catalogis ſingula librorum genera, prout diſtingui, aut coniungi in voluminibus ſolebant, exprimuntur; ſed ante ſæculum XII. vix ullus inter tot liturgicos libros oculos ſubiit ita plenarius, ut ſimul cum Collectis tam lectiones, quam Introitum, Graduale &c. id eſt, antiphonarium ſeu gradualem complecteretur. Et tamen iam apud REGINONEM occurrit inquiſitio illa de his, quæ epiſco-

pus

pus vel eius miniſtri in ſuo diſtrictu vel territorio inquirere debeant per vicos, pagos atque parochias ſeu diœceſes, atque quæſtio decima eſt: *ſi miſſalem plenarium, lectionarium & antiphonarium habeat. Nam ſine his miſſa perfecte non celebratur.* Putat editor conciliorum *Germaniæ* pro *plenarium* forte legendum *pſalterium*, ut in capitulis WALTERII *Aurelian.* c. 7. habetur. *T. I. p. 438.* Sed ad celebrationem miſſæ non pertinet.

Fuit pſalterium ſemper præcipuus liber ad alteram divini officii partem requiſitus (unde & nomen habet) nocturnæ diurnæque pſalmodiæ, quod frequentiſſime, ornatiſſimeque in antiquis codicibus reperitur. In capitulari CAROLI M. an. 789, ubi de ſcholis, atque emendatis libris curandis agitur, cavetur: *Et pueros veſtros non ſinite eos vel legendo vel ſcribendo corrumpere. Et ſi opus eſt, evangelium, vel pſalterium, vel miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia.* In excerptionibus EGBERTI, archiepiſcopi *Eboracenſis*, ſtatuitur, ut is, qui voluerit ſacerdotalem auctoritatem accipere, primum ſibi comparet pſalterium, lectionarium, antiphonarium, miſſalem, baptiſterium. In libro polyptico S. REMIGII *Remenſis* apud BALUZIUM memoratur *liber evangeliorum, pſalterium, antiphonarium, breviarium.* *T. II. Capit. p. 1159.* Nec aliud eſt baptiſterium recenſitum in excerptionibus EGBERTI, quam quem ipſum hoc polypticum notat librum de ordine baptiſmi, ac inſuper Martyrologium, Pœnitentiale, Paſſionale, canonum volumen, homilias quadraginta ſancti GREGORII. *Hiſt. litter.* In catalogo librorum monaſterii *Schirenſis* an. MCCXLVII. notat CONRADUS *Ord. S. Ben. P. I. p. 551.* Collectarium, Lectionarium, Officiale, Breviarium, Pſalterium, Graduale, Paſſiones vel vitas Sanctorum in uno volumine, item Paſſiones & vitas Sanctorum in altero volumine. Miſſalem librum, item miſſalem librum de Sanctis, & librum miſſalem defunctorum: item ſermones, quorum initium eſt: *Hodie ſcietis.* Librum matutinalem: qui omnes ſunt liturgici. PEZIUS ex codice annorum ſeptingentorum monaſterii *Weichenſtephenſis* *p. XXIV.* notavit ſequentes in diſſertatione *Iſagog.* in T. I. novi theſauri Anecd. „Hæc eſt notitia librorum eccleſiæ *S. Stephani.* Imprimis, qui pertinent ad divinum ſervitium. Unus Miſſalis cum Graduali & Sequentionario ad capellam abbatis. Duo Miſſales cum Graduali & Sequentionario ad capellam abbatis. Duo Miſſales cum Graduali, & Sequentiis, & epiſtolis, & evangeliis adſcriptis. Item unus Miſſalis. IV. Lectionarii. Unus officialis. Unus epiſtolaris. Unum evangelium. Duo nocturnales abſque cantu. Unus ab adventu Domini uſque ad exitum pentecoſtes. Abhinc uſque ad adventum. Item Nocturnalis cum pſalterio, & ymnario, & officiali. Item dimidius Nocturnalis. Duo antiphonaria

tiphonaria cum ymnario. Duo pſalteria in choro cum gradali. Ymnarius unus. Unum gradale ad ſcholas. Unum baptiſterium.“ Similis catalogus DIEDMUDIS ſanctimonialis in quodam PLENARIO monaſterii *Weſſofontani* notatur; monaſterii item *Mettenſis* codex ſæculi XIII. apud eundem P. PEZIUM, ac paſſim apud P. ZIEGELBAUR de Bibliothecis *Benedictinis* a *Germaniæ*, & alibi. a)

p.XX.LII. Ex actis *Murenſibus* iam etiam aliqua exſcripſi, ubi notantur inter alios complures, ad divinum officium pertinentes, codices etiam *Curſarii.* Quæ ſpeciminis loco adduco, ut conſtet, quam varios in libros diſtracta fuerint olim divina officia. Forte quæ RADULPHUS *Tungrenſis* prop. XXII. de NICOLAO III. refert, pertinent ad eum ordinem, qui nunc obtinet fere: „Fecit in eccleſiis urbis amoveri antiphonarios, gradualia, miſſalia, & alios libros officii antiqui quinquaginta, & mandavit, ut de cætero eccleſiæ urbis uterentur libris & breviariis *Fratrum minorum*, quorum regulam etiam confirmavit. Unde hodie in *Roma* omnes libri ſunt novi, & *Franciſcani.*“ De præcipuis ordine aliqua diſſeremus, poſtquam iam copioſe de primario libro liturgico, *ſacramentorum* dicto, egimus.

Antiphonarius, ſeu Gradualis. II. Orditur antiquiſſimus codex *Rhenaugienſis* ab hoc titulo: *Incipiunt dominicales anni circuli. Dominica V. ante natalem Domini &c.* Licet autem non dominicarum ſolum officia contineat, pauca tamen feſta habet, nec ſingulas per quadrageſimam ferias: paſſim etiam primis tantum verbis notat textum. Forte omnium antiquiſſimus hic eſt antiphonarius liber diverſus ab eo, quem ordinaſſe S. GREGORIUS dicitur, Antiphonarium *centonizans cantorum conſtituit ſcholam*, ſeu, ut de

a) Plerique huc pertinent, quidam etiam ad uſum ſingularem monialium in catalogo librorum eccleſiæ in *Stederetborch* apud LEIBNIZIUM T. I. *Script. Rer. Brunſw. p.* 870. „Liber Geneſis, biblia, tria calendaria, in quibus continuatur de paſſione Sanctorum, liber de paſtorali cura . . . tres libri de homiliis, duo antiqui & unus novus liber, qui vocatur de divinis officiis. Duo libri Dominæ de *Peyna*, unum plenarium, & unus liber, in quo continetur PAULUS & actus Apoſtolorum. . . liber qui vocatur *Smaragdus*, in quo continentur homiliæ totius anni, qui legatur per totum annum in ſingulis ſeptimanis, niſi in natalitiis Sanctorum, tunc legetur in Kalendariis. Et unus liber, in quo legetur in paſcha, & in aſſumtione ſanctæ MARIÆ, & liber antiquus de actibus Apoſtolorum, & liber de ſingulis quaternionibus compoſitis, in quo continetur de S. CHRISTOPHORO: & *Maria ſtabat ad monumentum* . . . Quinque gradualia in choro Dominarum, tria matutinalia in choro Dominarum: duo antiphonaria in choro Dominarum. Et unus liber, qui vocatur *flor virginum*; & liber qui vocatur *Ephrem*; & liber: in principio, & evangeliorum ſecundum MARCUM; & liber de ordine totius anni, & liber de miraculis ſanctæ MARIÆ; & liber *Ave Maria*, & liber Domini BODONIS; liber ſancti IACOBI, ſpeculum eccleſiæ, liber de canticis.“

Digitized by Google

de eo Ioannes *diaconus* in eius vita refert, *more ſapientiſſimi Salomonis propter muſicæ compunctionem dulcedinis, antiphonarium centonem cantorum ſtudioſiſſimus nimis utiliter compilavit.* Compilationi huic antiquiores antiphonarii ſtruem ac materiem præbere potuerunt. Nomen hoc, quod in noſtro codice non habetur, a cantu *antiphono* eſt, qualis in miſſa fuit tam ad Introitum, quam offertorium, & communionem, excepto Gradali ſeu Graduali reſponſorio.

Habentur vero hodieque antiquiſſimi codices, plerumque oblonga forma, pro ſolis cantoribus in gradibus ambonis reſponſorium canere ſolitis. Quod deinceps vocabulum illis libris eſt attributum, quibus omnis pro officio miſſæ cantus continetur, paullatim ceſſante cantu *antiphono* proprie ſic dicto. Sic liber hic Gradualis dictus memoratur apud *Micrologum*, ut hodieque fit ad diſtinctionem antiphonariorum, quibus pſalmodiæ antiphonæ continentur de nocturnalibus officiis & diurnalibus, quæ vulgo *curſus* vocantur: ut apud Amalarium habet primi capitis inſcriptio, *de ordine antiphonarii*, qui eandem notionem ſequitur, atque noſtro more Gradualem ab antiphonario diſtinguit in prologo.

Aliter ſumitur antiphonarius liber ſub S. Gregorii nomine in eius operibus, atque a *Ioſepho* Cari, quo ſub nomine latet Cardinalis Thomasius, qui librum edidit ſub titulo: *Antiqui libri miſſarum Romanæ eccleſiæ, id eſt, Antiphonarius S. Gregorii Papæ &c.* Iſthoc nomine cantum miſſæ intelligit per annum, ut ſunt Introitus &c. Eodem etiam modo apud Pamelium notatur. Ex Amalario colligimus *Romæ* etiam mutationem nominum hic eſſe factam. „Notandum eſt (inquit) volumen, quod nos vocamus antiphonarium, tria habere nomina apud *Romanos*. Quod dicimus *Gradale*, illi vocant *Cantatorium*: qui adhuc iuxta morem antiquum apud illos in aliquibus eccleſiis uno volumine continetur. Sequentem partem dividunt in duobus nominibus: pars, quæ continet reſponſorios, vocatur *Reſponſoriale*: & pars, quæ continet antiphonas, vocatur *Antiphonarius*. Ego ſecutus ſum noſtrum uſum, & poſui mixtim reſponſoria & antiphonas ſecundum ordinem temporum, in quibus ſolemnitates noſtræ celebrantur.“ Primum ergo volumen huc ſpectare videtur, *quod dicimus Gradale, illi vocant cantatorium*, ut inquit Amalarius, atque hinc coniici datur, antiphonarii nomen uſu etiam *Romano* fuiſſe immutatum; niſi velis omnia tria volumina ad officium divinum horarum canonicarum referre. *De ord. Antiph. in prol.*

III. Cardinali Thomasio viſum eſt omnia complexum eſſe antiphonarium ab Adriano I. P. ad Carolum M. miſſum per duos cantores *Ab Adriano P. miſſus & in Alemannia re-*

Romanos

Digitized by Google

lectus cum altero. *Romanos* Petrum & Romanum, quorum alter correptus morbo in monaſterio *S. Galli* conſedit, exemplumque eius antiphonarii ibi reliquerat, *Lib. II. P. I. c. 1. pag. 274. ſeq.* ut expoſui de Cantu & Muſica ſacra. Eius rei gnarus, deſiderioque inflammatus authenticum nanciſcendi Adriani antiphonarium, animatus Thomasius a Mabillonio, ad P. *Hermannum* Shenk, monaſterii *S. Galli* bibliothecarium epiſtolam ſcripſit, quæ eſt prima inter alias plures ad eundem doctiſſimum virum tomo IV. Opp. Thomasii editionis a P. *Antonio* §. XXXIX. *Franciſco* Vezzosi *Romæ* curatæ: ubi expetiiſſe ſe dicit a Mabillonio certior fieri, ſicubi nactus fuiſſet aliquod exemplar Mſc. antiqui *Romani* antiphonarii, ab Hadriano Papa ad Carolum M. transmiſſi, eius ſibi reſcripto ſpem natam eſſe, & ipſum Hadriani Papæ authenticum antiphonarium in iſto monaſterio *S. Galli* reperiendi. a)

Eius egomet rei deſiderio incenſus non ſemel nec ſegniter omnes bibliothecæ *ſan-Gallenſis* forulos, manuſcriptis adhucdum poſt varios licet funeſtos caſus refertiſſimæ, ſum perſcrutatus, perhumaniter ac liberaliſſime, perinde ac olim cantor Romanus, habitus a ſuaviſſimis ſodalibus non uno fœdere iunctis; at quale ex deſcriptione Amalarii expetierat Thomasius Adriani P. antiphonarium plenarium, ut ita dicam, reperire haud fuit, fuiſſetque dubio procul iam communicatum, ſi fata tuliſſent, cum Thomasio: a quo quidem utriusque generis antiphonarii ex codicibus *ſan-Gallenſibus* antiphonariis ſunt editi, recuſi tomo quarto & quinto *pag. 171.* operum edit. *Vezzoſianæ*, ac tomo quarto quidem reſponſoriale, poſt illud, quod ex codice *Vatic.* edidit iuxta veterem uſum Canonicorum baſilicæ *Vaticanæ S. Petri.* Tomo quinto primo loco, ante celebre *Mutinenſe* eccleſiæ *S. Ioannis Baptiſtæ* inter alias res pretioſiſſimas a Theodelinda regina *Longobardorum* donatum, legitur *Antiphonarius ordinatus a S. Gregorio per circulum anni* ex mſc. *ſan-Gallenſi*, qui ad miſſam pertinet, laudatque in præmiſſo codicum indiculo alia monaſterii eiusdem antiphonaria Mſs.

a) „Hinc meas (pergit) ad te preces expono, ut huius vetuſti antiphonarii *Romani* integrum fideleque exemplum mihi communicare non abnuas: rem enim gratam facies, non mihi modo, verum & eruditiſſimis quibusque . . ut autem perſpicue noveris, quod mihi antiphonarium expetatur, ſcias velim, Hadrianum papam miſiſſe Carolo magno antiphonaria duo per *Romanos* cantores, quorum alter in itinere febri correptus exceptusque liberaliter in *S. Galli* monaſterio, unum antiphonarium eidem reliquit monaſterio, id quod luculentius, latiusque traditur in vita B. Notkeri *Balbuli* in Actis Sanctorum editis ab Henschenio, Tom. 1. *Aprilis.* Porro hocce *Romanum* antiphonarium Hadriani papæ in tres erat partes diſtinctum, quarum prima Graduale pro miſſarum ſolemniis, ſecunda Reſponſoriale, id eſt reſponſoria, tertia Antiphonarium, antiphonas ſcilicet pro nocturnis diurnisque officiis., ut teſtatur Amalarius in prologo libri de ordine antiphonarii: quo item in libro capp. 15. 60. 61. 62. 63. ſcribit dupla nocturnalia officia, certis quibusdam ſolemnitatibus in illo antiphonario extitiſſe.“

Mſs. quorum collationes cum Pamelio abunde amanterque eruditiſſimus P. *Hermannus* Shenk transmiſerit. De quibus aliisque eiusmodi antiphonariis plura ediſſerit P. Vezzosi in præmiſſa ampla ad tomum quintum præfatione. Recte vero obſervat p. xix. a Mabillonio & aliis promiſcue ſumi Gradalis & Antiphonarii nomina: accommodate omnino ad uſum primævum eccleſiæ cantus antiphoni in miſſa ad Introitum, Offertorium & Communionem, alterna modulatione ad verſiculos pſalmi ad Introitum notari hodieque ſoliti; ceſſante vero cantu antiphono, congruum erat mutari nomen.

IV. Inde vero, quod, ut nunc vidimus ex Amalario, ſecundum volumen diviſum ſit in duas partes, facile ratio patet, quare primo volumini aliud nomen apud *Romanos* inditum ſit: cum enim pars, quæ continebat antiphonas, vocaretur antiphonarius, hoc poſterius nomen cum altero confundi non debebat, quod pertinet ad horas canonicas, atque inter opera S. Gregorii nominatur *reſponſale*, idem, quod Amalario, ac hodie vocatur antiphonarium; nec incongrue, cum magnam partem antiphonarum contineat pro officio diurno & nocturno, quod cantu alterno ſeu antiphono celebratur potiori parte cum reſponſorio; dum plerumque promiſcue iisdem omnia continentur libris: veluti iam Amalarius dicit, ſe mixtim poſuiſſe reſponſoria & antiphonas ſecundum ordinem temporum, *ſecutus*, inquit, *morem noſtrum.* Quod hodie antiphonarium proprie dicimus, ſeu reſponſale.

Multa autem Amalarium ſuo feciſſe marte, coniicere eſt ex controverſia, quæ ei acris admodum cum Agobardo, *Lugdunenſi* epiſcopo fuit de antiphonario. Scripſit *de correctione antiphonarii* Agobardus, atque ipſo opere etiam correctionem ſuſcepit. *Antiphonarium,* inquit, *correximus, amputatis, quæ vel ſuperflua, vel levia, vel mendacia, vel blaſphema videbantur.* Diſplicuit Agobardo, quidquid non ex ſacris ſcripturis fuit deſumtum. Amalarius ſcripſit *de ordine antiphonarii*, atque in prologo de correctione antiphonarii generatim loquitur, in contextu autem operis rem ſingillatim aggreditur. Ubi in eodem ſtudio ab ipſo prolixe laudatur ſacerdos Dei Esisagarus *adprime eruditus, & ſtudioſiſſimus in lectione & divino cultu, nec non & inter priores primus palatii excellentiſſimi* Hludovici *imperatoris*, præſertim in congruentibus inveniendis ad reſponſoria verſibus, quod in reſponſalibus illius temporis maxime deſiderabatur. *Hoc proſpexit*, inquit, *memoratus vir & glorioſus presbyter* Esisagarus: *qua de re certavit, ut ex diverſis libris congregaret verſus convenientes reſponſoriis, quos nos & alii multi cupiunt frequentare in nocturnali officio.* Nempe in eccleſia ſua *Metenſi*, quæ in hac re a multo tempore tunc erat illuſtris.

Nota ſunt Pipini & Caroli M. ſtudia ritum *Romanum* in omnibus divini operis partibus inducendi; atque huc revocari poteſt, quod in capitulari *Aquisgran.* an. 789. ſub Carolo M., legitur etiam monachis, utique S. Benedicti, quibus ſecundum regulam ſui erant peculiares ritus, præſcriptum: „Monachi, ut cantum *Romanum* pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, ſecundum quod beatæ memoriæ genitor noſter Pippinus rex decertavit, ut fieret.“ Poſtea ſub eodem adhuc Carolo M. an. 812. Vuala abbas *Corbeienſis* in *Franciam* antiphonarium detulit, ut ex Amalario diſcimus; qui ipſe etiam id *Romæ* egit: „Nam (inquit) quando fui miſſus *Romam* a ſancto & chriſtianiſſimo imperatore Hludovico ad ſanctum & reverendiſſimum papam Gregorium, de memoratis voluminibus retulit mihi idem papa: antiphonarium non habeo, quem poſſim mittere filio meo Domino Imperatori, quoniam, quos habuimus, Vuala, quando functus eſt huc legatione aliqua, abduxit eos hinc ſecum in *Franciam*. Quæ memorata volumina contuli cum noſtris, invenique ea diſcrepare a noſtris non ſolum in ordine, verum etiam in verbis, & multitudine reſponſoriorum & antiphonarum, quas nos non cantamus. Nam in multis rationabilius ſtatuta reperi noſtra volumina, quam eſſent illa. Mirabar quomodo factum ſit, quod mater & filia tantum a ſe diſcreparent. Inveni in uno volumine memoratorum antiphonariorum ex his, quæ infra continebantur, eſſe illud ordinatum priſco tempore ab Adriano apoſtolico.“ Ad finem prologi refert, unde illud dignoverit eſſe Adriani, eius nimirum inſcriptum nomine. *In nomine Domini noſtri* Iesu *Chriſti incipit reſponſoriale de circulo anni temporibus ter beatiſſimi & apoſtolici Dñi* Adriani *papæ per indictionem ſeptimam.* Item in fine: *Hoc opus ſummus reparat pontifex Dominus* Adrianus *ſibi memoriale per ſæcla.* Ad hunc ritum normamque exacta eſſe (interpolata quidem, locisque ac temporibus accommodata) credi fas eſt vetera *Alemannica* reſponſalia, cuiusmodi ex cod. *ſan-Gallenſi* editum iam memoravimus: *A beato olim* Gregorio *papa Romano coactum*, *ſed nonnullis accretionibus ac demptionibus aliquantulum immutatum*, *ad ritumque monaſticum ex parte accommodatum,* ut ad exemplum a ſe editum annotavit Ven. Thomasius, eſtque iam etiam ab Amalario agnitum: qui quoniam alia item reperit volumina in bibliotheca *Corbeienſi*, tria nimirum de nocturnali officio, quartum, quod ſolummodo continebat diurnale, ut initio prologi atteſtatur, difficulter ex iis, quæ refert de *Romanis* antiphonariis in ſuo opere, diſcernitur, in quibusnam cum Adriani reſponſali conveniat, quod ſub Reſponſalis nomine vulgatum

T. II. Conc. Germ. pag. 381.

Prol. de ord. antiph.

eſt

eſt in noviſſima editione operum S. Gregorii ex vetuſtiſſimo codice *Compendienſi.* Quod ſaltem cum hodiernis convenit antiphonariis ſeu reſponſalibus. Nec ego in Mſs. *Alemannicis* codicem reperi, quem collectioni meæ inſerendum duxerim, plerumque peculiaribus monachorum moribus accommodatis, aut non antiquis adeo, ut cum edito per Thomasium ex codice *ſan-Gallenſi* contendi queant. Fruſtra autem in bibliotheca *Augiæ divitis* perquiſivi, qui in rotulo antiquo notatur libellus, a Reginberto monacho *Augienſi* conſcriptus *Lib. Cantus Gradalis & nocturnalis.*

V. Reſponſale antiphonario iunximus ob materiæ & nominis cognationem, Sanctique Gregorii auctoritatem, cui reſponſalis etiam ſolet tribui. De quo Ioannes *diaconus*: *Gelaſianum codicem pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit.* Quæ verba ſuperius explicavi, ad rem autem præſentem produnt S. pontificem, reliquas liturgiæ particulas ſic ordinaſſe, ut ad explicationem evangelicæ lectionis conſpirarent ſingula: prout nempe invenit iam digeſtas eiusmodi lectiones. Antiquiſſimus eſt liber, qui *Comes* nuncupatur, ex plerorumque ſententia, quod præſto ſemper fuerit ſacris templi miniſtris. Probat Cardinalis Bona, a primis iam ſæculis certas ſelectasque fuiſſe lectiones ex canone paſchali Hyppoliti Mart., & S. Augustini ſermonibus in Ioannem, S. Hieronymo contemporanei, qui libri, *Comes* inſcripti, auctor eſt habitus. Is certe medio ævo conſtanter ipſi tribuitur ad præfationis fidem ſub eius nomine ad Constantium, a Dacherio *T. XIII. Spicil.* editæ, & a Thomasio recuſæ, quæ tamen in Pamelii codice deſideratur, ac ſpuria eſt; licet ob mentionem huius libri factam in antiquiſſima charta *Carnutiana* collegerit Mabillonius, auctorem *Comitis* Hieronymo coævum vel ſupparem eſſe. Ita vero habet charta illa anni 471. *Item codices evangeliorum quatuor, apoſtolum, pſalterium, & Comitem.*

Liber Comes inſcriptus, & alii Lectionarii pro miſſa.

Rer. liturg. lib. II. c. 6.

T. V. opp. p. 319.

Lib. VI. de re diplom.

Exhinc mihi vero nomenclaturæ ratio eluceſcere videtur, ut nempe ad codices evangeliorum epiſtolarumque apoſtolicarum veluti *comes*, ſeu index accederet. Facit huc citatus a Ducangio codex evangeliorum mſc. Bibl. eccleſiæ *Bellovacenſis* ſæculi IX. quibus ſubditus legitur *Comes* hoc titulo: *In Chriſti nomine anni circuli liber Comitis incipit auctus a* Theotincho *indigno presbytero, rogatu viri venerabilis* Hechiardi *comitis Ambianenſis. Ita tamen ut ſancta evangeliſtarum dicta, nec non & apoſtolorum & prophetarum immota atque inconcuſſa ſervarentur.* *Comes* ergo coniunctas ſimul habet lectiones ex ſacra ſcriptura, evangelia & epiſtolas, ſeu lectiones veteris vel novi teſtamenti, ex epiſtolis Pauli potiſſimum ſecundum

ordinem *Romanum*, cum in *Gallicano* tres ſint lectiones iuxta *ſacramentarium Gallicanum*, & GREGORIUM *Turonenſem* lib. IV. c. 16. prophetia ex veteri, epiſtola & evangelium ex novo teſtamento; ut tamen etiam quandoque paſſiones martyrum lectas colligat MABILLONIUS ex HILDUINI epiſcopi ad LUDOVICUM auguſtum epiſtola *Areopagiticis* præfixa, pariter ac in officio *Mozarabico*.

Lit. Gall. lib. I. c. 3. n. 8.

Cum *Romano* magis convenit *Ambroſianum* officium, cuius elenchum *antiquarum lectionum Beati* PAULI *apoſtoli ad miſſas*, ad uſum (ut videtur) *eccleſiæ Mediolanenſis* dedit *Ioſ.* CARI, ſeu THOMASIUS append. ad antiq. libr. miſſales *Romanæ* eccleſiæ, & poſt eum GEORGIUS ex eodem vetuſtiſſimo codice epiſtolarum S. PAULI quadratis ſeu uncialibus litteris, ac per cola & commata diſtinctis verſibus perſcripto. A THOMASIO ibidem editus eſt *Comes*, ab ALBINO ex CAROLI Magni imperatoris præcepto, emendatus ex antiquiſſimo codice *Carnutenſis* eccleſiæ cum appendicibus. Lectionarius item liber lectionum, quæ ad miſſas *Romani* ritus leguntur, ex antiquis Mſs. codicibus collectus. *Comes* ille ALBINI perinde ac lectionarius lectiones evangelicas non notat, etiam eius appendix apud THOMASIUM l. c. p. 314. eſtque in ea ſententia VEZZOSIUS, *Comitem* ad hoc ſolum pertinere, hinc etiam *apoſtolum* dici, quod frequentiores ſint lectiones in miſſa ex epiſtolis apoſtolorum D. PAULI imprimis, nec aliter differre *comitem* ab *apoſtolo*, quam IULIUS a CÆSARE diſtinguitur, ut in præf. T. V. p. XXI. &c. loquitur, diſtinguendumque exiſtimat *comitem* a capitulari evangelicarum lectionum, alias breviarium evangeliorum dici ſolitum, de quo plura ibidem præfatur ad vetuſtiſſimum eccleſiæ, ut videtur, *Mediolanenſis* lectionarium, a THOMASIO poſtremo loco p. 424. editum. Eius autographum, quod *Romæ* vidi, mihi haud multum ab ævo ſancti GREGORII M. remotum eſt viſum vetuſtate. Superat autem eius ætatem codex Novi Teſt. *Fuldenſis*, quem cum aliis *S. Bonifacianis* recenſet SCHANNAT ad calcem collectionis primæ *Vindemiarum litterariarum*, probatque eum codicem an. 547. relectum a VICTORE epiſcopo *Capuenſi*, quod bis manu autographa eſt annotatum. Cuius etiam VICTORIS præfatio in *Harmoniam IV. evangeliſtarum* primo loco occurrit. Poſt *Harmoniam* ſequitur tabula, indicans lectiones in eccleſia recitari ſolitas, quæ ex epiſtolis B. PAULI potiſſimum deſumtæ, diſtribuuntur per integrum anni circulum, ordiendo a Dominica prima Adventus. Epiſtolæ D. PAULI, ut & canonicæ reliquæ non per capita, ſed iuxta præcedentem tabulam in ſingulas lectiones numerice diſtinctæ ſunt, quarum prima vocabula minio paſſim deſcripta ſunt. Hæc SCHANNATUS: plura nos, ſi licebit, ad monumenta liturgica, quæ inter tabula illa lectionum locum præcipue meretur, ex

T. V. Opp. p. 424.

T. III. lit. Rom. Pont. p. 287.

qua conſtat iam ante S. Gregorium lectiones fixas fuiſſe. Iam notarunt *ſan-Maurenſes* in admonitione ad homilias S. Gregorii in Evangelia T. I. p. 1431. Evangeliorum ſectiones, quæ a S. Gregorio exponuntur, & *inter miſſarum ſolemnia certis diebus iam tunc legebantur ex more*, easdem eſſe, quæ fere hodie iisdem diebus recitantur.

Capitulare evangelicarum lectionum ad miſſam nos edimus ex codice *Rhenaugienſi* nongentorum circiter annorum, eodem titulo, quem paſſim reperi. Cuius tituli origo habetur in inſcriptione antiquiſſimi Calendarii apud Martenium: *Incipiunt capitula lectionum evangelii anni circuli.* In codice eiusdem ætatis *ſan-Gallenſi* ſic habetur: *Incipiunt lectiones evangeliorum per anni circulum.* Vocabatur etiam *plenarium*: quod tunc congruere nomen puto, quando toto contextu evangelia habentur perſcripta, capitula autem ad lectiones in eccleſia ſeparatim notantur. In codice bibliothecæ noſtræ ſæculi circiter XIII. reperi titulum, *Incipit breviarium de Sanctis per totum annum*, eſtque evangeliorum tantum, cuiusmodi alios antiquiores habemus ſæculi circiter decimi. *T. V. nov. Collect. p. 66.*

Quorum unus pretioſa argentea capſa incluſus opere inſigni anaglyptico in proceſſionibus circumferri ſolet uſu antiquiſſimo, eratque mos ornandi hos libros auro, argento, lapidibus pretioſis. Cuiusmodi vidi apud *S. Gallum* Harmoti forte, de quo apud Ratpertum de caſibus Sancti Galli, atque apud Mabillonium in vita Tutonis, epiſcopi *Ratisbonenſis* legitur: *Erant etiam in eo evangeliorum libri plenarii auro & gemmis tecti, ſcripti, picti, ac omnimodis ornati. E quibus unus eſt cubitalis, opere, pretio, pondere ſiquidem talis, ut ei non facile inveniri poſſit æqualis.* Hodieque apud *S. Emeramum* ſervatur codex SS. evangeliorum, aureis ſcriptus characteribus, & gemmis ornatus pretioſis, ab imperatore Arnulpho dono datus. Apud *Scotos* autem ibidem ad *S. Iacobum* monachos codex ſæculi IX, quo uſus S. Anscharius, oſtenditur etiamnum inter ſacra cimelia, uti *Würzburgi* S. Kiliani, *Franconiæ* apoſtoli ac martyris an. 687. & in *Anglia* S. Augustini, *Anglorum* apoſtoli, qui non minus a ſacro tantorum virorum uſu, quam antiquitate commendantur; ſed his antiquitate præſtat codex bibliothecæ regiæ ſæculi VI. uti auctores novi tractatus diplomatici perhibent, atque hæc verba *legenda diem natali Domini* uſum illius in Sacris declarant.

Sed ut ad nos redeamus, atque etiam de lectionibus epiſtolarum *Alemannicis* ſeu vernaculis dicamus, cuiusmodi paſſim etiam codices antiquos ſeparatos reperimus; in bibliotheca Cæſar. notantur a Lambecio epiſtolæ ſacræ, & alia veteris & novi teſtamenti ſelecta fragmenta, quæ loco epiſtolarum cum dominicis, tum aliis quoque feſtis diebus per totum

Digitized by Google

annum in eccleſia catholica publice ſolita legi dicit, antiqua lingua *Germanica* magna ex parte rhythmica an. 1210. exarata. Recentior eſt verſio, atque non huius publici uſus, *Germanica* lectionum ſacrarum miſſæ in codice *ſan-Gallenſi*, & in miſſali *Germanico* plenario *Einſidlenſi*, ex quo pericopas damus.

Pro horis canonicis.

T. IV. opp. append. p. 316.

VI. Pro horis canonicis ſimilia extant breviaria lectionum, veluti apud Thomasium ex Mſc. *ſan-Gallenſi ordo librorum catholicorum, qui in eccleſia Romana ponuntur ad legendum.* Noſque ex codice *ſan-Blaſiano* mille ſaltem annorum ſchediaſma eiusmodi edemus inter monumenta liturgiæ *Alemannicæ*, quod inſcribitur *De auctoritate ſacræ ſcripturæ, quæ legitur in eccleſia in circulo anni.* Ubi conſequenter, quæ ad officium divinum a Cœna Domini uſque ad paſcha pertinent, diſtinctius denotantur. De lectionibus brevibus, quæ etiam capitula vocantur, olimque pariter peculiaribus in codicillis, aut ſeorſim ſaltem cum aliis partibus officii canonici ſcribebantur, dicemus paullo poſt.

Homiliarii libri.

VII. In bibliotheca *Einſidl.* eſt codex ſæc. IX. vel X. cum titulo *epiſtolæ & evangelia cum expoſitionibus.* Mox: *Incipit præfatio libri comitis.* Qui non eſt ille ſub S. Hieronymi nomine, de quo modo diximus. Atque inter alia inſtitutum fonteſque his verbis prodit: „Cernens in eccleſiis plurimos divinarum ſcripturarum myſticos ſagaciter perquirere ſenſus, earumque typicos malle decerpere fructus, hunc ex multis unum allegoriarum fontibus plenum curavi colligere librum, & de magnorum tractatibus prolatiſque ſermonibus Patrum, id eſt Hilarii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Victoris, Fulgentii, Iohannis, Cassiodori, Eucherii, Tichonii, Faguli, Bedæ, Primasii, & de caute legendis Pelagii & Origenis, quaſi de magnis fluminibus pelagique gurgitibus immodicos rivulos pariter derivator pariterque extiti breviator &c." In antiquiſſimis codicibus *Alemanniæ* frequentiſſime collectiones homiliarum deprehendi.

Cap. 31.

Refertur in vita S. Cæsarii *Arelatenſis*, quod per *Italiam* & *Hiſpanias* homilias ſacras diſtribui curarit, ut proiectis rebus frivolis & caducis, iuxta apoſtolum bonorum operum fierent ſectatores: Pertinet huc (quas Gennadius de viris illuſtr. c. 67. refert) Salvianum presbyterum *Maſſilienſem* compoſuiſſe *homilias epiſcopis factas multas; ſacramentorum vero quantas nec recordor.* Hoc eſt, ut Mabillonius explicat, ſermones inter miſſarum ſolemnia ab epiſcopis iuxta *Gallicanum* ritum recitari conſuetos. In

Digitized by Google

In noſtra *Alemannia*, quem viderim, antiquiſſimus eſt codex bibliothecæ *ſan-Gallenſis*, litteris maiuſculis ſeu uncialibus perſcriptus, ob vetuſtatem oculos paullatim fugientibus: cum tit. *Variæ humiliæ & tractatus* S. Augustini. *Incip. capitola de humilias.* Et poſt hæc: *Incip. humilias ſanctorum martyrum.* a) In ſimili manuſcripto *Ottoburano* mille a
annorum litteris adhuc quadantenus *Merovingicis* ita habet titulus: „In nomini dni nri Iesu Chriſti incipit Omelias anni circuli, quæ legenda ſunt. Item de adventum, & de nativitate dni, de epiphanie, de quadrageſima, ſive de paſcha dni. ſive de aſcenſa dni, ſive de pentecoſte vel de omnes feſtivitates, quas celebrare debemus. Imprimis omelia domini Gregorii de adventum. Dns ac redemtor noſter paratos nos invenire deſiderans &c.“ In cod. ſæc. IX. vel X. monaſterii *Weingartenſis* eiusmodi habetur volumen inſcriptum: *In nomine ſanctæ Trinitatis in hoc codice continentur omelia ſanctorum Patrum in diebus dominicis vel aliis feſtivitatibus per circulum anni.* Plura ingentia eiusmodi volumina Mſſ. *Augienſia* imprimis ornant.

Quæ inter duo eminent, quæ iuſſu Caroli M. digeſta ab Alcuino Sixtus *Senenſis* vult, recte autem Paulo *diacono* tribuuntur, de quo Sigebertus id ad an. 807. teſtatur; ut tamen Alcuinus emendaverit, quemadmodum in eius elogio Mabillonius probat. Idem circa homiliarium hoc obſervat, multas homilias in vetuſtis illis codicibus
Analect. T. IV. p. 633.
deeſſe, quæ ſubinde ab aliis adiectæ ſint E. g. Herici, & quorundam aliorum. Concilii *Turonenſis* III. iuſſu Caroli M. celebrati canon ſecundus huc pertinet: „Ut omnes epiſcopi ſtudioſe operam dent lectioni: ſanctum evangelium & epiſtolas beati Pauli, non ſolum crebro
T. VII. ed. *Labb.* pag. 1232.
lectitent, ſed etiam quantum poſſint, memoriæ ſtudeant commendare: ſanctorumque Patrum opuſcula ſuper eadem expoſita devote frequentent.“ Quod vero hic *Io. Andreas* Schmidius in diſſertatione *de lectionariis orientalis & occidentalis eccleſiæ &c.* p. 28. de *Gallica* & *Theotiſca* translatione notat, non reperi.

Præmittuntur verſus ad Carolum M. cuius ſubſequitur epiſtola b) ac b
operis

a) Syllabum eius codicis edidi in Itinere *Alemannico* p. 88. ſeq.

b) ⁖†⁖ *Summo apici rerum regi dominoque potenti*
Dat famulus ſupplex verba legenda ſuus.
Ampla mihi veſtro & humili devotio ſervo
Præceptis parere tuis celeberrime regum
Quem dedit omnicreans rector miſeratus ab alto
Chriſticolum populis defenſoremque patremque
Sit licet effectus modicis pro viribus impar
Ingens ardenti tamen eſt ſub corde voluntas
En intus Patris Benedicti mira patrantis
Auxilio meritisque piis veſtrique fidelis
Abbatis dominique mei, & ſi iuſſa nequivi
Explere ut dignum eſt tamen o pietatis amator
Excipe gratanter decus & mirabile mundi

operis titulus, quæ hic edere operæ pretium eſt poſt Mabillonium & Cholinum, apud quem hic habetur titulus: Paulus *diaconus*

Utere felix Carole *princeps*
Munere Chriſti *Arbiter orbis*
Pluribus annis *Atque togate*
Luxque decusque *Dardanidæque*
Magne tuorum *Gloria gentis.*

Incipit

Quæmcunque tui famuli rex magne laborem
Quodque ſacro nuper mandaſti famine condi.
Nunc opus acceptans rutilo comitare favore
In quo ſi quid labis erit vitiique nocentis
Illud veſtra ſagax nimium ſapientia purget
Utque legi per ſacra queat domicilia Chriſti
Nullius titubante fide ſi ſenſibus altis
Enixe ut cupio veſtris utcumque placebit
Firmum oro capiat veſtra ſanctione vigorem.

Sequitur: „Carolus Dei fretus auxilio rex *Francorum* & *Longobardorum* ac Patricius *Romanorum* Religioſis lectoribus noſtræ ditioni ſubiectis. Cum nos divina ſemper domi foriſque clementia ſive in bellorum eventibus ſive pacis tranquillitate cuſtodiat etſi rependere quicquam eius beneficiis tenuitas humana non prævalet. Tamen quia eſt inæſtimabilis miſericordiæ Deus noſter, devotas ſuæ ſervituti benigne approbat voluntates. Igitur quia curæ nobis eſt ut noſtrarum eccleſiarum ad meliora ſemper proficiat ſtatus, obliteratam pene maiorum noſtrorum deſidia reparare vigilanti ſtudio litterarum ſatagimus officinam, & ad pernoſcenda ſtudia liberalium artium, noſtro etiam quos poſſumus invitamus exemplo. Inter quæ iam pridem univerſos veteris ac novi inſtrumenti libros librariorum imperitia depravatos Deo nos in omnibus adiuvante ex amuſſim correximus. Accenſi præterea venerandæ memoriæ Pipini genitoris noſtri exemplis, qui totas *Galliarum* eccleſias *Romanæ* traditionis ſuo ſtudio cantibus decoravit. Nos nihilominus ſolerti easdem curamus intuitu præcipuarum inſignire ſerie lectionum. Denique quia ad nocturnale officium compilatas quorundam caſſo labore licet recto intuitu minus tamen idonee reperimus lectiones. Quippe quæ & ſine auctorum ſuorum vocabulis eſſent poſitæ, & infinitis vitiorum anfractibus ſcaterent. Non ſumus paſſi noſtris diebus in divinis lectionibus inter ſacra officia inconſonantes perſtrepere ſolœciſmos, atque earundem lectionum in melius reformare tramitem mentem intendimus. Idque opus Paulo *diacono* familiari clientulo noſtro elimandum iniunximus ſcilicet ut ſtudioſe catholicorum Patrum dicta percurrens veluti elatiſſimis eorum pratis certe quosque floſculos legeret & in unum quæque eſſent utilia quaſi ſertum aptaret. Qui noſtræ celſitudini devote parere deſiderans, tractatus atque ſermones diverſorum catholicorum Patrum perlegens, & optima quæque decerpens in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique feſtivitati diſtincte & absque vitiis nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum noſtra ſagacitate perpendentes, noſtra eadem volumina auctoritate conſtabilimus, Veſtræque religioni in Chriſti eccleſiis tradimus ad legendum.“

„In nomine omnipotentis Dei incipiunt omeliæ ſive tractatus beatorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Leonis, Maximi, Gregorii & aliorum catholicorum & venerabilium Patrum legendi per totius anni circulum tam in ſingulis dominicis diebus quamque & in reliquis divinis feſtivitatibus id eſt nativitate dñi nec non epiphania ſeu paſcha, aſcenſione quoque Domini ſive pentecoſte vel etiam feſtis apoſtolorum, virginum, martyrumque ſeu confeſſorum ieiuniorumque diverſorum,

Incipit ab hebdomada quinta ante natale Domini homilia in evangelium ſecundum IOHANNEM. *Cum ſublevaſſet oculos* IESUS, *& vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum &c.* De qua re ſuperius mentionem fecimus, agentes de antiphonario antiquiſſimo *Rhenaugienſi*, quod ab eadem dominica incipit, atque id AMALARIUS notavit de Miſſalibus & Lectionariis, ea ſolere a dominica Adventus incipere; licet Capitularia noſtra evangeliorum a natali Domini ordiantur; codex tamen *Vaticanus Dominico* GEORGIO monente incipit a dominica prima adventus. Nec prætereundi ſunt ſilentio ſermones ſeu homiliæ in lectiones apoſtoli de tempore & ſanctis ſæc. IX. vel X. Quod ſingulare eſt, cum alias in evangelia tantum habeantur homiliæ.

Monit. ad append. monum. ad liturg. Rom. Pont. T. III. p. 234.

Obſequiale, Benedictionale, & Pœnitentiale.

VIII. Sunt porro libri peculiares, quibus continentur ordo baptizandi, quæque coniuncta eſſe ſolebant, miniſtrandi ſacramenta; inungendi item infirmos cum ritu ſepeliendi, ſeu obſequio circa mortuos, cum variis exorciſmis & benedictionibus &c. Ordinatione monachi &c. Qualis extitit in bibliotheca *ſan-Blaſ.* an. 800. ſupparque in cod. *Rhenaug.* Mſc. habetur; in *Weſſofontanis* codicibus ſæc. XI. vel XII. etiam ſicut in noſtris iudicium aquæ frigidæ &c. occurrit, uti alias frequenter: taleſque puto eſſe, qui in actis *Murenſibus* notantur *tres benedictionales libri ex his unus habet obſequium mortuorum.* Unde etiam vocantur libri obſequiales. Apud THOMASIUM in appendice tomi quarti ex cod. Vatic. in obſequiali huiusmodi ſequens legitur titulus: *Incipiunt diaconiæ ſecundum Romanos*, quæ vox Græca latinæ reſpondet. In miſſali *ſan-Blaſ.* Mſc. ſæc. XIV. vel XV. hoc inveni nomen in off. ſabb. Pentecoſt. poſt lectiones. *Tunc itur ad fontem conſecrandum cum aliis ſicut habetur in obſequiale.*

T. I. Geneal. diplom. p. 316.

Mox

quorum omnium ordine ſuo adnotatio inferius continetur." Scriptura eſt ſæculi circiter noni, homiliæ ſat amplæ ſine diſtinctione reſponſorii, aut altero finiendi indicio, quemadmodum hodie ſingulas lectiones uti cum benedictione incipimus, ita cum deprecatione *Tu autem domine*, finimus, quæ in ſimili codice eiusdem ætatis ſingulares occurrunt feſtivitati congruentes, veluti I. „Tu autem domine qui pro nobis incarnari dignatus es miſerere nobis. II. Tu autem dñe qui pro noſtra ſalute per virginem naſci dignatus es miſerere nobis. III. Tu autem dñe qui hodierna die pro ſalute humani generis in carne manifeſtari voluiſti miſerere &c." Extat adhuc inter Mſſ. *ſan-Gallenſia* autographus codex, quem inſcribit IOANNI *diacono monacho ſancti* MAXIMINI *poſt eius Cænobii abbati* EKKARDUS *presbyter indignus & ultimus ſancti Galli monachus*, continetque benedictiones ſuper lectores per circulum anni, *De adventu dni In primo nocturno:* Sancta prophetiæ benedicat vox ISAIÆ. & ſic porro.

Mox in iisdem actis *Murenſibus* notantur *Item duo pœnitentiales*, atque in ſermone ſynodali, qui ex codice mſc. monaſterii *Neresheimenſis* in editione conc. *Veneta* ad an. 1009. refertur, ſacerdoti cuique præcipitur, *ut martyrologium & pœnitentiale habeat.* De tali iam diximus, qui in antiquiſſimo *ſacramentario Rhenaugienſi* reperitur. Separatum habemus inter MSS. *ſan-Blaſiana*, qui convenit edito Halitgarii apud Morinum in *app. de Pœnit.* & apud Canisium & Menardum. Ubi ſub nomine *Pœnitentialis Romani* venit, ſed fuit varius vel maxime, & confuſus, ut in epiſtola Ebbonis ad Halitgarium notatur, noſque experti ſumus noſtrum cum aliis conferendo. Subditur *pœnitentiale* Rhabani in noſtro codice. In antiquo codice *ſan-Gallenſi*, quo habetur *pœnitentiale Rhabani* Mauri, extant etiam fragmenta quædam aliorum *pœnitentialium*, nempe Vinniani & Cumeani, abbatis Scotti, unde editus extat T. XII. Bibliothecæ PP. cum S. Columbani duobus ſimilibus minus diffuſis. In pervetuſto codice *S. Galli* præfatiuncula habetur, quæ ſolebat ſupplementi loco regulæ S. Benedicti aliquando ſubiungi, ad definiendos variarum pœnitentiarum modos in iis maxime, quæ a S. Columbano eiusque diſcipulis inſtituta fuerant; ut Mabillonius notat in obſervationibus variis ex mſs. codicibus *Germanicis.* In pœnitentiarum tamen menſura ad ſanctorum Patrum ſtatuta provocat: *Menſuræ noſcendæ ſunt pœnitentiæ, quarum ſic ordo a ſanctis traditur Patribus.* Cumeanus frequenter citat concilia & decreta pontificum: in cuius pœnitentiali ſæpe ipſa verba etiam pœnitentialis S. Columbani occurrunt, atque in Mſc. *S. Galli* prima pars *Pœnitentialis* eadem eſt S. Cumeani. S. Columbani pœnitentiale etiam regula fratrum *Hybernenſium* inſcribitur in Mſc. veteri bibliothecæ noſtræ & alibi.

pag. 1075. ſeq. — *pag. 6.* — *T. II. P. II. p. 121. ſeq.* — *T. III. App. S. Greg. pag. 462.* — *Analect. pag. 19.* — *Pœnit. c. 1.*

Officiales libri, breviaria &c.

IX. In concilio *Toletano* IV. c. 26. libellus *officialis* notatur: „Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum *officialem* a ſacerdote ſuo accipiant, ut ad eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant; ne per ignorantiam etiam divinis ſacramentis offendant.“ Ad quem obſervat *Garſias* Loaisa: „*Sacramentorum* manuale nunc appellatur; & in eo etiam decreta Patrum de *ſacramentorum* uſu, & ritibus contineri apparet ex concil. *Mogunt.* cap. 22. ubi de libro officiorum fit mentio, & duæ regulæ ex eo de clericis vagis adducuntur.“ Concilio *Toletano* octavo vocatur ſupplementum. Librum *officialem*, qui nos attineat, habes apud Thomasium in appendice tomi quarti p. 342. ex codice *ſan-Gallenſi.* Quam huiusmodi libros ad ſuum inſtitutum accommodos exiſtimaverit, ex epiſtola tertia, & quarta ad P. *Hermannum*

Can. 8.

Digitized by Google

num Shenk bibliothecarium *ſan-Gallenſem* eidem tomo cum aliis inſertis, colligere licet.

Provocat Amalarius ad libellum ſuum *officialem* in prologo de ordine antiphonarii: „Scripſi olim in libello, qui vocatur *officialis* de tempore ſeptuageſimæ, & de myſterio eiusdem numeri, & de cæteris officiis, quæ aguntur in eccleſia per annum, ſive ſint nocturnalia; nunc dicturus Deo miſerante de ordine antiphonarii, cupio ſummatim aliquid ſcribere, quaſi quoddam manuale, de ſolis nocturnalibus officiis, & de his, quæ vocantur vulgo curſus.“

Omnia hæc eodem redeunt, ad officium nimirum, quod canonicum vocatur, ſeu curſum nocturnum, diurnumque. Citat Gregorius *Turonenſis* librum e ſuis unum *de curſibus eccleſiaſticis*, extatque alius eius generis apud Spelmannum *de curſuum eccleſiaſticorum origine:* in quo de variis officii canonici generibus, tam in oriente quam occidente, apud clericos & monachos agitur. Hucque referendum, quod B. Walaricum curſum tam monaſterialem quam *Gallicanum* magno ſtudio indeſinenter celebraſſe, qui contemporaneus vitam illius ſcripſit apud Surium, teſtatur, refertque *Fr.* Pithoeus in notis ad libros capitularium. Libri huc ſpectantes hinc vocantur *Curſarii*, veluti in actis *Murenſibus* apud P. Herrgottum: *Lectionarius autem vetuſtus* *Geneal. dipl.*
& curſarius antiquior (al. antiquorum) *& liber regulæ venerunt de* *T. I. pag.*
cella S. Meginardi. Et poſtea: *Sunt etiam duo curſinarii, & tres be-* *303.*
nedictionales. *pag. 316.*

Huc pertinet liber *Reſponſalis*, ſeu antiphonarius, de quo iam diximus: in quo curſus eccleſiaſticus tam pro nocturnis, quam diurnis horis in ordinem digeſtus eſt eodem modo, quo in codice *ſan-Gallenſi* habetur, qui a Thomasio eſt editus, atque paſſim etiam alias *officialis* eſt vocatus. Complectitur autem varias divini officii particulas etiam a reſponſoriis & antiphonis diſtinctas; ut adeo generalior hæc ſit appellatio, atque etiam uſus, prout in veteribus Mſs. reperi, grandibus plerumque, ac pluribus voluminibus. In cod. ſæc. XII. *Einſidlenſi* ſimilem librum ad officium diurnum cum eodem titulo inveni. „Incipit liber officialis per circulum anni. Capitula de adventu Domini. *Venite aſcendamus &c. Deus pacis &c.* alia *Erit in noviſſimis diebus &c.*“ Notantur ſic ad laudes & per horas diei, de dominicis, diebus etiam ferialibus, & de feſtis per annum capitula. Poſtea ſequuntur lectiones breves ad horas, etiam Completorium, ac diebus privatis *ad nocturn. & ad curſus diurnos.* Poſtea *Incipiunt orationes de adventu Domini &c. de feſtis, dominicis, feriis ſeu cottidianis diebus. Ad curſus quando*

volueris. Maiori plerumque numero. Pro ſuffragiis etiam. Tum aliæ preces. Et ſic in plurimis Mſs. hæc diſtincta reperi, vario ordine. In cod. *Rhenaugienſi* ſæc. X. etiam ſub S. Gregorii nomine notatur liber eiusmodi *officialis*: „In nomine Domini incipit liber officiorum expoſitus a S. Gregorio papa de feſtis diebus vel dominicis ſeu Cottidianis de circulo anni. *Incipit ab orationibus.* Deinde: Incipiunt lectiones ſuper diverſos curſus per circulum anni.“ Antecedit in eodem codice peculiaris liber hymnorum cum titulo: *In nomine Domini incipit liber hymnorum per circulum anni in dominicis, feſtis, ſive in natali ſanctorum.* In catalogo Reginberti *Augienſis* ſæc. IX. plures notantur eiusmodi libri: lib. 27. „hymni ad diverſ... tam dominicis, quam privatis diebus, & hymni feſtis diebus per circulum anni, & lectiones memoriter recitandæ. lib. 37. habentur excerptiones de corpore pſalmorum factæ cum hymnis & lectionibus, reſponſoriis, verſibus per anni circulum, ac diverſis orationibus. lib. 39. Liber pſalmorum cum capitulis, Præfationibus ac capitulis. Et in fine eiusdem hymni diverſi per diverſas feſtivitates, ac privatis diebus, & nonnulla alia.“ In ſimili codice *Rhenaug.* poſt pſalterium: *Incipiunt hymni* S. Ambrosii, *quos* S. Benedictus *in diverſas horas canendos ordinavit.* In aliis hæc ſimul collecta habentur, qualis in eadem *Rhenaugienſi* bibliotheca inſcribitur liber hymnorum, canticorum, lectionum brevium, & orationum *per annum.*

Cum paſſim hæc in veteribus codicibus aut ſeorſim, aut in iisdem codd. diſtinctim perſcripta reperiantur, nuſpiam tamen verſiculos illos, ac reſponſoria brevia, per curſum canonicum ſparſa, collecta comperimus, neque etiam V. Thomasius: hinc ipſe ex Amalario potiſſimum, & Honorio *Auguſtodunenſi* conquiſita edidit T. IV. opp. p. 346. ſolertiſſimus auctor, imprimis etiam in hymnario, quod poſt pſalterium & cantica editum extat T. II. p. 351. ed. opp., vel eo etiam nomine ſumme æſtimando labore & ſtudio, quod hymnos quosdam S. Ambrosio aſſeruerit, reſtitueritque, qui diligentiam editorum ex congreg. S. *Mauri* fugerunt. Ex duobus ſpiſſis voluminibus bibliotheca *ſan-Gallenſis* ſæc. circiter X. primum officii divini ſemeſtre hoc ordine continet: *In nomine Domini incipit martyrologium per circulum anni.* Nos calendarium vocaremus, quo etiam natales confeſſorum magnam partem *Alemannorum* notantur. Poſt epacta *incipiunt hymni per adventum Dñi.* Initio etiam notæ muſicæ appinguntur. Poſtea *Incipiunt lectiones nocturnales per circulum anni. Dominica quarta ante natale Domini.* Lectiones autem ſunt ex ſcriptura, & homiliæ SS. Patrum in evangelia,

quæ

quæ concurrunt. Antiphonarium quod ſequitur, incipit quidem in natali ſancti Nicolai epiſcopi ad veſperas, totum cum notis muſicis etiam per integrum nocturnum officium; ſed illud præter ordinem eſſe appoſitum, argumento eſt metrum elegiacum, quod poſtea legitur ante officium Dom. I. de adventu Domini. Carmen iſtud iam Thomasius ex eodem codice edidit cum antiphonario integro, poſt cuius partem ſemeſtrem primam *Incipiunt lectiones de adventu Domini.* Poſtea *Incipiunt orationes de adventu Domini &c.* Preces ad Primam iuxta *Romanum* curſum. Ad alias horas, orat. ad veſperas in quadrageſima. Deinde ad Primam iuxta curſum monachorum, ad Completorium. Demum officium defunctorum.

Nullum vero pleniorem inveni in antiquis codicibus, quam in eadem bibliotheca quemdam ſæc. XIII. ubi primo occurrit pſalterium cum canticis communibus, deinde hymni copioſi per ordinem, cantica tertii nocturni, capitula per officium, orationes, lectiones, ac demum antiphonæ, reſponſoria &c. cum notis muſicis. Quod propius accedit libris noſtris, quos breviaria vocamus; cuiusmodi vix in bibliotheca ulla MS. deſunt, cum fuerint quotidiani uſus ſingularum clericalium, ac monaſticarum congregationum.

Sed in omnibus manuſcriptis adhuc eum deſideres ordinem, qui nunc in impreſſis reperitur, ut, quam copia rubricarum diſtractionibus animi pandit portam, ea apertior ampliorque fuerit, attentione abrepta ex tot libris; etſi id etiamnum haud abs re cauſari liceat in ordine breviarii. Dum diſtincti erant olim libri, nonnullis ex capitibus minus impedite officium divinum potuit fieri, quam in breviariis hodiernis, in quibus tamen inſtaurandis multum a multis fuit laboratum, incumbente ea cura prælatis eccleſiaſticis. Iuvat hic adſcribere, quæ in breviario *Conſtantienſi* an. 1509. ſub Hugone de *Landenberg* habentur. „Cum iuxta maiorum decreta ſedes, quæ uniuscuiusque ſacerdotalis dignitatis mater eſt, ſit eccleſiaſticæ magiſtra rationis: ſiquidem nos Hugo Dei & apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus *Conſtantienſis* ex noſtra paſtorali cura atque providentia ob Dei omnipotentis laudem & ſubditorum noſtrorum ſalutem clerum nobis creditum in perſolvendis horis canonicis ad unitatem & concordiam reducere cupientes, libellos, quos breviaria vocant, per quosdam clericos honeſtos, & exercitatos ad hoc, per nos ſpecialiter deputatos diligenter ac laborioſe bene correctos, & in erratis emendatos (quibus præfatus noſter clerus ſecure uti poſſit, & valeat) per circumſpectum virum *Erhardum* Ratdolt civem *Auguſtenſem* calcographum accuratiſſimum, cum curſus

Virginis MARIÆ intemeratæ & vigiliarum mortuorum additione denuo imprimi voluimus & iuſſimus. Atque in huius rei & noſtræ auctoritatis teſtimonium in fronte cuiuslibet harum litterarum ſeriem unacum armis noſtris depingi curavimus."

Pſalterium. X. Pſalterio peculiarem locum tribuimus, quod inter libros officiales frequentiſſime ornatiſſimeque ſcriptum manus ac oculos ſubiit, dum perquirendis antiquis monumentis liturgicis diſtenderemur. Quod etiam memoriter tenendum fuit, ut ex S. GREGORII pluribus epiſtolis, aliisque documentis antiquis, & canonibus eccleſiaſticis diſcimus, unde in regula Cap. 57. MAGISTRI *pſalteratus* doctus in hac re dicitur, quod tamen etiam pertinet ad diſcrimen in litteris peritorum ab imperitis. In BURCHARDI commonitione ad ſacerdotes pſalterium primo loco occurrit: *Nunc ergo o fratres, qui voluerit ſacerdotis nomen habere, imprimis propter Deum cogitet, ut diſcat ea, quæ neceſſaria ſunt . . . id eſt pſalterium, lectionarium cum evangeliis Sacramentorum librum &c.*

A perpetuo illius uſu, atque memoria haud dubie eſt, quod cum ubique locorum in celebrandis divinis officiis *Romanus* ordo invaluerit, in *Galliæ* tamen non tantum, ſed aliarum paſſim nationum eccleſiis antiquum pſalterium ex ſecunda reformatione S. HIERONYMI fuerit conſervatum, quod a *Romano* in multis differt. Vulgavit Ven. THOMASIUS Pſalterium iuxta duplicem editionem, quam *Romanam* dicunt, & *Gallicam*, cum canticis ex duplici item editione, quæ unaque hymnarium atque orationale tomum ſecundum conficiunt in operum editione, a P. *Ant. Franc.* VEZZOSI curata, qui in præfatione pluribus agit de editione *Thomaſiana Romani* Pſalterii (iuxta editionem primum ab HOLSTENIO adornatam) ac *Gallicani*, contra VALLARSII ad *Gallicani* Pſalterii adnotationes in editione nova operum S. HIERONYMI, a quo utramque factam ad LXX. interpretes correctamque, THOMASIUS in ſua præfatione monuit: ita ut *Romana* dicatur, quæ a S. Doctore *Romæ* iuſſu DAMASI curata eſt, altera vero in *Bethlehem*, PAULA matrona, & EUSTOCHIO virgine eius filia inſtantibus: utraque in eccleſiis frequentata. Pſalterii *Thomaſiani* proſtat etiam editio in *Alemannia* noſtra an. 1727. agente Domino PASSIONEI apud *Helvetos* nuncio apoſtolico.

Pſalterii *Gallicani* meminit HONORIUS in prologo enarrationis pſalmorum, *Walafrid.* STRABO cap. 25. de rebus eccleſiaſticis, & RADULPHUS *Tungrenſis* de canonum obſerv. prop. 8. ac RODERICUS *Toletanus* archiepiſcopus lib. VI. c. 26. de eiusdem uſu in *Hiſpaniis* recepto loquitur, tempore quidem GREGORII VII. Operæ pretium foret quoad

Germa-

Digitized by Google

Germaniam noſtram celebre cumprimis pſalterium diſcutere, quod S. Ruperto primo in uſu fuiſſe dicitur, *Salisburgenſi* epiſcopo ac abbati *S. Petri*, quo in monaſterio adhuc oſtenditur in codicillo minutiſſimis litteris perſcripto, tum alia etiam eius ævi, quo adhuc *Germania*, adeoque *Alemannia* noſtra regno *Francico* coniuncta fuit: cuiusmodi pſalteria adhuc habentur in bibliothecis, cum ſignis quandoque Origenis ÷ ※ — Cantica ſolent ſubdi cum ſymbolo, quod Athanasio tribuitur, atque ſymbolum apoſtolorum, & oratio dominica paſſim in eiusmodi pſalteriis habentur. *Rhenaugienſe* inſcriptum eſt. *Incipit corpus Chriſti Saphariacum, id eſt liber carminum.* Ubi poſt pſalterium ſequuntur hymni: quæ ut mox vidimus, non raro iungi ſolebant, cum alias diſtincti eſſent libri, de quibus modo egimus, *officiales.*

Plures Lambecius in bibliotheca cæſarea notat pſalterii codices, inter alios autem cumprimis Otfridi monachi *Weiſſenburgenſis* in quarto, ut vocant, maiori, antiqua *Theotiſca* paraphraſi proſaica ſingulis cuiusque pſalmi latinis verſiculis ſubiecta. Quod potuit eſſe uſui etiam ſacro ad faciliorem intelligentiam, hodieque opportunum foret in lingua *Germanica*, aliisque vernaculis pro pſallentium monialium uſu.

XI. Idem de lectionibus dici poteſt, quæ ſunt ad inſtruendos commovendosque audientes, in officio divino non ſolum ex utriusque teſtamenti paginis, verum etiam ſcriptis SS. Patrum ſermonibus, ſeu homiliis, vitis ac paſſionibus præſertim Chriſti martyrum, de quibus iam locuti ſumus. Singularis vero fuit in hac re cautio *Romanæ* eccleſiæ, de qua in Concilio *Romano* Gelasius P. „ Geſta ſanctorum martyrum ſecundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta *Romana* eccleſia non leguntur: quia eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis ſuperflua, & minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur.“ In primorum pontificum geſtis hoc ſæpe laudatur ſtudium, ac notariorum inſtitutio per regiones urbis *Romæ*, qui geſta martyrum colligerent. Sed nihil de illis certi & aſſerti habetur: cuiusmodi eſt *Smyrnenſis* eccleſiæ epiſtola de martyribus ibi ſub *Marco* Aurelio; *Viennenſis* item ac *Lugdunenſis* eccleſiæ, nec non Dionysii *Alexandrini* epiſtolæ, quæ omnia apud Eusebium habentur cum aliis eodem pertinentibus. Apud S. Cyprianum imprimis Tertulli hac in re laudatur diligentia, & ipſius S. Cypriani in eadem re eluceſcit induſtria. Pontius S. Cypriani *diaconus* ſcriptorque eiusdem martyrii a maioribus id acceptum perhibet. Quod ex Tertulliano colligitur: *Habes tuos cenſus, tuos faſtos.* Ex laudata S. Cypriani epi-

Acta Martyrum, ac faſti.

Epiſt. 12.

De Corona militum. cap. 13.

epiſtola illuſtratur his verbis: *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus.* Idem ex eiusdem epiſtola 12. conſtat, omnes per ordinem, uti celebrari debebant, in faſtis deſcriptos fuiſſe, ut eorum commemoratio annua fieret.

Origo martyrologiorum & Calendariorum. *De diptychis veterum. c. 13.*

XII. Sunt hi faſtorum eccleſiæ ſeu calendariorum ac martyrologiorum natales. Eorum primam originem ex diptychis (ſeu tabulis, ex quibus nomina intra miſſarum ſolemnia legebantur) late deducit *Chriſtianus Aug.* SALIG, poſt RENAUDOTIUM commentar. ad liturg. *Coptic.* & *Franc. Mariam* FLORENTINIUM *admonit. II. præv. ad martyrologium occident.* quos citat etiam *Sebaſt.* DONATI lib. I. *de' dittici degli antichi profani e ſacri cap.* 18. *dell' origine de' Calendari, de' martirologi e delle canonizzazioni da' Dittici.* Ex diptychis multis Kalendarium, ex Kalendariis multis martyrologium compoſitum fuiſſe putat laudatus SALIG, differre autem a Kalendario martyrologium, quod hoc loca oppidorum non unius provinciæ aut regionis, ſed totius chriſtiani orbis apponat. Mihi vero potius diſcrimen, quod FLORENTINIUS apud eundem ſtatuit, probatur. „Martyrologii codex (inquit) nomenclator erat, in quo nomen locus & dies paſſionis notabatur, ut martyrum nomina in ſacrificio miſſæ recitarentur, vel ut litaniæ fierent. Indiculus vero ſeu Kalendarium ferias in honorem vel Dei vel ſanctorum tantummodo indicabat, & in magnis urbibus, ut *Romana* erat eccleſia, in quibus conventus vel ſtationes fierent, præſignabat, qui aut in ſacrifico miſſæ aut divinis officiis recitabatur.

Admonit. V. Præv. ad martyrol. occident.

Martyrologia Alemannica.

XIII. Sunt antiquiſſima martyrologia, quæ medium quoddam tenent. Cuiusmodi mancum illud quidem in antiquiſſimo *Rhenaugienſi ſacramentario*, quod edimus, ad calcem habetur *Martyrologium circuli anni*, ſimpliciſſimum, atque ad primævum inſtitutum exaratum, ut per ordinem conſcriberentur, quo eorum anniverſaria commemoratio celebrabatur. Cumque feſta ſanctorum non agerentur ſingulis diebus, hinc nec in noſtro martyrologio ſingulis notantur diebus. Non adeo copioſa ſunt feſta in recentiori eiusmodi martyrologio *ſan-Gallenſi*, paullo ante citato, ex quibus multa ſunt nationalia *Germaniæ*, *Alemanniæ*que, propria item monaſterio *S. Galli*, & ordini S. BENEDICTI. Nec tamen etiam, ut eſt calendariorum miſſalium mos, illi ſolum ſancti occurrunt, qui in ipſo *ſacramentario* vel antiphonario officium habent.

Imo

Digitized by Google

Imo quod maxime obſervandum, habentur in *ſacramentario Rhenaugienſi*, ad cuius calcem reponitur hoc martyrologium, multi feſti dies, qui in martyrologio non notantur, ac etiam non raro differunt. Sic VI. Kal. *Ianuarii* in martyrologio *Rhenaugienſi* notatur *natalis Ioh. Apoſtoli & Iacobi Alfei fratrum Domini*, cum ad eum diem in *ſacramentario* ſolum feſtum S. IOANNIS Ap. & Ev. occurrat, & VIII. Kal. *Aug.* nat. S. IACOBI, uti hodieque celebratur. Præter martyres autem alii etiam ſancti ex *Italia*, *Gallia*, *Britania*, ac *Belgio* recenſentur, quos inter III. Kal. *Febr.* B. ALDEGUNDÆ V., & translatio S. GERDRUDÆ virg. in *Nivialcha* IV. Id. *Febr.* MABILLONIUS obitum S. GERTRUDIS ad an. 658, S. ALDEGUNDIS autem ad an. 684. reponit, quæ eſt ex omnibus in hoc martyrologio notatis ſanctis recentior. Vid. MABILLON. T. I. ann. Bened. & ſequente menſe *Martio* XVI. Kal. *April.* PATRICII epiſcopi, & S. GEREDRUDE virg. Apud *Bollandiſtas* ad diem 17. *Martii* S. PATRICIUS & S. GERTHRUDIS *Nivellenſis* ſeu de *Nivialcha* ſimul ponuntur. Et V. Kal. *Martii* KYRIANI *ſacerdotis & Mart. in Nivialcha.* S. KIERANUS ad hunc diem habetur apud *Bolland.* T. I. *Martii* p. 389. *Hiberniæ* cum S. PATRICIO apoſtolus. Codex Mſc. *Altempſianus*, USUARDUM continens *Britannicarum* inſularum patronis auctum, hoc ipſo die S. KYRIANUM habet, corrupto nonnihil a librariis nomine, aiunt *Bollandiſtæ* p. 392. ſequente menſe *Martio* XVI. Kal. *April.* PATRICII epiſcopi *Hiberniæ* apoſtoli. Ex *Scotia* ſimiliter S. BRIGITÆ feſtum Kal. *Febr.* Eam ſe baptizaſſe S. PATRICIUS in ſua confeſſione apud MARESHAMUM in præfat. monaſtici *Anglicani* gloriatur: „Filii *Scottorum* (inquit) & filiæ regulorum monachi & virgines eſſe videntur: & etiam una Benedicta *Scotta*, genitiva nobilis, quam ego baptizavi.“ Confeſſionem illam non procul a beata morte ſua fecit, quam ſæculo V. adoleſcente, incertum, quo præciſe anno, oppetiit. Ex *Gallia* plures notantur natales ſanctorum GENOVEFÆ, HILARII, REMEDII, VEDASTI, & AMANDI. (qui ex his iunior obiit in monaſterio Elnanenſi an. 679.) GERMANI, MEDARDI, ANIANI, diſcipuli S. MAURI. Deeſt reliqua a medio *Iulio* pars, adeoque S. LEODEGARII memoria, cuius feſtum in *ſacramentario* habetur. Legitur vero etiam in martyrologio & quidem IV. Non. Iul. *In Galliis* S. MARTINI *epiſc.* Quo nimirum die celebratur TURONIS ordinatio & translatio & dedicatio S. MARTINI, ut habetur in martyrologio *Morbacenſis* monaſterii a MARTENIO edito. In *Richenaug.* in append. T. VI. menſis *Iunii* ſimiliter notatur ordinatio & translatio S. MARTINI ep.

T. I. Annal. p. 746 & 570.

Habentur in eodem append. duo alia martyrologia, quæ ad *Alemanniam* ſpectant *Rhenaugienſe*, & *Auguſtanum*. Invenique præſertim

poſterius hoc ſæpius cum noſtro congruere, prout patebit conferenti noſtrum cum his *Alemannicis* martyrologiis, ac inſuper cum *Romano* ab *Herib.* ROSWEIDO edito, extatque etiam T. XVI. Bibl. PP. p. 812. ſed illa pleniora ſunt, ſingulisque diebus aſſignant ſuos ſanctos, paucos licet, ac ſæpe etiam unum tantum, uti habet noſtrum, ac antiquiſſimum *Romanum* a ROSWEIDO editum. Hoc licet ſingulis diebus, paucis exceptis, aſſignet Sanctum unum, duos etiam vel tres, nihil tamen etiam, quam nomen habet.

Lib. VII. ep. 29. vet. ed. Quod congruit iis, quæ S. GREGORIUS ad EULOGIUM epiſc. *Alexandr.* ſcribit. „Nos pene omnium martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione miſſarum ſolemnia agimus: non tamen in eorum volumine, quis qualiter ſit paſſus indicatur: ſed tantummodo locus & dies paſſionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diverſis terris atque provinciis per dies (ut prædixi) ſingulos cognoſcantur martyrio coronati. Sed hæc habere beatiſſimos prædicamus.“ Ubi obſerva uſum ac finem, quotidianis diebus in eorum veneratione ſolemnia agendi, cui alius acceſſit deinceps, quem etiam ſubindicare S. GREGORIUS videtur, factumque eſt, ut plures uno die ſancti conſcriberentur, atque eorum geſta insererentur, quale etiam *Romæ* receptum fuiſſe USUARDI martyrologium, ex antiquis editionibus conſtat, idemque paſſim in noſtra *Alemannia* ex Mſs. collegi, & apud nos inſignis extat codex. Specimen eius rei aliquod in noſtro antiquiſſimo *ſacramentario* habet *Breviarium apoſtolorum ex nomine vel locis, ubi prædicaverunt, orti vel obiti ſunt*, quod præmittitur ipſi martyrologio, pariter ac antiquiſſimo, quod S. HIERONYMO tribuitur, editumque
T. III. 1547. etiam a MARTENIO ex Mſc. monaſterii *Antiſiodorenſis* ab annis circiter mille. Convenit in utroque titulus cum noſtro, etiam in breviario apoſtolorum. a) Ipſum

a

a) In antiquiſſimo codice *Fuldenſi* paullo ante citato ex SCHANNATI *Vindem. litter. coll. I. p.* 218. poſt libros ſacros N. T. ſub titulo: *Quibus locis apoſtoli iaceant*, deſignantur urbes, in quibus non apoſtolorum tantum, ſed & evangeliſtarum aliorumque Sanctorum corpora in veneratione ſæc. VI. habebantur. Notat paullo poſt alterum S. BONIFACII codicem idem ibid. p. 224. in quo eadem notitia paullulum a priori diverſa habetur. Utraque autem differt quoad locorum deſignationem ab iis, quæ S. GREGORIUS lib. I. hom. 17. in evangelia T. I. pag. 1504. opp. edit. *ſan-Mauriana* de nonnullis ſaltem apoſtolis enarrat: de extremi quippe iudicii conventu ſermocinatus: „Ibi (inquit) PETRUS cum *Iudæa* converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi PAULUS converſum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi ANDREAS poſt ſe *Achaiam*, ibi IOHANNES *Aſiam*, THOMAS *Indiam* in conſpectum ſui regis converſam ducet.“ Conicere ex hac diverſitate licet, breviarium apo-

Ipſum martyrologium ſuis diebus Sanctos deſignat paucos quidem, ac per nomina tantum & loca. Qualia etiam ſunt *ſan-Gallenſe*, quod memorat Bollandus, præter laudata *Rhenaugienſe*, *Richenaugienſe*, *Auguſtanum S. Udalrici*, quæ ibidem edita ſunt cum aliis ſimilibus. Hæc autem, quæ notavimus, noſtræ *Alemanniæ* ſunt, veluti etiam *Murbacenſe* mox laudatum, ac Notkeri *Balbuli* cum *Rhabaniano*, a Canisio editum, ſed id generis, quo etiam geſta recenſentur. Ipſum porro *Rhabani* Mauri martyrologium ex Mſc. *ſan-Gallenſi* deprompſit Canisius, pœnitentiale vero eiusdem *Rhabani* ex Mſc. *Weingartenſi*. Acceſſit in edit. Basnag. an. 1725. martyrologio Rhabani *reſponſoria ad* Radleicum a Mabillonio primum in analectis in lucem protracta. Proſtant autem hæc T. II. P. II. p. 314. antiq. lect. Notkeri autem T. II. P. III. p. 89. quod ut plurimum cum Adonis *Viennenſis* martyrologio convenit. Edidit etiam Canisius poſt *Adam.* Walasserum martyrologium *Germanicum*, hic *Dilingæ* an. 1562. ille *Auguſtæ Vindel.* an. 1573. Vetuſtiſſimum eſt, quod cum commentario imprimi fecit ibidem an. 1687. M. *Frider.* Beckius. Quo propius vero martyrologia ad ſimplicitatem diptychorum, in quorum vicem legi cœperunt, accedunt, eo ſunt antiquiora. *T. VI. Iunii app. p. 111.*

XIV. Parvorum martyrologiorum vices ſubiiſſe calendaria, obſervavit Florentinius, qui ad calcem martyrologii *Hieronymiani* calendarium ex pervetuſtis *Lucenſibus* membranis dedit. Quod pariter vice verſa dici poteſt. Fuitque una eademque martyrologiorum ac calendariorum origo; horum autem antiquiora, quam martyrologiorum proſtant exempla. Antiquiſſimum habetur a Bucherio editum, & a Ruinarto recuſum ad calcem Act. primorum martyrum Select. ſub Liberio pontifice *Romæ* concinnatum, ſæculo IV. mediante. Ad idem ſæculum ſuum refert Martenius, aut ſaltem ad initium ſæculi V. in hoc *Bucheriano* præferendum, quod etiam ſtationes aſſignet antiquas, ac ſuum ſingulis per anni circulum diebus legendum evangelium repræſentet. Huic ſimile eſt, quod cum doctiſſimis notis Fronto edidit ex mſc. codice S. Genovefæ, ubi erat Canonicus, litteris aureis ante annos 900. ſcripto. Sed adhuc antiquius iſto

Calendaria. *pag. 1049.* *T. V. Ampl. coll. p. 66.*

ſtolorum, quod inter monumenta liturgica paſſim legitur ad *ſacramentarium*, prout eſt a S. Gregorio digeſtum, non pertinere. Noſtrum antiquiſſimo *ſacramentario Rhenaugienſi* annexum breviter narrat, quibus in locis ac regionibus fidem annunciarint apoſtoli, mortem oppetierint, & ſepulti ſint. Id præmittitur etiam in *Lucenſi*, quod vulgatum eſt a Florentinio, & *Gelonenſi*, quod Dacherius edidit martyrologium *T. II. Spicil. p.* 25. collatum cum *San-Remigiano*, *San.Gallenſi* & aliis duobus. Addit item martyrologium Wandalberti diaconi & monachi *Prumienſis* ſæculi IX.

Digitized by Google

iſto eſt, atque ad ſæculum quintum refertur a RUINARTO p. XVII. præf. Act. ſinc. quod MABILLONIUS edidit in Analectis cum notis p. 163. ſeq. ex codice, cuius ſcriptura *Romana* eſt, litteris maiuſculis exarata, ſæculo ſeptimo non inferior, cum titulo: *Hic continentur dies nataliciorum martyrum, & depoſitiones epiſcoporum, quos eccleſia Carthagenis anniverſaria celebrat.* Unde *Africanum* appellavit MABILLONIUS, cum tamen præter AUGUSTINUM ubique celeberrimum, ut obſervavit iam RUINARTUS, & paucos martyres epiſcopos illuſtriores nullus in eo Calendario ex aliis eccleſiis etiam *Africanis* epiſcopus memoretur: nec etiam aliquot eccleſiæ *Hipponenſis* feſtivitates ab AUGUSTINO memoratæ in iſto Calendario inveniantur.

Nimirum eiusmodi Calendaria ad uſum eccleſiarum, quibus deſtinata erant, fuerunt accommodata. Quod etiam patet ex eo Calendario, quod nos edimus ex mſc. codice, *ſacramentario Petersbuſano*, quod *ſan-Blaſiano* coævum eſt ac ſimillimum, ſed *ſan-Blaſianum* nullum præfixum habet calendarium. In iſto calendario VI. Cal. *Septembris* litteris maiuſculis notatur feſtum GEBHARDI epiſcopi & Confeſſoris, *Conſtantienſis* nimirum hoc nomine ſecundi, fundatoris dicti monaſterii, qui ad finem ſæculi decimi epiſcopus *Conſtantienſis* fuit, atque ipſi *ſacramentarium* hoc iam familiare fuit: traditum quoque acceperunt *Petersbuſani*, ipſius manu in eo deſcriptum eſſe fundationis inſtrumentum. Multo igitur vetuſtiori manu ſcriptum eſt ipſum *ſacramentarium*, quam calendarium, quod non ſolum ex GEBHARDI feſto, ſed aliis etiam *Alemannicis* SENESII, THEOPOMPI, S. VERENÆ, PIRMINII, quo pertinuerit, indicium præbet. Notatur porro XI. Kal. *Iunii dedicatio oratorii ſancti Marci*, quod ad vicinum *Augienſe* monaſterium ſpectat.

T. II. Bibl. Cæſ. p. 299. Promiſerat LAMBECIUS ex *ſacramentario* S. GREGORII, cuius ſæpe meminimus, quodque ad *Augienſe* monaſterium pertinuit, Kalendarium eccleſiaſticum edere. *Weingartenſes* oſtentant duo calendaria miſſalia, a regina *Angliæ* donata. Paſſim inter manuſcripta *Alemanniæ*, præſertim in libris liturgicis, occurrunt calendaria vetuſta miſſalibus accommodata, ac etiam alia lingua *Teutonica*, cuiusmodi apud SCHILTERUM habetur ſæculi XIII. *T. I. antiq. Teuton. ad calcem pag. 70. a Scherzio add.* Multo vetuſtius eſt, quod ſub nomine martyrologii *Germanici* cum commentario edidit *Auguſtæ* 1687. *Fridericus* BECKIUS.

Necrologia.

XV. Calendarium illud, ſeu martyrologium *Augienſe*, cuius modo ex LAMBECIO meminimus, id ſingulare habet, quod feſta paſſim verſibus, uti in martyrologio *Dacheriano* V. BEDÆ, notantur; ac vices etiam necrologii pro more ſubiit ad conſervandam nimirum memoriam

moriam fundatorum, & benefactorum principum, epiſcoporum, abbatum, fratrum confœderatorum, ac familiarium ordinis, quorum nomina potiora calendariis inſcribebantur. „In monaſteriis (inquit Card. Bona) viguit olim hic mos, & in plerisque adhuc manet, ut mitterent ſibi invicem fratrum, amicorum, & benefactorum nomina, ut diptychis inſcriberentur.“ Eandem necrologiorum originem ex uſu diptychorum agnoſcit Mabillonius. „Diptychorum (inquit) exemplo inventum eſt apud monachos necrologium ſeu liber pro mortuis, in quo adſcripta ſunt nomina fratrum cuiusque loci ac benefactorum, eorumque, qui ex condicto in ſocietatem ſuffragiorum admiſſi erant. Hi ex nomine, quo quisque die obierat, recitabantur poſt martyrologium & regulæ lectionem ad Primam; tum ſolitæ preces pro eis fiebant. Hinc dicti *conſcripti in regula* ſeu *in martyrologio* aut *in libro vitæ*: apud ſanctum Gallum *fratres conſcripti* appellati; atque adeo in uno codice martyrologium, regula & necrologium ad commodum lectoris ſimul compacta erant. Mos iſte apud noſtros ab ineunte Ordine invaluit, id eſt, a ſæculo ſexto.“ Servantur adhuc ampli codices in utroque monaſterio *S. Galli* & *Augienſi* fratrum conſcriptorum, litteræ item ſocietatis *ſan-Gallenſes* inter & *Augienſes* monachos initæ: quales etiam *Augienſium* cum *ſan-Blaſianis* in Itinere *Alemannico* deſcripſimus unacum indice alphabetico monaſteriorum confœderatorum tum ex ampliore illo codice, cum ex rotulis etiam. Codex ille *Augienſis* ineunte ſæculo nono videtur ſcribi cœptus. Ad idem etiam ſæculum refertur Calendarium necrologicum *Augienſe*, etſi alicubi nota indicet annum 928. quandoquidem non una temporis ſerie conſcribi ſolebant, aucta pro opportunitate. Necrologium illud inter monumenta liturgica edere operæ pretium ducimus poſt *Sebaſt.* Donati, qui conſimile *Lucenſe* vulgavit ad calcem operis *de' dittici degli antichi.* Inter varia Necrologia a *Ioan. Frid.* Schannat in *Vindemiis litterariis* edita, primo ſtatim loco collectione prima legitur Necrologium eccleſiæ metropolitanæ *Moguntinæ*, tum *Laureshemenſis* monaſterii, *Mollenbecani* item, ac *Lucidæ vallis*, quæ ex parte ad noſtram *Alemanniam* pertinent: veluti etiam, quod collectione ſecunda cum aliis habetur Necrologium eccleſiæ collegiatæ *Wimpinenſis* in *Suevia*.

Lib. II. Rer. liturg. c. 14. n. 2.

Annal. Benedict. T. III. n. 52. p. 76.

Digitized by Google

CAPUT III.

De aliis Monumentis & Auctoribus ad Liturgiam Alemannicam facientibus.

I.

Libri peculiarium precum miſſæ, qualis ab ILLYRICO edita.

Præter illos vero libros, de quibus iam tractavimus, queis publicæ ac ſolemnes continentur liturgiæ, ſunt etiam minus ſolemnes & privatæ variis ritibus implicatæ. In liturgiis orientalibus, prout hodie extant ſucceſſu temporum variis modis interpolatæ, hæc frequentius ac manifeſtius deprehenduntur, unaque ſerie & contextu exhibentur, quæ in veteribus libris liturgicis occidentalibus per peculiares libellos ac tractatus ſunt expoſita. Celebratus Sacramentorum, ſeu de miſſæ officio ordo, qui ab editore iam miſſa ILLYRICI dicitur, varias & prolixas continet orationes privatas, a ſacerdote recitandas, dum interim chorus canendo occupatur ſolemni cumprimis ac magnifico apparatu inſtructa miſſa epiſcopali. Cætera vero ea omnia deſiderantur, quæ in libris Sacramentorum, ſeu miſſalibus, & antiphonariis ſeu gradalibus & lectionariis continentur: Introitus, Collectæ, epiſtolæ, gradualia, evangelia, offertoria, Præfationes cum ipſo Canone, niſi quæ ſub ipſo etiam Canone privatim fuerant dicenda iuxta hunc miſſæ ordinem.

T. II, Muſ. Ital. pag. CCXLVI.

Qui quidem cum *Romano* ritu ut plurimum convenit, & ad eius normam compoſitus eſt, ſed in ipſo tot ac tantarum privatarum precum numero & ordine ab eo abit, & in nonnullis etiam ritibus diſcrepat. „Neque (inquit MABILLONIUS commentario in ordinem *Romanum*) orationes illæ primo eccleſiæ *Romanæ* inſtituto conveniunt, imo in his nonnulla penitus adverſantur. Quale eſt id, quod ad Canonem legitur.“ Deinde cum ſumma reverentia incipiat, *Te igitur*, & miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent ipſos pſalmos uſque dum *Te igitur* abſolvatur. „Contra vero in noſtris libellis antiquioribus præſcribitur, ut, pontifice Canonem recitante, ſummum in choro teneatur ſilentium, & miniſtri perſtent inclinati & ſilentes per totum Canonem, ſubdiaconi uſque ad hæc verba, *Nobis quoque peccatoribus*. Adde, quod in illa miſſa præſcribitur

bitur initio verſus *Introibo*, cum pſalmo *Iudica*, qui apud antiquos in uſu non erant." Patebit ſuo loco, iſtud etiam fuiſſe privati uſus, antequam ſolemnem liturgiam ordiretur ſacerdos, ſicut aliæ preces in illo ordine de officio miſſæ, quo nimirum ipſi etiam ritus ac ceremoniæ explicantur. Quare huc illum retulimus, ubi de eiusmodi libris ritualibus agendum potiſſimum inſtituimus; in antiquiſſimis autem libris liturgicis deſiderantur.

II. Hoc vel ſolo iam vana redditur omnis illa contentio, qua tantam ei antiquitatem tribuerunt non ſolum heterodoxi cum illius editore *Flacco* ILLYRICO, verum etiam Catholici, ac noviſſime quidem auctor animadverſionum in regulas & uſum critices P. HONORATUS *a S. Maria*, *Carmelita diſcalceatus* ex provincia *Aquitaniæ*. Qui tamen propriis ſe confodiunt armis: ILLYRICUS enim, hanc in Occidente, præſertim in *Gallia*, & in *Germania*, antequam *Romanus* ordo admiſſus eſſet, uſui fuiſſe, opinari ſe dicit in epiſtola præliminari ad principem *Palatinum*. PEYRATUS vero tractatu *de iuribus regis Galliæ* ipſam pro antiqua *Gallicana* indubitanter agnovit, eidemque ſententiæ ſubſcripſit COINTIUS in Annalibus *Francorum*, qui ambo eam ad primam regum *Francorum* ſtirpem revocant. Quam ſententiam Cardinalis BONA ſolidis argumentis refutavit ex illis, quæ certo nobis de miſſa veteri *Gallicana* conſtant. Eaque MABILLONIUS firmat teſtimoniis ex S. GREGORIO *Turonenſi* & CÆSARIO adductis.

De eius antiquitate & uſu.

Lib. V. diſſ. III. art. 4.

Lib. II. c. 13. p. 561.

De Lit. Gall. lib. I. c. 5. p. 37. ſeq.

Atque inſuper confirmari poteſt univerſim ex toto proceſſu miſſæ ILLYRICI, quæ ordinem omnino *Romanum* ſequitur in orationibus & lectionibus. Idque ſecundum *ſacramentarium Gregorianum*, non vero *Gelaſianum*, in quo primum duæ ſaltem habentur orationes, uti etiam in antiquiſſimo noſtro *ſacramentario Rhenaugienſi*. Cum tamen in Miſſa ILLYRICI expreſſe una deſignetur his verbis: *Finita angelica laude, miſſalem dicat orationem ſacerdos, deinde lectio recitetur*. Convenit *Leoninum ſacramentarium* in orationum numero, imo adhuc ſuperat *Gelaſianum*. Et tamen HONORATUS *a S. Maria* contendit, liturgiam GELASII P. eandem eſſe, ac *miſſam latinam*, ut vocat miſſam ILLYRICI, quam vult omnium antiquiſſimam eſſe liturgiam tam *græcarum*, quam *latinarum*; licet in hoc non adſtipuletur ILLYRICO, ut quemadmodum *Græci* unam dumtaxat habent miſſæ formulam, quam in dies ſingulos repetunt; haud aliter nullum diſcrimen dierum fuiſſe in liturgia *Latinorum*. Quod ipſum tamen etiam apud *Græcos* falſum demonſtratur ex eorum euchologiis, aliisque libris liturgicis, quibus, quæ ſunt feſtis

ſtis peculiaria, habentur ordine.. In hac autem miſſa Illyrici ſuis locis hæc ipſa indigitantur *Introitus*, *oratio*, *lectio*, *graduale*, *ſequentia*, *evangelium*, *offertorium &c.* iis ipſis nominibus, quibus nunc utimur; quædam, uti *ſequentiæ*, ante ſæc. IX. nuſpiam leguntur omnino alia, certe ſingula, prima ætate non ita expreſſa leguntur, ad quam eam refert Honoratus ad ſæc. IV. vel initium V.; imo hanc miſſam fontem eſſe dicit omnium liturgiarum eccleſiæ, ut ad initium ſæc. V. nulla alia in occidente liturgia perſpecta fuerit, niſi miſſæ huius *latinæ*. Sed verba ſunt ac coniecturæ meræ: cum tota, ut cuilibet intuenti patebit, quæ a medio ævo ubique hucusque habetur miſſæ *Gregorianæ* forma ac ritus, in ea lateat. Mabillonius eccleſiæ *S. Petri* in *Hornbach*, Martenius cognomini Ord. S. B. *Salisburgi* uſitatam eam fuiſſe, inde coniicit, quod ſimilem repererit, & quidem in codice 600. tantum annorum, *Salisburgenſis* eccleſiæ ordinem miſſæ. Sed cum alii aliarum eccleſiarum extent eiusmodi ordines, potuit alterius eſſe eccleſiæ, S. Petro ſacræ in *Alemannia* noſtra, unde primum editus in lucem prodiit.

Comparatur cum aliis ſimilibus etiam Alemannicis.

III. Antea iam Card. Bona, & *Hugo* Menardus, ille ex *Italia*, hic ex *Gallia* produxit miſſas ſimiles *Illyricianæ*. Atque Card. Bona ſua miſſa, quam unacum miſſa Illyrici edidit ad calcem libb. de rebus liturgicis, ex cod. Mſc. bibliothecæ Card. Chisii id cumprimis egit, ut commonſtret, *Gallicanam* veterem non fuiſſe miſſam Illyrici, ſed in *Italia* etiam uſitatam, atque aliis eccleſiis communem. Codicem autem Chisii ſæculi decimi facit, quo vergente ante annum 986. ſcriptus etiam eſt codex Ratoldi apud Menardum, ac multis annis poſt, regnante videlicet Henrico primo *Francorum* rege, ſimilis miſſa, a ſe ex codice *Tiliano* edita. Medio autem inter hæc tempore exiſtimavit ſcriptam miſſam Illyrici, quod multa in illa deprehendantur, quæ non habentur in miſſa Ratoldi, continentur tamen in miſſa *Tiliana*. Quæ omnia in notis ad *ſacramentarium* S. Gregorii articulatim expoſuit. Cointius in annalibus eccleſiaſticis *Francorum* miſſæ huic latinæ antiquæ (quam Illyricus ex *Palatina* bibliotheca primum publicavit an. 1557.) locum dedit, atque e regione eius miſſam poſuit veterem, quam *Hugo* Menardus ex codice *Tiliano* publicavit an. 1642. hancque epitomen illius exiſtimat, atque adeo ex illa factam. Quod ſi etiam concederetur, non tamen obtineret Cointius, quod petit, eſſe illam *Gallicanam* veterem. In qua etſi, quod ipſe etiam non inficias it Menardus, multa ſint, quæ redoleant antiquitatem; ordo tamen, ut ita dicam, *Romaniſſimus* eſt,

T. II. p. 488.

qui

qui, ſepoſitis paullisper prolixis illis apologiis & orationibus, in rubricis manifeſte apparet in tot aliis ſimilibus tum *Italiæ* (qualem eccleſiæ *Mutinenſis* edidit Muratorius T. I. lit. *Rom.* p. 68. &c.) cum *Galliæ* & *Germaniæ*, quales edidit Martenius T. I. c. IV. art. 12. de antiquis eccleſiæ ritibus, auctas poſtea editione *Antwerpienſi* in fol. Ubi præter *Salisburgenſem* & *Moguntinum* talis etiam habetur ad liturgiam noſtram *Alemannicam* ſpectans ex Mſc. codice, annorum circiter 700., monaſterii S. Gregorii in valle *Gregoriana* diœceſis *Baſileenſis*. *T. I. p. 594.*

Nos ex pluribus eiusmodi ordinibus miſſæ, quales in bibliothecis *Alemannicis* paſſim invenimus, etiam ſequioris ævi, antiquiorem in noſtra collectione liturgica edimus ex codice *ſan-Blaſiano* ann. circiter 800. Qui quidem non ita abundat apologiis & orationibus, quæ prolixum magis ac ſolemne reddunt officium in Miſſa Illyrici, pro privato nimirum uſu alicuius eccleſiæ inſignioris, qualis eſſe potuit *Salisburgenſis* inter *Germaniæ* primarias, præſertim poſt *Laureacenſem* eo translatam metropoliticam dignitatem; aut in noſtra *Alemannia Argentoratenſis*. In præcipuis tamen omnes conveniunt, in eo præſertim, quod palmare eſt Honorati de *S. Maria* argumentum de formula communionis ſub utraque ſpecie, cum formula *corpus & ſanguis D. N. I. Ch.* ut paſſim alibi legitur. Quod autem ſingulariter habet miſſa de presbyteris & diaconibus communionem in manus accipientibus, idem habes in ord. VI. *Romano* apud Mabillonium. Atque in conc. *Tolet.* IV. an. 633. adhuc diſtinctio communionis cleri, & fidelium in miſſa notatur, veluti etiam in ord. II. *Romano* apud eundem Mabillonium. *T. II. Muſ. Ital. p. 75.* *Ibid. p. 50.*

Rubricæ & rituales libri antiquiores.

IV. Ab his liturgicis libris, qui miſſæ ordinem unacum privatis precibus continent, greſſum facimus ad rituales ipſos libros, quorum eſt per omnes liturgiæ officiique divini partes magna copia, ac ampliſſimus uſus. Parce in primæ eccleſiaſticæ ætatis monumentis rituum & cæremoniarum liturgicarum occurrit mentio; nec ſunt ulli ad hoc peculiares libri, qui ſaltem ad nos pervenerint, uti nec quidem libri ipſi liturgici. Quorum vetuſtiores, qui ætatem tulerunt, rubricis deſtituuntur, ita vocatis, quod rubro colore perſcribi ſoleant, pro antiquiſſimo quidem uſu librorum titulos ac diſtinctiones ſcribendi, etiam in eccleſiaſticis Canonibus, uti in civilibus legibus. Conſpicuus eſt equidem in antiquiſſimo *Gallicano* lectionario hic color, ſed non ad hunc uſum, qui fuit, poſteaquam ritus etiam in libris liturgicis notari ſolebant, poſterior uſu, quo peculiares rituales eiusmodi libri conſcribi cœperunt.

Digitized by Google

Nihil horum in noſtris antiquioribus liturgiis comparet, in quibus color ruber frequenter quidem, ſed ad diſtinctionem tantum feſtorum ac formularum liturgicarum adhibetur, non vero ad ea, unde poſtea rubricæ nomen habuerunt. Cuiusmodi pauca quædam ad Canonem in ora paginæ notata ſunt in *ſacramentario* noſtro *ſan-Blaſiano*: id quod ei plane ſingulare eſt. Nihil præterea in illo, uti etiam cæteris antiquis liturgiis reperias, quoad ordinem ac cerimonias miſſæ, uti nec in antiquiſſimo *Rhenaugienſi*, exceptis fere iis paucis, quæ ad baptiſmum ſpectant, & ſubinde aliis nonnullis. Ita ut a ſæculo decimo demum paullatim libris liturgicis aſſini rubricæ cœperint: magisque ac magis fixæ ac firmatæ ſunt cerimoniæ ipſæ, quæ a prima inſtitutione variis mutationibus, acceſſionibusque auctæ ad nos pervenerunt. „Maiores vero noſtri (ſunt verba *Auguſtini Patricii* PICOLOMINEI epiſc. ad INNOCENTIUM VIII. in librum ſacrarum cerimoniarum, quibus *Romani* pontifices uti conſueverunt) duces & doctores chriſtiani populi ab initio naſcentis eccleſiæ ſacros ritus divino afflati Numine nobis tradiderunt: quos deinde creſcente fidelium multitudine illorum ſucceſſores *Romani* pontifices, ſalva rerum ſubſtantia, auxerunt, ornaverunt, atque mirum in modum ampliaverunt, adduntque indies: mutantur & variantur permulta, quæ non tam priſcis inſtitutionibus adverſa ſunt, quam tempori & rebus, quæ aguntur, accommoda, atque decora. Quo fit, ut cum propter rei vetuſtatem pauca admodum ex priorum obſervantiis reperiantur, & quæ deinde a poſteris litteris mandata exſtent, tum propter varias confuſasque ſcribentium ſententias parum uſui & utilitati noſtris temporibus eſſe videantur; cæremoniis non tam ſcriptis, quam iam pridem conſuetis hactenus magna ex parte uſi ſumus.“ *Romana* eccleſia, uti in precum ſacrarum formulis, ita etiam in ritibus ac cerimoniis ſuis in alias orbis chriſtiani partes per Occidentem propagandis ſemper fuit ſollicita. „Nimirum (ſunt MABILLONII verba in præfatione ad liturgiam *Gallicanam*) hæc ſemper fuerunt ſummorum pontificum ardentiſſima ſtudia, ut *Romanæ* eccleſiæ ritus aliis eccleſiis approbarent, ac perſuaderent, rati, id quod res erat, eas facilius in una fidei morumque concordia, atque in *Romanæ* eccleſiæ obſequio perſtituras, ſi eisdem cerimoniis eademque ſacrorum forma continerentur. Ea mens fuit INNOCENTII I. in epiſtola ad *Decentium* EUGUBINUM, eadem etiam omnium cuiusque regni aut provinciæ præcipuorum antiſtitum, quibus hæc imprimis cura fuit, ut ad uniformem modum omnes ſibi ſubditæ eccleſiæ componerentur.“

Apud Mabill. T. II. Muſ. Ital. pag. 585.

Antiquiſſimo *ſan-Gallenſi* codici mille prope annorum, quem inter collectanea noſtra edimus, præmiſſa eſt ea INNOCENTII I. epiſtola, qua ad

con-

conformem cum eccleſia *Romana* in ſacris uſum hortatur. Quæve in eodem ſequuntur, ad eandem formam ſunt exacta, ad regulam ſimul monaſticam compoſita primum: „Inſtructio eccleſiaſtici ordinis, qualiter in cœnobiis fideliter Domino ſervientes tam iuxta auctoritatem catholicæ atque apoſtolicæ *Romanæ* eccleſiæ, quam iuxta diſpoſitionem & regulam ſancti BENEDICTI, miſſarum ſolemniis vel nataliciis Sanctorum, ſeu & officiis divinis anni circuli die noctuque auxiliante Domino debeant celebrare, ſicut in ſancta ac *Romana* eccleſia a ſapientibus ac venerabilibus patribus nobis traditum." MARTENIUS T. V. ampliſſ. Coll. & MURATORIUS T. II. lit. *Rom.* ſimilem inſtructionem, ſeu, ut apud illos notatur, *Breviarium ordinis Rominſæ*, iuxta normam nimirum *Romanæ* eccleſiæ ediderunt, ac MARTENIUS quidem ex antiquiſſimo codice *Murbacenſi*, quod etiam ad noſtram pertinet *Alemanniam*, trans-*Rhenanam* nimirum, nosque aliud adhuc ex mſc. *ſan-Blaſiano* edimus *Breviarium ordinis eccleſiaſtici* non inconſulto aut ſuperfluo opere, quod primum nobis ipſis viſum eſt; ſed cum conferremus inter ſe Mſs., talem invenimus diverſitatem, ut ad oras paginarum commode variationes revocare ordo non ferret.

Viciſſim vero alicubi tantam ſcripturæ etiam ſimilitudinem deprehendimus, ut quod ſupra de callygrapho, cuius manu *ſan-Blaſianum*, *Solodorenſe*, & *Peterhuſanum* deſcripta ſint, notavimus, multo tutius aſſerere poſſimus de ſcriptore, qui breviarium eccleſiaſtici ordinis, quod MURATORIUS in liturgiæ *Romanæ* tomo ſecundo vulgavit, nosque edemus geminum ex codice *ſan-Blaſiano.* Dedit quippe MURATORIUS æri inciſum ſpecimen codicis *Vaticano-Palatini*, quod dum confero cum autographo *ſan-Blaſiano*, unam eamdemque manum certo deprehendo. Tantum quod notetur ad calcem codicis *Palatini* apud MURATORIUM *Codex S. Nazarii in Lauriſſa*, quæ in noſtro deſiderantur. Ea vero verba declarant, illum etiam codicem ad *Alemanniam* pertinuiſſe, monaſterium ſcilicet S. NAZARII *Laureshe imenſe* in *Palatinatu* diœceſis *Wormatienſis*, ad quod conſtat ex *Rhabani* MAURI, NOTKERI Martyrol. aliisque chronographis an. 765. per CHRODEGANGUM epiſcopum *Metenſem* corpus S. NAZARII, cum aliis *Roma* allatum, translatum fuiſſe. Cui geminum item eſt *Murbacenſe* iam etiam laudatum. *Vid. Baillet Vies de Saints T. IV. 12. Iuin.*

Uſi ad noſtram liturgiam *Alemannicam* aliis etiam ſumus variis Mſs. ritualibus tum noſtris, cum etiam ex aliis bibliothecis variis, nobiſcum communicatis, quibus vel continetur ordo operis Dei per annum, vel quoad peculiares partes liturgiæ, quæ aut ſuis locis memoramus, aut etiam integra in collectione liturgica præſentamus.

Digitized by Google

Ordo Romanus ex codd. Alemannicis.

V. Ad edendum item ante incendium monaſterii comparaveramus antiquiſſimum ordinem *Romanum* miſſæ pontificalis ex codice *Tigurino* an. circiter 900. cum variis appendicibus, quales etiam in codice *ſan-Gallenſi* ſæc. X. vel XI. & nonnulla cum ipſo ordine miſſæ pontificiæ in codice *Einſidlenſi* eiusdem ætatis habentur, cum quo *Tigurinum* contulimus, ac cum edito a MABILLONIO. Eſt præterea eiusdem ætatis codex *ſan-Gallenſis* cum hoc titulo: „In nomine Domini incipit *Romanus* ordo, qualiter ſacerdotes officium ſacerdotale caute in miſſa obſervent. *Pſ. Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina. Credidi. Pater noſter* cum precibus & oratione pro peccatis, ut interius & exterius ſummo ſacerdoti placere valeat &c.“ Videtur hinc, quod priori in fine, id alteri in principio deeſſe.

Huc pertinent fragmenta ordinis *Romani* apud THOMASIUM in appendice Reſponſorialis & antiphonarii T. IV. opp. ed. *Vezz.* p. 307. ex vetuſtiſſimo *Palatino* ſignato num. 487. in bibliotheca *Vaticana*, in quo continentur vetuſtiores, germanioresque libelli ordinis *Romani*: De officiis in noctibus a Cœna Domini uſque in Paſcha p. 314. Ex vetuſto Mſc. codice membranaceo monaſterii *S. Galli* in *Helvetiis*: Ordo a Dominica mediana uſque in octabas paſchæ. p. 321. Ex ordine *Romano* membranaceo ſcripto ſub OTHONE I. imp. in bibliotheca *Vallicellana* collato cum alio codice Mſc. monaſterii *S. Galli*, qui continet ſuccinctam officii ſeriem etiam *de feſtis ſanctorum*, *qualiter apud Romanos celebrentur*. Deſiderantur vero, quæ porro venerabilis vir a bibliothecario *ſan-Gallenſi* epiſtola ſeptima expetierat: „De gradibus *Rom.* eccleſiæ. Ordo IV. temporum. De veſtibus pontif. Item de veſtimentis aliis *Romani* epiſcopi. Unde ſupra incipit: *Imprimis etenim veſtietur &c.*.“ Inter codices catalogi REGINBERTI monachi *Augienſis*, ac bibliothecarii ſæc. IX. ſub HEITONE, ERLEBALDO, & RUDHELMO, duo notantur, alter poſt varias leges *Alemannorum* &c. „Ordo eccleſiaſticus *Romanæ* eccleſiæ, & qualiter miſſa celebretur, & de officiis divinis in noctibus a Cœna Domini uſque in paſcha, & qualiter in ſancta *Romana* eccleſia reliquiæ conduntur, & quomodo in ſancta *Romana* eccleſia ordinationes fiunt.“ In altero habentur expoſitiones diverſæ ſuper miſſam, ac ordo *Romanus, qualiter miſſa celebratur*. Paſſimque alibi adhuc eiusmodi ſervantur monumenta.

T. IV. p. XLVI.

Vel hinc ſaltem eluceſcit, quem locum in illuſtranda veteri liturgia *Alemannica* ordo *Romanus* habeat, quo veluti ex fonte ritus noſtri antiqui ſint derivati, quam hinc e re fuerit, hic operam impendere. „Cogitabam enim apud me (ut cum CASSANDRO loquar) ſi huius argumenti

Præf. in Ord. Rom.

gumenti lectione plerique hodie delectentur, eamque utilem eſſe docti & pii viri iudicent, nihil in hoc genere præſtantius inveniri poſſe, quam ipſum ordinis *Romani* libellum, quem omnes, qui de eccleſiaſticis ritibus & officiis divinis ſcripſerunt, tanquam principem & caput agnoſcunt, ſummamque ei auctoritatem deferunt, ſic, ut omnia huius generis ſcripta nihil aliud ſint, quam huis libelli commentaria.“ Hæc CASSANDER præfatione in ordinem *Romanum*, a ſe primum typis editum *Coloniæ* an. 1561.

Teſtatur editum tunc fuiſſe opuſculum quoddam titulo CAROLI M. & aliorum incertorum auctorum de vetuſtis eccleſiæ ritibus & cerimoniis. Perluſtranti autem Mſs. libellos occurrit liber, qui omnia ea, quæ hiſce duobus fragmentis confuſa & disiecta continentur, aptiſſimo & perpetuo ordine integre emendateque complectitur. Erat autem ipſe ille ordo *Romanus*, in quo epiſtola CAROLI M. ad ALCUINUM de ratione Septuageſimæ & Sexageſimæ & Quinquageſimæ recenſetur. Cuiusmodi duæ etiam editæ ſunt, in notis ad miſſale vetus *Lateranenſe* ex Mſc. collectione Canonum Cardinalis LABORANTIS. Patetque, recte iudicaſſe CASSANDRUM, quæ ſequuntur, alio pertinere. Sed in tota re ab eius ſententia diſcedit MABILLONIUS præfatione T. II. *Muſæi Italici*, qui ordinem *Romanum*, prout etiam poſt octo annos eſt editus ab HITTORPIO, farraginem tantum eſſe putat ex diverſis ordinis *Romani* libellis conſarcinatam. Quod revera ex omnibus veteribus, quæ vidi, Mſs. palam eſt. CASSANDRO tamen unus perpetuo & apto ordine continue digeſtus & abſolutus eſt habitus, Nihilominus apte diſtinxit alios duos, quos edidit, ſuntque primigenii ordines *Romani* de miſſa pontificali, qualiter etiam T. XIII. bibliothecæ Patrum proſtant, ſubiunctis omnibus, quæ apud HITTORPIUM habentur, a CASSANDRO autem ſunt prætermiſſa. *pag. 32. & 42.*

Quæ ſi rite inter ſe diſtinguantur, multo rectius de ætate iudicari poteſt. De qua primum vilius ſenſit HITTORPIUS, viſumque eſt a magiſtris *Romanæ* eccleſiæ tum eſſe conſcriptum, cum, STEPHANO pontifice, PIPINO primum, deinde CAROLO M. procurante divina officia *Romana* cum *Romano* cantu in *Galliam* ſunt introducta. At poſtea re maturius perpenſa altius uſque ad GELASII tempora aſſurgendum exiſtimavit. Quod ipſum etiam MABILLONIO eſt viſum, ad GELASII vel ad GREGORII M. ſaltem tempora eſſe revocandos antiquiores ordines *Romanos*. Hic primus diverſos libellos a ſe invicem diſtinctos edidit. Ac primo loco quidem tres antiquiſſimos de miſſa pontificali (qui ſunt illi ipſi, quales in noſtris Mſc. *Alemannicis*, quæ recenſuimus, conti-

 nentur)

nentur) ex codice *S. Galli* in primo ordine ſupplevit, quæ in CASSANDRI & HITTORPII editione deerant. Extat quoque *Georgii* FERRARII editio *Romæ* an. 1691. excuſa, ac GREGORIO XIV. dicata locupletior, ut teſtatur *Chriſt.* HOFFMANNUS in collectione nova ſcriptorum & monumentorum T. I. p. 392. Omnium tamen, addit, in his ſcriptis edendis ſtudium ſuperaſſe MABILLONIUM, qui antiquos libros rituales pleroſque nondum editos complexus eſt, quos beneficio TELLERII, CASANATÆ, COLLOREDI, *Ioannis* CIAMPINI, *Ioſephi Mariæ* THOMASII ex noſtra etiam *Alemannia* acceperat. Omnia articulatius recenſet a MABILLONIO edita T. II. p. 16. &c.

In eum commentatores AMALARIUS & BERTHOLDUS Conſtantienſis.

VI. Secundus ordo apud MABILLONIUM primus eſt apud CASSANDRUM, & HITTORPIUM, ac *Onuphrio* PANVINIO viſus eſt ordo *Gelaſianus*, qui a GREGORIO M. fuerit emendatus, ut teſtatur MABILLONIUS, qui in priori plura deprehendiſſe ſibi viſus eſt antiquioris ritus, & hunc ordinem antiquiſſimum exiſtimat, utpote quem per partes explicavit AMALARIUS ecloga in ipſum ordinem edita, quam BALUZIUS ex veterrimo codice *S. Galli* vulgavit in appendice Capitularium, ac ipſe etiam MABILLONIUS in appendice ad libellos ordinis *Romani*. Tres eiusmodi codices nactus fueram, omnes a ſe, & ab editis diverſos, unum in noſtra bibliotheca ſervamus antiquiſſimum, alterum in *Turicenſi* codice ſuppari, tertium in *Einſidlenſi* 700. annorum, edere autem ordinem hunc operæ pretium duxi ex noſtro codice *ſan-Blaſiano*. AMALARII nomen in codice *ſan-Blaſiano* ad marginem adſitum eſt; in *ſan-Gallenſi* id profert mox poſt ipſum ordinem *Romanum* cum hac epigraphe: *Explicit ordo eccleſiaſticus Romanæ eccleſiæ, ſequentia* AMALHERE *abbas edidit.*

T. II. Muſ. Ital. p. 549.

Utinam in noſtras etiam manus perveniret BEROLDI ſeu BERTHOLDI *Conſtantienſis* hac in re opus (cuius extat inſigne chronicon ad continuationem HERMANNI *contracti*, ac alia, quæ GRETSERUS edidit, & *Sebaſtianus* TENGNAGELIUS) atque HOTTINGERUS citat, & FABRICIUS in *bibliotheca latina*. Illudque CASSANDER ſibi viſus eſt habuiſſe in manibus, & ſæpe citat ſub nomine expoſitoris ord. *Rom.* ſic autem de eo opere in epiſtola ad lectorem liturgicis præmiſſa teſtatur: „Imprimis vero vir quidam diligentiſſimus, & ut ea ætas ferebat integritatis & puritatis in obeundis divinis miniſteriis obſervantiſſimus, adeo ut inoleſcentes iam abuſus nondumque univerſali conſuetudine & *Romanæ* ſedis auctoritate, cui plurima imo omnia deferebat, confirmatos libere notarit, & reprehenderit, qui ſe ſub annum Domini 1089. ſcripſiſſe teſtatur. Eum ſuſpicor eſſe BERNOLDUM presbyterum

T. IV. Hiſt. eccleſ. Helvet. p. 45.
T. II. pag. 654.

terum *Conſtantienſem*. Nam & libelli argumentum, & ætas a TRITHEMIO commemorata ſatis conveniunt, quod tamen cum certo non conſtet, ſub nomine Expoſitoris *Rom.* ordinis adducendum eum putavi." At id ipſum quis dicere queat de expoſitione miſſæ iuxta ordinem *Romanum*, primum a *Io.* COCHLÆO, deinde a *Melch.* HITTORPIO variis ex codd. *Germanicis* edita. Idem teſtatur CASSANDER alterum opuſculum liturgicum, quod ſub nomine *Micrologi* extat, fuiſſe, qui BERNOLDO presbytero *Conſtantienſi* adſcriberent, ſed illud iam IVONI *Carnotenſi* aſſertum eſt a doctis. At hactenus nihil compertum habetur de Mſc. BERTHOLDI, ex quo dum CASSANDER plura adducit, facile in eius notitiam veniri queat, quod alicubi ad inferiorem *Rhenum Coloniæ* forte delitefcere veriſimile eſt. Eius meminit HONORIUS *Auguſtodunenſis* in libro de illuſtribus eccleſiæ ſcriptoribus, ſed ſic, ut ordinem ipſum *Romanum* a BERTHOLDO *Conſtantienſi* conſcriptum dicat his verbis: BERNOLDUS *Conſtantienſis eccleſiæ presbyter ordinem Romanum ſub quarto* HENRICO *compoſuit*. Succinit TRITHEMIUS, qui eum BERNOLDUM nominat: „BERNOLDUS presbyter eccleſiæ *Conſtantienſis* in *Suevia* natione *Teutonicus*, vir devotus & in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in diſciplina ſæcularium litterarum ſufficienter inſtructus, ingenio clarus, & comptus eloquio, reliquit ſtudii ſui nonnulla opuſcula, quæ tamen ad notitiam noſtræ lectionis minime venerunt. Hic ad utilitatem eccleſiaſticæ reipublicæ compoſuiſſe dicitur volumen, quod prænotavit ordinem *Romanum*." Certe nec ipſum hoc BERNOLDI ſeu BERTHOLDI opuſculum oportet oculos TRITHEMII ſubiiſſe, alias a *Romano* ordine diſtinxiſſet, longe antiquiore, ut ex ſuperioribus conſtat, atque ex illis, qui ætate ſuperiores ordinem *Romanum* citarunt, uti citatur in *ſacramentario* RATOLDI, ab ISAACO *Lingonenſi* Tit. I. c. 35. qui ſub CAROLO *Calvo* floruit. Diverſos vero libellos fuiſſe iam AMALARIUS notat, ac ſæpe citat per complura capita libb. de officiis, idemque dudum antequam vivere potuit BERTHOLDUS (HENRICI quarti demum temporibus ſæculo XI.) Eclogam in ordinem *Romanum* ſcripſit. Hinc palam fit, quam falſo perſuaſum habuerit *Ioan.* DALLÆUS ordinem *Romanum*, qui circumfertur eundem eſſe BERTHOLDI librum, adeoque ſæculo XI. in lucem productum. Sic DALLÆUS & poſt eum BASNAGIUS antiquitatem monumentorum liturgicorum elevare ſtudent, quæ cauſæ ſuæ irreligioſæ circa cultum ſacrificiumque euchariſticum officere intelligunt, fictamque a PASCHASII *Ratberti* ætate epocham ſuperant.

De ſcriptor. eccleſ. c. 13.

De ſcriptor. eccl. c. 338.

T. VIII. Conc. Ed. labb. p. 605.

De cultibus latinor. religioſ. lib. III. c. 6. IV. c. 28. V. c. 4. IX. c. 12.

VII. Citatur etiam ordo *Romanus* ab antiquiore AMALARIO *Trevirenſi* epiſcopo, De aliis eiusdem

Amalarii, & cognominis Trevirenſis ſcriptis liturgicis, ac aliorum de ritibus baptiſmi.

epiſcopo, ſub Carolo M. Hic epiſtolam dedit ad univerſos regni archiepiſcopos, ut per eos communicaretur etiam cum epiſcopis provincialibus ſeu ſuffraganeis. Quærit autem, qualiter doceant & inſtruant ſacerdotes Dei & plebem commiſſam de baptiſmi ſacramento. Prodierunt hac occaſione varia in eo argumento opuſcula ad Carolum M. perſcripta. Huiusmodi editum eſt in analectis Mabillonii ex Mſc. *Augienſi*, Odilberti archiepiſcopi *Mediolanenſis* reſponſio ad Carolum M. *p. 76.* Apud Sirmondum Theodulphi *Aurelianenſis* de ordine baptiſmi, provocati a Magno archiepiſcopo *Senonenſi*. Huius etiam Magni habebat *T. II. Capit. 1071.* Sirmondus brevem libellum de myſteriis baptiſmi ad Carolum imperatorem teſte Baluzio. Atque inter eius ſchedas repertum eſt breve ſcriptum, ab anonymo editum in quadam ſynodo, de his, quæ Domnus imperator epiſcopos ea tempeſtate interrogaverat. Eademque occaſione Iesse epiſcopum *Ambianenſem* ſcripſiſſe, putat idem Baluzius, epiſtolam ſeu libellum de ordine baptiſmi, quem ſe ex antiquiſſimo Mſc. *ſan-Gallenſi* transſcripſiſſe dicit.

Amalarii vero *Trevirenſis* libellum, cuius occaſione hæc diximus, primus edidit Canisius, atque ex coniectura Alcuino tribuit. Cuius nempe in codice *Einſidlenſi* brevis epiſtola præmittitur eiusdem argumenti. Sed confundi non debet cum opuſculo, quod anonymum quidem habetur in codice *ſan-Blaſiano*, ex quo illud edimus iam Amalario reſtitutum fide Mſc. *Petavienſis*; atque a Sirmondo animadverſum, verba, quæ de ſuffraganeis habentur in fine opuſculi, non convenire Alcuino, optime autem Amalario *Trevirenſi*. Quamvis ſint, qui ex diverſa notione ſuffraganei, quæ ibi datur, contrarium elicuerint: quod enim vero falſe facit Amalarius ob laceſſitum tunc ius metropoleos *Trevirenſis*. Sed rem iam extra omnem controverſiam ponunt epiſtolæ tum ipſius Amalarii, cum Petri abbatis *Nonantulæ*, quæ leguntur in codice *Turicenſi*.

Sub nomine *Trevirenſis* huius archiepiſcopi apud Hittorpium editi ſunt libri, qui ſunt opera alterius Amalarii, de quo mentionem fecimus, quatuor nimirum *de officiis*, quos paſſim citat ipſe Amalarius ſub nomine libri officialis in libro de correctione antiphonarii, quo de ipſi controverſia gravis fuit cum Agobardo archiepiſcopo *Lugdunenſi*. Triplex vero a Floro diacono *Lugdunenſi* intentata ei eſt lis, agitata etiam in conciliis apud Theodonis villam, & *Cariſiacenſi*, de Corpore Chriſti tripartito, quomodo ſcilicet in ſenſu myſtico ob diviſionem ſacræ hoſtiæ interpretatus fuerat Amalarius, eoque recidebat altera accuſatio univerſim de allegoricis interpretationibus, tertia autem erat de ipſo ordine *Romano*.

„Quid

„Quid igitur (ſunt ipſius FLORI verba) novellus iſte præceptor de myſte- *T. II. Conc.*
riis ſuis faciet, qua ratione tot vanitatum ſuarum commenta defendet? *Germ. p. 70.*
Scripturæ ſanctæ auctoritas deeſt, eccleſiæ in talibus generalis traditio &
regula nulla eſt, doctrina Patrum repugnat. Libellum *Romani* ordinis
tantæ auctoritatis habet, ut eum pene ad verbum nitatur exponere, & ta-
men ſtatim ſibi contrarius, aſſerit hunc *Romano* archidiacono, cuius tra-
ditionibus gloriatur, ignotum.“ Recenſuerat antea alia eiusdem AMALA-
RII ſcripta, Officialem primum: „Tanquam (ſunt FLORI verba) de ſacris *pag. 68.*
officiis prudentiſſime & ſufficientiſſime diſputantem. Qui tantis veſaniis
& erroribus confertus, ut quibuslibet etiam imperitis, palam ridendus
conſpuendusque videatur. Protulit quoque antiphonarium velut a ſe dige-
ſtum atque correptum, cui talia pro ſuo ſenſu inſeruit, ut pro eius im-
pudenti audacia frons legentis pudore ac rubore feriatur. Noviſſime vero
novum digeſſit volumen, & apud *Lugdunum* ornate indui, ac vittis ſeri-
ceis diſtingui fecit: quod ad palatium ferens, vel principi vel magiſtro
conſilii dicitur oblaturus. In quo vere tam inepto eloquio, tam abſur-
dis ſenſibus, tam exquiſitis & inauditis fantaſiis involvitur, ut putes eum
limphatico more bachari. Vocat huius inſulſiſſimæ garrulitatis librum *Em-*
bolim opuſculorum ſuorum.“ Necdum poſterius hoc opus lucem aſpexit.
Ad vulgatos autem IV. libros de officiis ſupplementum edidit MABILLO-
NIUS in analectis, quod ſic habet in fine: „Explicit liber *Sympoſii* AMALA-
„RII presbyteri venerabilis de divinis officiis, quem miſit ad LUDOVICUM
„& LOTHARIUM reges, filios CAROLI M. imperatoris, quem librum in
„hoc corpore tranſcribi curavit ADEMARUS indignus monachus in hono-
„rem Dei & S. BENEDICTI.“ Ipſe vero ADEMARUS in chronico diaconum *T. II. Bibl.*
eum vocat, ubi præter regulam canonicorum etiam liturgica ei tribuit o- *Labb. pag.*
pera de officiis &c. Epiſtola autem FLORI diaconi *Lugdunenſis* inſcribitur *1454.*
de libris AMALARII *chorepiſcopi Lugdunenſis.* Nec dubium adeoque eſt,
eumdem eſſe AMALARIUM, qui ſub LUDOVICO *Pio* in eccleſia *Metenſi* me-
ruit, ut ſæpiſſime in libro de correctione antiphonarii prodit. In libris
de officiis non raro eccleſiam ſuam indigitat, aliquando ei vocatur *noſtra*
perita eccleſia. Quod de *Metenſi* eccleſia tunc florente etiam intelligi po-
teſt. Indicat vero FLORUS in epiſtola ulceroſa ſane, contra virum de li-
turgia bene meritum, etſi pluſculum in allegoriis elaborarit, *Embolim*
in eccleſia *Lugdunenſi* edidiſſe. In codice mſc. *Einſidlenſi* habetur præter-
ea epiſtola AMALARII ad GUNTRADUM de Quadrageſimæ obſervatio-
ne cum nonnullis aliis etiam, a DACHERIO in Spicilegio editis, qui notat
in quibusdam Mſs. epiſtolam iſtam librum tertium de officiis claudere,
quo loco in codice *Einſidlenſi* habetur.

Digitized by Google

De Alemannicis liturgicis ſcriptoribus.

VIII. Sed iam de gentilitiis ſcriptoribus aliquid eſt commemorandum, quibus in illuſtranda veteri liturgia *Alemannica* utimur. Magnam hi partem occupant in collectionibus ſcriptorum liturgicorum, quæ in *Germania* noſtra typis prodierunt. Prima proſtat ſub titulo: *Speculum antique devotionis circa miſſam & omnem alium cultum Dei, ex antiquis & antea nunquam evulgatis per typographos auctoribus a Ioanne* COCHLÆO *laborioſe collectum. Ex vetuſtis bibliothecis eccleſiarum ac monaſteriorum Moguntiæ, Miſnæ, Wormatiæ &c. Mogunt.* 1549. Altera *Venetiis* quidem prodiit an. 1572. ſub titulo *Speculum miſſæ*, ſed prout fuerat a *Ioanne* COCHLÆO *primum laborioſe collectum; a Fr. Nicolao* AURIFICO *Senenſi Carmelita recognitum, auctum & locupletatum.*

Locupletiſſima vero eſt, quæ cura *Melchioris* HITTORPII primum *Coloniæ* 1568. lucem aſpexit collectio, ſeu *de divinis catholicæ eccleſiæ officiis ac miniſteriis varii vetuſtiorum aliquot eccleſiæ Patrum ac Scriptorum libri.* Hos inter maior pars Scriptorum eſt *Alemannicorum*, aut eo pertinentium. Qualis iure cenſetur *Rhabanus* MAURUS archiepiſcopus *Moguntinus*, cuius varia ad hunc cenſum pertinent opuſcula, veluti homiliæ, liber de ſacris ordinibus, Sacramentis divinis, & veſtimentis ſacerdotalibus, imprimis autem libri de Inſtitutione Clericorum, quibus eadem cum aliis plurimis ordinatius continentur, ex quibus partes liturgicas ſeparatim in multis Mſs. *Alemannicis*, *ſan-Gallenſi*, *Tigurino*, *Einſidlenſi &c.* reperimus cum aliis liturgicis tractatibus. Integrum vero opus in ſuam collectionem tranſtulit HITTORPIUS poſt AMALARIUM, poſtea animadvertens, ſcripſiſſe eos libros ante epiſcopatum, eosdemque antequam AMALARIUS de divinis officiis ſcribere inciperet, ab ipſo editos, quippe qui HEISTULPHO eos dedicaverit.

Huic proxime ſubiungit *Walafridi* STRABONIS monachi & abbatis *divitis Augiæ* librum *de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum.* Ac mox ſubnectit libellum BERNONIS eiusdem monaſterii abbatis, *de quibusdam rebus ad miſſæ officium pertinentibus.* In quo meminit epi-

P.II. p. 41. ſtolæ, quam PEZIUS T. IV. anecd. edidit ad ARIBONEM archiepiſcopum *Moguntinum: de eo, qualiter adventus Domini hoc anno celebrari debeat, quando nativitas Domini ſecunda feria evenerit*, cui mox ſubditur eiusdem *Ratio generalis de adventu Domini ſecundum auctoritatem* HILARII *epiſcopi.* Et poſtea Dialogus, *Qualiter quatuor temporum ieiunia per ſua ſabbata ſint obſervanda.*

Volumen *de officio miſſæ*, quod inter eius opera recenſetur, eſt *micrologus*, in quo refertur decretalis GREGORII VII. qui obiit an. 1085. circiter 37. annis poſt BERNONIS mortem. Librum hunc in codd. *Weingartenſi*

Digitized by Google

tenſi & *Weiſſenaugienſi* ſupparibus auctori reperi, ſed ut in editis habetur compoſitum ex 62. capitibus, cum *Henricus* WARTHON in ſupplemento USSERII 71. in Mſc. invenerit, ac quidem ſub nomine IVONIS *Carnotenſis*. Cuius auctoris in eadem collectione HITTORPIUS primum edidit ſermones de eccleſiaſticis ſacramentis & officiis ac præcipuis per annum feſtis, & HILDEBERTI *Cenomanenſis* epiſcopi verſus de myſterio miſſæ. Subdit RADULPHI *Tungrenſis* de canonum obſervantia librum, quem auctor inſcripſit *Religioſis patribus Dominis Priori de Wintesheim & ſuis comprioribus, fratribusque ordinis S. Auguſtini diœceſis Traiectenſis*, remotioris quidem a noſtra *Alemannia*, ut tamen paſſim *Alemannicorum* liturgicorum rituum ſpeciatim mentionem iniiciat.

Prætermittit librum de officiis divinis ſive de antiquo ritu miſſarum, *gemma animæ* inſcriptum, qui in prioribus editionibus mancus habetur, integer poſtea editus, ſuoque auctori reſtitutus HONORIO *Auguſtodunenſi*: cuius etiam *ſacramentarium* PEZIUS primum edidit ex cod. *Gemnicenſi*, T. II. anecd. atque in diſſertatione *Iſagogica* T. I. paſſim notat libros huius inſtituti Mſs. in *Germaniæ* bibliothecis, quas ipſe adiit in *Auſtria* & *Bavaria*. Unde etiam prodiit ex Mſc. *Eyſtatenſi* expoſitio miſſæ, qua collectionem ſuam claudit HITTORPIUS. *P. I. p. 249.*

Eiusmodi expoſitiones nonnullas nos etiam edimus. Ac primo quam in *Tigurino*, *Einſidlenſi*, & *ſan-Gallenſi* codd. reperimus, Inc. *Dominus vobiſcum ſalutat ſacerdos &c.* Ubi aliam expoſitionem citari invenio ad illum Canonis locum *Quam pacificare, cuſtodire & adunare digneris*. His verbis: KRALOS *legit, ſed alterum modum exponit.* De CRALONE abbate agit caput ſeptimum lib. EKKEHARDI *Iunioris* cœnobitæ *S. Galli de caſibus monaſterii S. Galli in Alemannia.* a) An is forte fuerit, qui aliquam miſſæ expoſitionem ediderit? Aliam in eodem codice *ſan-Gallenſi* miſſæ expoſitionem reperi cum hac inſcriptione: *Hæc a cœnobio Dionyſii venit.* Quæ eadem etiam eſt in codice *Einſidlenſi*. Copioſior autem eſt, quam ex Mſc. noſtræ bibliothecæ ſæc. XII. edimus.

a) EKKEHARDUS fuit unus ex Scriptoribus vitæ S. WIBORADÆ ſub CRALONE abbate S. *Galli*. Ita vero ſæc. V. ord. S. BENED. p. 62. invenio: „Tempore igitur, quo venerabilis GRALO congregationem *Sancti Galli* rexit, fuit in ea quidam frater nomine EKKEHARDUS &c.“ Et poſtea pag. 66: „Poſt hanc igitur viſionem aliquot diebus exactis GRALO, qui id temporis cœnobio *Sancti Galli* præerat, in animum induxit (credo divina inſpiratione) viſionem ancillæ factis exequi.“ Apud GOLDASTUM *T. II. Rer. Aleman. p.* 141. habetur confœderatio inita ſub CRALLONE *ſan-Gallenſi*, & ALAUUIGO *Augienſi* abbate inter duo illa tunc florentiſſima monaſteria: „Anno incarnationis dominicæ DCCCCXLV, anno autem domini OTTONIS ſereniſſimi regis VIII.“

mus, nempe „opuſculum de actione miſſarum collectum quam maxime, & in ordine digeſtum ex verbis ſanctorum Patrum CYPRIANI, AMBROSII, AUGUSTINI, HIERONYMI, GREGORII, FULGENTII, SEVERIANI, VIGILII, ISIDORI, BEDÆ, AVITI.“

E: Canonum collectoribus.

IX. Nec hic omiſerim canonum collectiones pro noſtra *Alemannia*, ſeu in ea factas, in quibus inter primaria capita ea eſſe ſolent, quæ liturgiam attinent. Primum locum merentur S. BONIFACII, *Germanorum* apoſtoli ac martyris ſtatuta canonica XXXVI. quæ in Spicilegio edidit DACHERIUS, ac adnotavit quidem, nonnulla reperiri in poſterioribus Conciliis *Carolinis*, vel libris Capitularium; longe tamen veriſimilius recte iudicat, ANDEGISUM & Patres Concilii *Moguntini*, ea ex S. BONIFACIO ſumpſiſſe. Conciliorum *Germanicorum* ex ſchedis SCHANNATII editor *Ioſ.* HARZHEIM S. I. in præfatione Tomo primo præmiſſa *Germanos* canonum collectores recenſet, quos inter ad noſtrum cenſum veniunt præter S. BONIFACIUM, SIMPERTUM abbatem *Murbacenſem*, ac epiſcopum *Auguſtanum* HATTO, ſeu HAYTO *Baſileenſis*, cuius Capitulare ad presbyteros diœceſis *Baſileenſis* a DACHERIO in Spicilegio, & in Conciliis *Germanicis* nuperrime editum eſt. Teſte EGONE de Viris illuſtr. *Augiæ divitis*, HATTONIS Regulæ vivendi, clero & ſacerdotibus ſuæ diœceſis *Baſileenſis* præſcriptæ, adhuc in *Augia* manu exaratæ ſervantur. Iam ſupra nobis eſt memoratus REMEDIUS ſeu REMIGIUS, epiſcopus *Curienſis*, cuius canones eccleſiaſticos ex pontificum *Romanorum* quidem ſuppoſititiis epiſtolis potiſſimum edidit GOLDASTUS Tomo I. Rerum *Alemannicarum*. BENEDICTUS levita ſeu diaconus *Moguntinæ* eccleſiæ, iuſſu AUTGARII archiepiſcopi ſui circa an. 845. Capitula CAROLI M. & LUDOVICI *Pii* ab ANSEGISO prætermiſſa collegit, quæ BALUZIUS edidit. BURCHARDI *Wormatienſis* editi ſunt XX. decretorum libri, quos in uſum diœceſis potiſſimum *Wormatienſis* collegit. Quod conteſtatus eſt, illos BRUNICHONI præpoſito eiusdem eccleſiæ inſcribendo, mox exordio epiſtolæ nuncupatoriæ, *ut utile aliquod opus non minus ex ſanctorum Patrum ſententiis, quam canonicis ſcripturis, vel ab comprobatis pœnitentium exemplis, ad neceſſarium eccleſiæ noſtræ deſervientium uſum, vigilanti ſtudio colligerem. Et id quidem vel ea ratione maxime flagitare videbaris, quod canonum iura atque pœnitentium formæ in noſtra quidem diœceſi adeo confuſa ſint, atque inter ſe diſcrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni pene auctoritate deſtituta, vel modice in eccleſiaſtica diſciplina inſtitutis apparere poſſint.*

CAP. IV.

CAPUT IV.

Firmamenta Cauſæ catholicæ adverſus Obiecta Novatorum ex Liturgia.

I.

Iam ſingillatim partes ipſas liturgiæ conſideremus; monendus eſt tamen antea lector, ad quid ſtudioſius attendere debeat, quemve inde referre fructum. Dudum hic negligentia ac inconſiderantia multorum Theologorum eſt notata, quod minus gnaviter hoc ſe ſe in ſtudio exercuerint, minusve dextre iſto ſint uſi armario ad proterendas adverſariorum vires, propulſandosque inſultus. Ipſi nos provocaverunt adverſarii, atque claſſicum cecinerunt, exemplo ſcilicet veterum hæreticorum, qui Chriſtum filium Dei adoptivum, non naturalem, eſſe contenderunt. Res ipſa loquitur, quam vano conatu *Chriſtophorus* LILIENTHALIUS in tractatu hiſtorico theol. *de Canone miſſæ Gregoriano, Lugd. Batav.* an. 1740. edito, contendat, ſacratam hanc precem a ſæculo quinto ſaltem (Canonem inquam in *Gelaſiano* a) *ſacramentario* ad verbum fere expreſſum, conſtanterque ſemper in ſacra liturgia adhibitum, atque a Concilio *Tridentino* Seſſione XXII. c. 6. erroris expertem declaratum) in multis abire a doctrina catholica. Sic *Mathias Flaccus* ILLYRICUS, Centuriatorum *Magdeburgenſium* coriphæus, per miſſam veterem vulgo ſuo nomine ILLYRICI dictam, de qua in ſuperioribus paſſim locuti ſumus, domeſticis veluti nos aggreſſus eſt armis infeliciter. Mox enim palam fuit, quæ in nos hinc emiſerunt tela, in adverſarios recidere. Quod cum eius aſſeclæ adverterent, omni ſtudio oblitterarunt opus, corraſis undique exemplaribus. Quamobrem tanta facta eſt libri raritas, ut vix unum exemplar BONA, MENARDUS, COINTIUS, MARTENIUS comparare potuerint, ut noſtram inde agerent cauſam, unde eam vano conſilio labefactare adverſarii con-

Vis monumentorum liturgicorum contra adverſarios.

a) Etſi quidem multa *ſacramentario Gelaſiano* vulgato proximis ſæculis ſint adiecta, hanc tamen principaliorem liturgiæ partem primigeniam eſſe, paucis exceptis, nullus dubito.

contenderunt. Atque ab eo maxime tempore ſedulo religionis noſtræ negotium hoc tractari cœpit. Prodieruntque omnium fere chriſtianarum nationum liturgiæ veteres, illis exceptis regionibus, ubi verus exulat cultus, ceſſavitque ſacrificium. Hac effectum eſt opera, ut in luce meridiana clareſceret, nihil novum eſſe ſuſceptum in obſervantia chriſtiana, quod non ſemper & ubique apud omnes obtinuerit, idque palam & in conſpectu omnium publicis eccleſiæ conventibus, fidelibus populis pariter ac ſacrorum præſulibus, idem ſequentibus, & probantibus. Qua nulla eſt maior in eandem fidem conſenſio, ac omnium in eandem ſententiam una voce ſuffragium. *Obſecrationum quoque*, habemus in eodem argumento COELESTINI P. ad epiſcopos *Galliarum* monitum, *ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab apoſtolis tradita, in toto mundo, atque in omni eccleſia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.* Quam vero unanimis eccleſiæ vox in fide credendorum auctoritatem habet, ea ipſa etiam eſt in diſciplina populi Dei, quæ eadem quoad ſubſtantiam ſemper fuit in eccleſia, variante licet quodam veluti exteriore habitu & apparatu pro temporum, & locorum circumſtantiis. Quæ ipſa ad ornatum eccleſiæ facit varietas, qua ſe palam oſtentat mundo, ac conſpicuam reddit ſpectabilemque ac venerandam.

T. I. Epiſt. R. P. pag. 1193.

Quoad formam ac ritus exteriores.

II. Ad hoc appoſiti ſunt auguſtiſſimi illi eccleſiæ catholicæ in officio divino concelebrando ritus ac cerimoniæ. Solentque Eccleſiæ *Romanæ* id obiicere adverſarii, eam exteriori cerimoniarum apparatu & pompa fidelium animos allicere, ſibique conciliare. Quod pium utique eſt & ſanctum, ſi Dei cauſa fiat, ac imprimis neceſſarium apud rudem plebem, quæ niſi rebus, quæ feriunt ſenſus, haud facile commovetur. „Ad diſpenſationem ſacramentorum (inquit S. AUGUSTINUS) eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris, movendo affectui diſcentium accommodata, a viſibilibus ad inviſibilia, a corporalibus ad ſpiritualia, a temporalibus ad æterna.“

Epiſt. LV. n. 13.

Lingua in Sacris.

III. Maxime hoc opportune venit, quando ſacra ſolemnia alia, quam vulgari celebrantur lingua. At hoc eſt, quod ægre habent adverſarii. Nihilominus ipſos *Romanos* primum ſacra celebraſſe *Græca* lingua, *Caſp.* CALVOR coniicit ex liturgia S. IACOBI *græce* ſcripta, ac veſtigiis liturgiæ *Græcæ* in *Kyrie eleiſon &c.* In antiquioribus liturgiis *Hiſpanica*, *Gothica*, *Gallicana* vel in ipſa forma quædam veſtigia liturgiæ *Græcæ* deprehenduntur, etſi omnes ſint *latine* ſcriptæ: quæ nimirum

Rituale eccleſiaſt. P. II. §. IV. c. 12.

lingua

lingua cum ipſo imperio *Romano* undique pervagata fuit; ſola *Germania* atque adeo *Alemannia* noſtra linguam ſuam vernaculam conſervavit; ſacra tamen ſemper in latina fecit lingua. Primum monumentum habetur verſio 4. Evangeliorum *Gothica* ULPHILÆ, qui ſæc. IV. fuit *Gothorum* epiſcopus, cui etiam ritus miſſalis *Gothici*, quod tamen latinum eſt, tribuitur. Deinceps uſque ad ſæculum VIII., cui adſcribitur Abrenunciatio diaboli & profeſſio fidei ab HOLSTENIO primum edita, ut iam memoravimus, nihilque amplius quod ad rem ſit, notare potuit diligentiſſimus *Io. G.* ECCARDUS ſingulari diatraba ad verſionem *Theotiſcam* hymni *Te Deum laudamus* initio ſæculi noni factam; ubi alia antiquiora monumenta *Theotiſca* proſequitur. Quid vero? Nulli nos operæ pepercimus, quo ex antiquiſſimis, quæ conquirere multo labore potuimus documentis, undique collectis, ac in lucem protractis, liturgiam veterem *Alemannicam* illuſtraremus, nec ullum vero alterius quam *latinæ* linguæ in ſacris chriſtianis invenimus uſum. Omnia, quæ edimus, a mille annis monumenta, quæ quidem ad officium, cerimoniasque ſolemnes pertinuerunt, hac ſunt concepta lingua: quædam enim, & quidem recentiora paucorum ſæculorum, ad privatam tantum commoditatem devotionemque accommodata fuiſſe palam fecimus. Alia autem veluti catecheſes, oratio dominica, ſymbolum & his ſimilia etiamnum uſu vernaculo teruntur. Facit ipſa linguæ latinæ dignitas non modicum ad ſplendorem & maieſtatem liturgiæ, atque illius conformitatem rite ac congrue ſervandam. Incommodo autem, quod minus eſt, ut promiſcue a plebe non intelligantur, libris ac inſtructione paſtorum obviatur.

Helmſt. 1713. ed.

IV. Huc auctores præſertim medii ævi commodi ſunt in myſticis rituum rationibus reddendis. Quamvis iuxta illas prima non ſemper conſtiterit rituum inſtitutio; ſemper tamen ad ornatum & ſplendorem fuerunt, atque nullo non tempore in omni religionis cultu locum habuerunt. Ante ſæculum duodecimum haud fuerunt, qui cerimonias eccleſiæ Catholicæ cavillarent: exinde prodierunt *Petrobruſiani*, *Henriciani*, *Waldenſes*, ac *Thaboritæ*, quos novatores ſequi maluerunt, quam communem eccleſiæ uſum, ornatus & ſplendoris in cultu divino inimici, quem tamen in noſtra *Alemannia* a prima efflorеſcentis religionis chriſtianæ ætate obtinuiſſe, prolata docent monumenta.

Cerimoniæ eccleſiaſticæ quando impugnari cœptæ.

V. Statu eccleſiæ preſſo ſub imperatoribus ethnicis, & adhuc longo tempore poſt in noſtra *Alemannia*, nec *Romanum* nec Chriſti iugum ferente, ſi quæ apud nos ſcintillæ de vera fidei luce emicuerunt, parvæ illæ fuerunt ſine externo ſplendore facile iterum diſparentes. At

Veſtes, vaſa ſacra.

quando

Digitized by Google

quando ſub dominatu *Francico* eccleſia Chriſti apud nos fundata eſt atque conſolidata, prout iam undique terrarum ornatu pulcherrimo ſtetit, eodem apud nos a ſuis primordiis inſtructa eſt, & exornata cum inſigni apparatu præprimis rerum omnium ad divinum officium pertinentium, ſacrarum veſtium unice cultui ſacro deſtinatarum, pretioſorum ex auro, argento, gemmis, vaſorum, ſacrarum ædium magnifice exſtructarum, ad religionis munia ſplendide obeunda. Dum ecce, his iam ita cum inſigni pompa ſe habentibus, illi, quorum mox meminimus, decorem omnem domus Dei exoſum habentes inſurrexerunt. *Eccleſiæ ſynagogæ reputantur: ſanctuarium Dei ſanctum eſſe negatur; ſacramenta non ſacra cenſentur, dies feſtivis fruſtrantur ſolemniis*, ut de *Henriciana* hæreſi S. BERNARDUS ad ILDEPHONSUM comitem S. ÆGIDII perſcribit. Et de *Waldenſibus* RAINERIUS: „Item ornatum eccleſiæ dicunt eſſe peccatum; & quod melius eſſet veſtire pauperes, quam ornare parietes. Item de altari dicunt, quod damnum ſit, pannum putreſcere ſuper lapidem. Et quod Chriſtus non dederit apoſtolis ſtolas, nec caſulam, nec infulam. Item conficiunt in picario pro calice. Et dicunt, quod corporale ſit, ut pannus braccarum. Item de lumine dicunt, quod Deus, qui eſt vera lux, non egeat lumine; & ad hoc tantum valere in eccleſiis, ne clerici ibi pedes lædant. Item thurificationem reprobant. Aquam benedictam dicunt eſſe ut ſimplicem. Imagines & picturas dicunt eſſe idololatricas.“ Vides, quam ſedulos horum in obſcuris angulis latentium ac oblatrantium ſe ſe ſectatores præbuerint neoterici, qui omnem eccleſiæ ornatum ac decorem ſuſtulerunt cum ipſo Deo debito ſacrificii cultu. Quem *Alemannia* noſtra ab ipſis initiis ſuæ fidei tam religioſe adornavit, ſervavitque, ut illa prodent, quæ ex antiquiſſimis monumentis proferemus in lucem.

Epiſt. 241.

Bibl. PP. T. XXV. 166.

Sacrificium.

VI. Quorſum vero hæc omnia in principali ſacræ liturgiæ parte referuntur? ad ipſum nimirum iuge ſacrificium; quæ proferimus in lucem antiquiſſima *Alemanniæ ſacramentaria*, idem nobis exhibent, quod conſtanter hactenus in eccleſia obtinuit, quove immolatur ritu. Cum quidem quoad ſubſtantiam omnes in hoc conveniant tam *græcæ* quam *latinæ* variæ antiquæ liturgiæ; tum vero, quæ in noſtra *Alemannia* ab antiquiſſimis temporibus uſitata fuit liturgia, eadem prorſus eſt, prout hodieque ſervatur, atque ſervata fuit perenni ritu in eccleſia *Romana*, quæ ab apoſtolis fundata, ab apoſtolicis temporibus ſemper floruit. Superant monumenta noſtra *Paſchaſii* RATBERTI epocham, a quo tempore innovationem factam eſſe adverſarii contendunt. Quæ vero ad

hæc

Digitized by Google

ad hæc ipſa monumenta liturgica illuſtranda proferemus, & ab aliis in hoc eodem argumento ſunt allata, liquido prodent, eandem iugem obſervantiam fuiſſe in eccleſia catholica ubique & ſemper ab ipſis nimirum apoſtolis traditam. „Sed & ſuis diſcipulis (ſunt S. Irenæi verba, apoſtolicorum virorum diſcipuli) dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: *Hoc eſt Corpus meum.* Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi teſtamenti novam docuit oblationem, quam eccleſia ab apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo teſtamento.“ Alia alibi in eandem ſententiam idem profert ſignificanter, imprimis in ipſis illis fragmentis, quæ primum in lucem edidit *Chriſtophorus* Pfaffius, *Tubingenſis* academiæ Cancellarius *Lutheranus*, nihil non agens, quo genuinum perverteret ſenſum. At *Erneſtus* Grabius in nota ad laudatum mox S. Irenæi locum non ſuam ſolum, ſed aliorum etiam *Anglorum* theologorum proteſtantium ingenue aperit mentem ac votum contra Lutheri & Calvini conatus, ſacrificium chriſtianum e medio tollendi, triſti quidem apud eorum ſectarios eventu, quem cum aliis deplorat Grabius, & infectum cupit: „Ut (verba ſunt Grabii) poſtquam multi pii doctique ex parte *Proteſtantium* viri hunc Lutheri & Calvini errorem, ac veram apoſtolicæ eccleſiæ doctrinam bene agnoverunt, huius quoque ſanctiſſimas formulas liturgicas, quibus dictum ſacrificium Deo offertur, ab illis male a ſuis cœtibus proſcriptas in uſum revocent, & hunc ſummum divinæ maieſtati honorem debite reddant.“ Sanctiſſimis his formulis, quibus etiamnum utitur catholica eccleſia, refertæ ſunt antiquiſſimæ noſtræ *Alemannicæ* liturgiæ, ac ſingulis in miſſis ſacrificii vel oblationis nomine quid agatur in altari chriſtiano, declaratur.

Lib. IV. adv. hæreſ. c. 32.

Fuerunt quidem ex *Proteſtantibus*, ut Musæus cum ſuis, qui nomen ſacrificii commemorativi, vel etiam euchariſtici admitterent, etſi miſſam catholicam reiicerent; alii vero oblationis ritum ad ſolum panem & vinum in menſa ſeu altari referunt, *Lutherani* etiam, quibus ex adverſa *Calviniſtarum* parte id ſemper eſt obiectum, quod, admiſſa reali præſentia, ſacrificii rationem immerito excludant. Nebulas hic omnes ac fucos diſpellunt liturgicæ noſtræ formulæ, ac oblationis chriſtianæ rectum ſenſum uſumque declarant. Veluti mox in Natali Domini *ſecreta* oratio ſeu *ad oblata*, quæ ſemper ad hoc ſolet eſſe compoſita: *Oblatio tibi ſit Domine, hodiernæ feſtivitatis accepta, qua &*

 noſtra

noſtræ reconciliationis præceſſit perfecta placatio, & divini cultus nobis eſt indicta plenitudo. Qua vero ratione in ſola ſymbolorum panis & vini oblatione divini cultus plenitudo conſiſtere queat, aut novi præ veteris teſtamenti cultus præſtantia in tot victimarum generibus, Deo per ſe minime niſi in figura placitarum, quod mox in ſubiuncta *Conteſtatione* ſeu Præfatione in eadem miſſa diſcrimen exprimitur: „Ut tui laudis hoſtiam iugiter immolantes, cuius figuram Abel iuſtus inſtituit; agnus quoque legalis oſtendit: celebravit Abraham, Melchisedech ſacerdos exhibuit: ſed verus agnus & æternus pontifex hodie natus Chriſtus implevit.“ Sacrificium laudis, ne quem hoc moretur nomen, proprium eſt ad laudis, honoris, ac cultus Deo debiti præſtationem, quoad refertur ad Deum; quoad nos vero, ad conciliandos nobis divinæ oblationis ſeu hoſtiæ effectus, quæ in altaribus chriſtianis offertur, ut in miſſa vigiliæ Theophan. exprimitur: *Ut eum præſentibus immolemus ſacrificiis, & ſumamus, quem venturæ ſolemnitatis pia munera præloquuntur*, atque notanter etiam diſtinguitur immolatio Chriſti a communione, ſeu ab uſu iuxta *Lutheranorum* placita. Et in miſſa ſequenti, quæ ſint noſtra in altari oblata dona explicatur: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine dona propitiatus intuere, quibus non iam aurum, thus, & myrrha profertur; ſed quod eiſdem muneribus declaratur, immolatur & ſumitur* Iesus *Chriſtus.* Quibus hodieque eccleſia utitur orationibus. Veluti etiam, quæ in ſequenti miſſa occurrit: *Oblatum tibi Domine ſacrificium vivificet nos ſemper & muniat. Quæ eſt propitiatio ſeu ſanctificatio noſtra ac pro peccatis placatio.* Seu, ut in miſſa Dom. V. poſt *Epiphaniam* habetur: *Hoſtias tibi Domine placationis offerimus, ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas.* Sequitur Conteſtatio: *Tibi iſtam immolationem offerre, quæ eſt mira prorſus & ineffabilis divini gratia ſacramenti, quæ offertur a plurimis, & unum Chriſti corpus ſancti Spiritus infuſione perficitur.* Has ex primis paginis antiquiſſimi *ſacramentarii Alemannici* exempli cauſa adduximus formulas, quibus aliæ, quæ per decurſum ſequuntur, ſunt ſimiles prorſus, oblationis, immolationis, verique ſacrificii non ſolum vocibus refertæ, ſed vero etiam ſenſu e. g. in miſſa ſabb. infra Quadrageſimam: *Suſcipe Domine ſacrificium, cuius te voluiſti dignanter immolatione placari, præſtaque ut cuius* (huius) *operatione mandati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum.* Hæc nempe ſunt, quæ ex noſtra parte gerimus, ac conferimus ad divinum cultum in ſacrificio, cuius effectum placationis & propitiationis hoſtiæ intuitu ſperamus. Ut fer. VI. hebd. I. Quadrag. *Hæc in nobis ſacrificia Deus & actione*

per-

Digitized by Google

permaneant, & operatione firmentur. Et ſtatim in ſabb. *His ſacrificiis Domine concede placatus, ut qui pro propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis.* Et fer. VI. ſequenti: *Reſpice propitius ad munera, quæ ſacramus, ut & tibi grata ſint, & nobis ſalutaria ſemper exiſtant.* Sic ambo non raro connectuntur. Ut fer. II. hebd. II. Quadrag. *Hæc hoſtia, Domine, placationis & laudis tua nos propitiatione dignos efficiat.*

Cuiusmodi hoc ſit novi teſtamenti ſacrificium laudis, ſeu honoris cultusque latreutici ſoli Deo debiti, luculenter exponit Conteſtatio Hebdom. XII. poſt Pentecoſten: „Ut Te, poſtpoſito vetuſti ritu ſacrificii Te homo novis, quibus (ſic) inſtituiſti ſacrificiis ſemper honoret Domine Chriſte ſalvator & mediator noſter omnipotens, qui ad hoc mortuus es, ut iura diſſolveres mortis: tertia die ad ſuperos reſurrexiſti, quia fuiſti ſolus inter mortuos liber, neque enim poteras mortis Dominus detineri a morte, quia mortis & vitæ totam obtines poteſtatem. Quis te talem non timeat, aut quis te tantam maieſtatem non proſtratus adoret? Nos enim adoramus ſupplici corde genuflexo obſecrantes, ut erigas miſeros ad te de luto fecis clamantes, ut de tantis nos abſolvas, quibus involvimur, propitiatus peccatis, præſentis ſacrificii oblato munere ſanctificans.“ Iam vero in ipſo Canone: *Qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuisque omnibus, pro redemtione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ.* Quibus eadem ſententia pluribus verbis circumſcribitur, non iam in eo liturgiæ loco, ubi panis & vini oblatio fit, ſed conſecratio, ac etiam offerimus in miſſa divinæ maieſtati *hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam &c.* peracta iam conſecratione.

VII. Eſt hoc alterum caput controverſiæ cum una tantum factione, *Calviniſtarum* ſcilicet, de reali præſentia in Euchariſtia; ut tamen altera etiam, *Lutherana*, circa modum & momentum in conſecratione huius ſacramenti catholicum dogma laceſſat de transmutatione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini. Hoc vi verborum Domini, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei.* quæ id ſuapte præſeferunt, fieri tenet catholica veritas, compoſita ad hoc prece, quam Canonem vocamus, ubi verba Chriſti pronuntiantur a ſacerdote, poſtquam precatus eſt: „Ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Iesu Chriſti: Qui pridie &c.“ Hic (ſunt verba Amalarii) credimus naturam ſimplicem panis & vini mixti verti in naturam rationabilem ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti.“ Amalarius inter alios recen-

Quoad realem præſentiam extra uſum, ſeu transſubſtantiationem.

Lib. II. de off. c. 24.

Digitized by Google

recenſetur ab adverſariis inſurrexiſſe in *Paſchaſium* RATPERTUM, cum primum ille, ut ipſi dictitant, dogma de transſubſtantiatione protulerit. Transſubſtantiationem autem AMALARIUS aperte profitetur ad laudata Canonis verba, quæ tempore *Paſchaſii* RATPERTI cum toto ritu *Romano*, imo iam antea vigente adhuc ritu *Gallicano*, cum Canone dudum communi uſu in liturgia obtinebant in *Gallia* & aliis orbis chriſtiani partibus, nominatim *Alemannia* noſtra. Unde edimus *ſacramentarium Paſchaſio* RATPERTO vetuſtius, in quo tamen eadem verba habentur, quæ aperte transmutationem iſtam ſignificant, nullo fuco, aut perverſa interpretatione, haud magis ac verba Chriſti in alienum ſenſum detorquenda, contra ac ab omnibus ubique ſemper ſunt accepta, ipſo *Paſchaſio* RATPERTO ad publicam hanc totius eccleſiæ provocante cre-
De Sacram. Corporis & Sanguinis. dulitatem. „Nemo tamen eſt (ait) in aperto, qui hoc eſſe contradicat, quod totus orbis credit, & confitetur. Videat, qui contra hoc venire voluerit, quid agat contra ipſum Dominum, & contra omnem Chriſti eccleſiam.“

Levia ſunt, quæ contra antiquitatem liturgiarum occidentalis eccleſiæ tam *Romanæ* quam *Gothicæ* ac *Gallicanæ* profert BASNAGE in hiſt. eccleſ. lib. XVI. c. 10. p. 15. iam a VEZZOSIO exploſa præfat. in T. VI. opp. Ven. THOMASII: ubi etiam transſubſtantiationis dogma ex antiquiſſimo *Gelaſia-*
p. XXXVI. *no* adſtruit: in annotationibus item ad miſſale *Gothicum*, in quo atque etiam in miſſali veteri *Gallicano* verbum transformationis immutationis-
p. 245. 323. 334. 388. que ex *græcis* liturgiis, in quibus frequenter occurrunt, veniſſe veriſimillimum eſt. Veluti etiam invocatio illa Spiritus S. in miſſa S. LEU-
Ib. p. 323. DEGARII M. iam a MABILLONIO notata lib. III. lit. *Gallic.* p. 227. *ut deſcendat hic benedictio tua ſuper hunc panem & calicem in transformatione Spiritus ſancti &c.*

Dubium hic moveri ſolet de orientali eccleſia ex liturgiis eius orbis chriſtiani plagæ, in quibus ſimilis precatio ac invocatio ſancti Spiritus ad transformanda panis & vini ſymbola in corpus & ſanguinem Domini, etiam poſt iam enunciata verba Chriſti, habentur. Quæ ad ea ſunt referenda, quæ etiam in noſtro Canone verba Chriſti conſequuntur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus omni benedictione cæleſti & gratia repleamur.* Unde ut ante, ſic & poſtea benedictiones ſequuntur, iam facta per verba Chriſti conſecratione. Quod ipſum mox allata Canonis verba iterum declarant, & quæ ſequuntur: *Hæc commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri &c.* Tum etiam orationes illæ, quæ ante communionem ſacerdotis recitantur, (quæ quidem in antiquio-

tiquioribus *ſacramentariis* non habentur, ſed tamen modo una modo altera in ordinibus miſſæ etiam *Illyricianæ* reperitur) tum ipſa verba, quæ ad diſtributionem corporis & ſanguinis Domini adhibentur, qualia etiam in miſſa Illyrici leguntur. Licet hæc & ſimilia in ipſis, ut iam notavi, antiquioribus *ſacramentariis* non ponantur ordine; Orationes tamen ſeu Collectæ, præſertim quæ poſt communionem dicuntur, id conteſtantur, non panem tantum & vinum corporis & ſanguinis figuram eſſe, quæ ſumpſimus, quibusque ſumus *repleti cibo potuque cœleſti: divinis vegetati alimentis: repleti donorum participatione cœleſtium: divino munere refecti*, & quæ ſunt aliæ ſolemnes formulæ, cuiusmodi ante etiam retulimus de oblatione & ſacrificio, quæ tum eo ipſo eandem præſentem cœleſtem victimam Deo dignam probant, cum etiam aperte id enunciant e. g. ſecreta oratio in Epiphania: *Quibus non iam aurum, thus & myrrha profertur; ſed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & ſumitur* Iesus *Chriſtus*. Et præclara illa Conteſtatio ſeu Præfatio Dom. V. poſt Epiph. cuius etiam ſupra partem retulimus, quæ inſignem adeo explicationem ſacri huius myſterii continet in ſequentibus verbis: „Singuli accipimus Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis. Propterea ipſi, qui ſumimus communionem huius ſancti panis & calicis, unum in Chriſto efficimur corpus.“ Quam eandem Pamelius in miſſa *Ambroſiana* refert, & Muratorius in *ſacramentario Ottoboniano* S. Gregorii, licet in aliis *Gregorianis* cum eiusmodi Præfationibus omittatur. *Murat. c. 42. ſeq.* Inſigni miraculo, in vita S. Gregorii eius ſcriptores referunt, panem viſibiliter in carnem Chriſti fuiſſe mutatum intra ſacrificium: Cuiusmodi plura exempla Gezo T. III. Anecd. apud Mabillonium & Biel expoſit. in Canon. lib. 21. habent. Quæ quidem qualiacunque ſint, omnia certe hactenus prolata contra *Lutheranos* ſimul realem præſentiam extra uſum demonſtrant; ſingulariter autem rubrica illa, quæ ad diem Paraſceves etiam in antiquiſſimo noſtro *ſacramentario Alemannico* legitur: *Ingrediuntur diaconi ſacrarium & procedunt cum corpore & ſanguine Domini, quod ante die* (ſic) *remanſit*: quod *Græci* per Quadrageſimam frequentant in miſſa præſanctificatorum; *Muſ. Ital. n. 1. p. 8.* ordinarium vero fuiſſe in miſſa pontificis *Romani* antiquiſſimus ordo *Romanus* manifeſtat: aſſervata ad locum ſtationis ſolemni proceſſione portabatur Euchariſtia, ritu etiam *Gallicano* & quidem in *turribus*, ut ex liturgia S. Germani conſtat, & S. Gregor. *Turon.* lib. I. *de glor. martyr.* c. 86. teſtatur. Id quod ſucceſſu temporis cum debita pompa alias etiam cœpit frequentari.

Reliqua Sacramenta.

VIII. Quæ vero contra reliqua Sacramenta ſunt a Novatoribus obiecta, nullum nobis aptius ad ea diluenda, quam ex libris his liturgicis poteſt eſſe argumentum. In quibus nempe ſingulorum ritus & obſervatio exhibetur: ac quidem Confirmationis ſimul cum Baptiſmo, prout olim adminiſtrari ſolemne fuit in vigilia Paſchæ, Pentecoſtes, tum etiam alicubi apud nos in Epiphania, ut palam eſt ex vetuſtiſſima inſtructione eccleſiaſtici ordinis, quam ex codice *ſan-Gallenſi* edimus. Quod vero inde, quia cum Baptiſmi ritibus referuntur etiam, qui ad Sacramentum Confirmationis ſpectant, illud negandi abiiciendique occaſionem ſumpſerint Novatores, ex ipſa Sacramenti natura, inſtitutioneque divina refellitur, cuius tam frequens habetur in ſcripturis exemplum, quam ſæpe Spiritus ſanctus cum impoſitione manuum datus perhibetur, res nimirum ſacra ſeu inviſibilis cum ſigno viſibili.

Idem de Sacramento Pœnitentiæ habetur pro remiſſionis peccatorum gratia, cuius ritus ſimiliter in libris liturgicis continetur, veluti etiam articulata peccatorum confeſſio, ac tum publica cum privata Pœnitentiæ actio: atque ex formulis precum, nominatim in miſſa ab Illyrico edita, eadem peccatorum confeſſio etiam ſacerdotis comprobatur. Unde tum *Proteſtantium* error refellitur, diſtinctam peccatorum confeſſionem, ac iudicium ſuper iis eccleſiæ haud admittentium; cum etiam eorum, qui a publica hac pœnitentium actione ad ſecretam, prout illius frequentia poſterioribus temporibus invaluit, argumentum ſumunt.

Sacramenti extremæ Unctionis, ſacrorum Ordinum, & Matrimonii in facie eccleſiæ ritus ac ordines pariter in libris antiquis liturgicis habentur, cum ſacris verbis ac orationibus, quibus adminiſtrabantur, quibusque ſacer effectus a Deo promiſſus, ſigno ſcilicet viſibili inviſibilis gratia declaratur.

Quod vero in aliis ſcriptis eccleſiaſticis non tam frequens, uti de Sacramentis, Baptiſmo præſertim & Euchariſtia, ita de aliis his Sacramentis occurat mentio, in cauſa eſt, quod aut non tam neceſſaria pro omnibus, aut non tam frequens fuerit adminiſtratio, dum tamen ex publicis liturgicis libris ſatis comprobantur ſacro ritu in eccleſia fuiſſe adminiſtrata.

Myſteria Trinitatis, Incarnationis, & gratiæ explicata.

IX. Myſteria noſtræ ſalutis, prout per annum decurrunt feſtivitates, eximie explicantur in veteribus *conteſtationibus* & Collectis. Celebrando feſto SS. Trinitatis crediderim anſam dediſſe inſignem eo de myſterio Conteſtationem in miſſa *Domin. oct. Pentecoſt.* quæ hodieque canitur, nuper a Clemente XIII. ſingulis dominicis, ut medio ævo obtinebat, cani præcepta: „Qui cum unigenito Filio tuo & Sancto Spiritu unus es Deus, unus es Dominus: non in unius ſingularitate perſonæ, ſed in unius

Tri-

Trinitate ſubſtantiæ. Quod enim de tua gloria revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu ſancto ſine differentia & diſcretione ſentimus. Ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in maieſtate adoretur æqualitas. Quem laudant &c."

Non minus luculenta leguntur de myſterio Incarnationis, redemtionis ac gratiæ imprimis, contra *Socinianos*, *Remonſtrantes*, *Arminios*, aliosque minus digne theologo chriſtiano & catholico de virtute gratiæ Chriſti ſentientes. Quoad primum unam hic *conteſtationem* ex miſſa *in vigilia natalis in nocte* notamus: „Cuius divinæ nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo, quem ſemper filium & ante tempora æterna generatum, quia tibi pleno atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, verum etiam honore, maieſtate, atque virtute æqualem tibi cum ſancto Spiritu confitemur, dum trino vocabulo unicam credimus maieſtatem, quam laudant &c." Quoad alterum rem omnem complectitur brevi ſermone Conteſtatio in Quinquageſima eiusdem antiquiſſimi *ſacramentarii Rhenaugienſis* eiuſcemodi: „Ut modulum terrenæ fragilitatis aſpiciens non in ira tua pro noſtra pravitate nos arguas: ſed immenſa clementia tua purifices, erudias, & conſoleris: quia cum ſine te nihil poſſumus facere, quod tibi ſit placitum, tua nobis gratia ſola præſtabit, ut salubri cum converſatione vivamus."

Per quadrageſimalia officia præſertim pro fructu ieiunii ac aliorum bonorum operum meritis orationes ſunt compoſitæ, *ut & tibi grata ſint noſtra ieiunia, & nobis proficiant ad medelam*, mox fer. IV. *Cap. de ieiuniis.* Et ſeq. dominica prima in Quadrageſima, *ut quod a te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis moribus exequatur.* In *Gregoriano* vulgato habetur *bonis operibus.* Sabbato ante Dominicam IV. Quadrageſimæ ſic rogat eccleſia: *Et ad te noſtras etiam compelle rebelles propitius voluntates.* Iisdem propemodum verbis, quæ in *ſan-Blaſiano* habet ſecreta Dom. V. poſt Pentec. Sabbato S. poſt lectionem II. de Noe hæc legitur oratio: „Deus incommutabilis virtus & lumen æternum, reſpice propitius ad totius eccleſiæ tuæ mirabile ſacramentum, & opus ſalutis humanæ, perpetuæ diſpoſitionis effectu tranquillius operare: totusque mundus experiatur & videat, deiecta erigi, inveterata renovari, & per ipſum redire omnia in integrum, a quo ſumpſere principium. Per &c." Notatu dignæ ſunt pleræque, poſt reliquas prophetias etiam in ſabbato Pentecoſtes, orationes. Veluti poſt lectionem *Temptavit Deus* Abraham: *Concede nobis & noſtræ voluntatis pravitatem*

tem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. In paſchalibus miſſis de gratia præcipue regenerationis per baptiſmum, in pentecoſtalibus vero de gratia ſanctificationis per Spiritum ſanctum pulcherrimæ habentur Collectæ, refertæ ſalubri de gratia Chriſti doctrina, veluti in dominica Paſchæ: *Vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adiuvando proſequere.* Dom. III. poſt octav. Paſchæ: *Deus qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.* Dom. IV. poſt oct. Paſch. *Deus a quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus, ut cogitemus te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus.* Notabilis imprimis eſt oratio in Dominica octava Pentecoſt. contra philoſophiæ fallacias: *Timentium te Domine ſalvator & cuſtos, averte ab eccleſia tua mundanæ ſapientiæ oblectamenta fallacia, ut ſpiritus tui eruditione formandos prophetica & apoſtolica potius inſtituta, quam philoſophiæ verba delectent, ne vanitas mendaciorum decipiat, quos eruditio varietatis illuminet.* Habetur in eadem miſſa allata de SS. Trinitate Conteſtatio, quamvis nihil aliud de feſto SS. Trinitatis, quod ea die nunc celebratur, occurrat. In dominicis poſt Pentecoſten eadem fere de gratia materia habetur in orationibus: E. g. Hebd. IV. poſt Pentecoſten: *Deprecationem noſtram, quæſumus Domine, benignus exaudi, & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium*, Hebd. X. *Largire nobis Domine quæſumus, ſemper ſpiritum in cogitando, quæ recta ſunt propitius & agendi, ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te vivere valeamus.* Et ſeq. Dom. XI. *Pateant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & ut petentibus deſiderata concedas, fac tibi eos quæſumus, quæ ſunt placita poſtulare:* Hebd. XII. orat. 2. *Deus, qui iuſta poſtulantes exaudis, qui ſi qua in nos bona ſunt opera, & ipſe inſinuas, & inſinuata conſumas, quæſumus, ut & cor noſtrum ad expugnandas dilates paſſiones, ſenſuſque noſtros ad impugnationum certamina ſuperanda conſerves, dum digne vitiis noſtris iraſcimur, pietatis tuæ veniam conſequamur.* Hebd. XV. *Ut mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Et hebd. XX. *Fac nos Dne, quæſumus, prompta voluntate ſubiectos, & ad ſupplicandum tibi noſtras ſemper excita voluntates.* Hebd. XXII. *Dirigat corda noſtra, Domine quæſumus, tuæ miſerationis operatio: quia tibi ſine te placere non poſſumus.* In Præfat. ſeu Conteſtatione eiusdem hebd. XXII. hæc inter alia habentur verba: *Quia non vis invenire, quod damus, ſed eſſe potius quod corones.* Hebd. XXVI. orat. 2. *Crea*

in

Digitized by Google

in nobis fidelium corda filiorum &c. Hebd. XXVII. ſecreta. *Omnium noſtrorum ad te corda converte, ut a terrenis cupiditatibus liberi in cæleſtibus deſideriis transeamus.* Incipit prima illius domin. oratio a verbis *Excita Domine &c.* ut cæteræ pleræque per adventum: *Excita Domine potentiam tuam & veni &c. Excita.... & magna nobis virtute ſuccurre &c.* Univerſim magnam partem liturgicæ orationes factas ſe potiſſimum eo tempore commonſtrant, quibus *Pelagiana* hæreſis doctrinam catholicam de gratia labefactare conata eſt. Quamvis etiam eadem doctrina antiquiores orationes ſint refertæ, atque earum auctoritas a doctoribus catholicis prolata a S. AUGUSTINO, & a COELESTINO P. in laudata iam ad *Gallos* epiſ. epiſtola.

S. AUGUSTINUS ſæpe hoc adverſus *Pelagianos* & *Semipelagianos* utitur argumento. Sic VITALEM *Semipelagianum* provocat epiſt. 207. *Exere contra orationes eccleſiæ diſputationem tuam &c.* Et ut imprimis neceſſitatem gratiæ ad bene operandum aſtruat: *Nemo eſt*, ait, *tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat, Deum facere, quod rogari ſe præcepit.* His autem petitionibus plenæ ſunt eccleſiæ preces: etiam quod ſingulariter obſervat S. Pater pro infidelibus, ut credant: ut catechumenis baptiſmi deſiderium inſpiret; ut iuſtis perſeverantiam largiatur. In libro de peccatorum meritis, cum articulatim quid eccleſia pro fidelibus potiſſimum oret, recenſuiſſet, modum etiam divinæ illuſtrationis ac illapſus ſic explicat: „Cur autem ab illo illius adiutorium deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & ſuave faciat, quod non delectabat? Quia & hoc ab illo eſſe deprecandum, eius gratia didicimus, dum antea lateret; eius gratia dileximus, dum antea non delectabat.“ In libro *de Prædeſtinat. Sanctorum*, dum eos doctores tractatoresque eccleſiaſticos excuſat, qui ante exortam hæreſin breviter hæc & transeunter attigerunt, addit: „Frequentationibus autem orationum ſimpliciter apparebat Dei gratia quid valeret; non enim poſcerentur a Deo, quæ præcepit fieri, niſi ab illo donaretur, ut fierent.“ In libro *de dono perſeverantiæ*, cum S. CYPRIANUM in orationem dominicam cap. 6. citaſſet, ſequens caput ſic ipſe auſpicatur: „Si ergo alia documenta non eſſent, hæc dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nobis gloriemur. Siquidem, & ut non diſcedamus a Deo, non oſtendit dandum eſſe, niſi a Deo, cum poſcendum oſtendit a Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non diſcedit a Deo.“ Et poſtea: „Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus a Deo. Manus, inquam, eius eſt iſta, qui dixit: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant.* Propter quod & poſci a ſe

Ibid. n. 27.

Num. 32. ſeq.

C. 14.

Hier. XXXII. 40.

ſe voluit, ne inferamur in tentationem: quia ſi non inferamur, nulla ab eo ratione diſcedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, a quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, niſi ab illo accipimus, a quo iuſſum eſt, ut petamus? Prorſus in hac re non operoſas diſputationes exſpectat eccleſia, ſed adtendit quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent; Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem.“ Eadem proſequitur capite 23. eiusdem libri. Ipſam igitur orationem clariſſimam gratiæ teſtificationem vocat in epiſtola 177. (al. 95.) n. 4. ad Innocentium P. Eadem in iam laudata ad epiſcopos *Galliarum* epiſtola ediſſerit Coelestinus Papa his verbis: „Cum enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut *Iudæis* ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cœleſtis miſericordiæ aula reſeretur.“ Quæ omnia, ut in antiquiſſimis noſtris *ſacramentariis* continentur, hodieque in die Paraſceves ordine fiunt orationes. Ad hanc Coelestini P. auctoritatem provocat Card. Noallius archiepiſcopus *Pariſienſis* in inſtructione paſtorali circa prædeſtinationem & gratiam, additque: „Magiſter itaque cœleſtis petentibus apoſtolis, ut ſe doceret orare, edicit, & omni ſimul eccleſiæ, ad quam pertinere voluit data apoſtolis documenta, edicit, inquam, ut petant, ut morum noſtrorum integritate Dei ſanctificetur nomen; illius regnum, cui ſubiecta ſunt omnia, cito adveniat, fiat illius voluntas ſicut in cœlo & in terra: panem quotidianum det nobis, id eſt, cibus tum animæ, tum corpori neceſſarius, illius liberalitate nobis impertiatur. Quemadmodum neceſſaria donari nobis petimus, ſic etiam impendentia mala procul ut avertat, oramus: Ne nos ſcilicet inducat in tentationem, nos a malo liberet, id eſt a peccato, quod ſolum malum eſt, & malorum omnium fons & origo. Quæ a peccato libertas perſeverantiam includit finalem, ut ipſa tradit eccleſia in ea oratione, quam ore miniſtrorum ſuorum uſurpatam voluit, & fidelibus in verendis myſteriis proponit: *Fac, Domine, me tuis ſemper inhærere mandatis, & a te numquam ſeparari permittas.* Unanimis eſt circa eam orandi formam Orientis Occidentisque conſenſus, & iam mille & amplius abhinc annis hanc liturgiæ *Baſilianæ* orationem laudaverunt divinæ gratiæ defenſores, & imprimis Petrus *diaconus*, & ii, qui cum eo ob quæſtiones fidei ex Oriente *Romam* miſſi fuerant, in ſua epiſtola ad epiſcopos in *Sardinia* exu-

Digitized by Google

exules: *Dona Domine virtutem ac tutamentum: malos, quæſumus, bonos facito, bonos in bonitate conſerva: omnia enim potes, & non eſt, qui contradicat tibi: cum enim volueris, ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* Ad eandem omnipotentem Dei voluntatem attendit eccleſia, cum hanc orationem recitari voluit: *Ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Non quod inviti iuſtificemur, & ſalvemur, ſed quia Deus voluntates noſtras e rebellione revocat ad obſequium; easque traducit ad amorem rerum, quas oderant prius.“ Hactenus Noallius in inſtructione paſtorali ſeu mandato, quod integrum refert *Caſp.* Juenin ad calcem tractatus de gratia, ubi idem etiam verſat argumentum, atque inter alios P. Henr. a *S. Ignatio* in appendice ad Theologiam moralem abbreviatam ſanctorum, ſive *Moliniſmi* profligati cap. VIII. Quæ ſane, aliaque quam plurima ſi ductore S. Augustino ſepoſitis partium ſtudiis expendiſſent ii, qui ſæculo poſtremo actum eſſe de humana libertate exiſtimabant, admiſſa ſemel divinæ voluntatis in hominum corda poteſtate ſuprema, nunquam arbitramur, tam funeſta excitanda fuiſſe diſſidia in Eccleſia, *Gallicana* præprimis & *Belgica.* Profecto neque Augustinus magnus ille gratiæ vindex, ita divinæ potentiæ iura tuebatur, ut illa humanæ libertatis conculcata vellet, prout perſpicue L. I. cont. 2. ep. *Pelag.* cap. 20. n. 38. tradit, idem argumentum de oratione verſans: ubi: „Quid eſt (inquit) quod Esther illa regina orat & dicit, *da ſermonem concinnum in os meum, & verba mea clarifica in conſpectu leonis, & converte cor eius in odium impugnantis nos.* Ut quid iſta in oratione dicit Deo, ſi non operatur in cordibus hominum voluntatem? . . . Antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt a voluntate lædendi ad voluntatem favendi: ſecundum illud Apoſtoli: *Deus operatur in vobis & velle.* Numquid homines Dei, qui hæc ſcripſerant, imo ipſe ſpiritus Dei, quo auctore per eos iſta conſcripta ſunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Abſit: ſed omnipotentis in omnibus & iudicium iuſtiſſimum, & auxilium miſericordiſſimum commendavit.“ Quibus ultimis verbis S. Augustinus myſterium gratiæ, ut alibi frequentiſſime, exponit, prorſus illius methodi ignarus, quam quidam recentiores ad conciliandam cum humana libertate divini auxilii vim atque ἐνέργειαν invita ſacra antiquitate in ſcholas invexerunt. Audiant iſti, quæ laudatus S. Doctor *Enchirid.* cap. 58. n. 25. ſcribit: „Quis tam impie deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere? ſed cum facit per miſericordiam facit:

cum autem non facit per iudicium non facit; quoniam *cuius vult miſeretur*, & *quem vult obdurat.*" Innumeris aliis teſtimoniis, quæ in hanc rem ex eodem S. AUGUSTINO, ab antiquis æque ac recentioribus ſummis pontificibus præcipue ob puriſſimam de gratia IESU CHRISTI doctrinam ſummis encomiis celebrato, adferri poſſent, ſuperſedemus, ne a ſcopo nobis præfixo longius aberrare contingat.

Cultus Sanctorum.

X. Quoad cultum vero, invocationem & interceſſionem Sanctorum, feſtaque in honorem eorum inſtituta, quæ in omnibus veteribus liturgiis habentur cum Collectis, quibus ſolemnis eorum invocatio continetur, ac fiducia de ſalutari apud Deum interceſſione, nihil opus eſt ſingillatim referre. Quodlibet enim Sanctorum feſtum eius rei argumenta præbet. Cum primum in lucem produxit veterem latinam miſſam *Flaccus* ILLYRICUS, is cum ſuis aſſeclis inſultandi inde anſam arripuit, quod nullas eiusmodi peculiares contineret Collectas ac feſta de Sanctis, haud aliter ſcilicet, ac alia etiam Nativitatis Chriſti, Paſchæ, Aſcenſionis Domini ac Pentecoſtes, quæ inde ab apoſtolicis temporibus celebrata fuerunt: quod nimirum communis ac generalis ſit miſſæ ordo ille. In quo ipſo tamen paſſim Sanctorum fit memoria, ac invocatio ad eorum obtinendam interceſſionem. Quæ una ex præcipuis cauſis fuit, cur eam poſtea tam ſtudioſe ſupprimere conarentur; noſtri autem in aliis etiam antiquis monumentis liturgicis in lucem proferendis ſtudia impenderent. Cuiusmodi cum nulla ſupra ſæculum V. aſcendat, eo ſæculo tandem componi cœptas eiusmodi Collectas perſuadere conantur. At non ſequitur, nullas omnino fuiſſe ſolemnes liturgiæ formulas, eoquod nullæ ad nos ex prioribus ſæculis ſint perlatæ.

Ex Canone etiam miſſæ adverſus nos argumentantur, quia ibi communio tantum Sanctorum ac memoria habetur, nempe in ſacratiſſima parte ſacrificii, ubi ipſe ſanctus ſanctorum Chriſtus IESUS æterno Patri offertur hoſtia. Unde etiam antiquiſſima conſuetudo revocata eſt, ut nulli præter beatiſſimam M. Virginem, niſi martyres nominentur, qui profuſione ſanguinis peculiari ratione ſacrificio Chriſti cruento coniuncti ſunt; quod ſingulari ratione exprimitur in *ſecreta* oratione miſſæ in natali S. LEUDEGARII his verbis: *Sacrificia tibi, Domine, veneranda probati martyris tui* LEUDEGARII *paſſione ſuppliciter immolamus, ut eius orationibus placeant, pro cuius meritis offeruntur.* In eo vero *ſacramentario* antiquiſſimo plures confeſſores in Canone nominantur, quam feſta habeantur in ipſo *ſacramentario:* dum contrarius e diametro uſus poſtea invaluit. Ad quam formam iam redacta eſt ex uſu eccleſiæ *Romanæ* liturgia

turgia nongentorum annorum, quam ex codice *ſan-Blaſiano* edimus. Antiquiſſima tamen *Rhenaugienſis*, quos nominat confeſſores, in prima tantum habet Sanctorum commemoratione ante conſecrationem, nullum autem in altera poſt conſecrationem, quamvis id etiam paſſim uſu obtinuerit multis poſt ſæculis.

XI. Id vero ſingulare eſt antiquiſſimæ noſtræ liturgiæ, quod mortuorum duplex fiat commemoratio in Canone ante & poſt conſecrationem. Duplici nimirum argumento contra adverſarios orationis pro mortuis in ſacratiſſima liturgiæ parte. Quemadmodum etiam in particularibus miſſis pro defunctis *infra actionem* haud infrequenter peculiaris oblatio habetur proxime ante conſecrationem. Et quidem in miſſa pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam & minime conſecutis his verbis: *Hanc igitur oblationem, quam tibi offert famula tua ill. pro anima famuli tui ill. cuius depoſitionis diem ill. celebramus.* Unde comprobatur antiquiſſimus uſus, quo pro defunctis miſſæ celebrari ſunt curatæ. Prout exemplum apud GREGORIUM occurrit de muliere quadam: „Per annum integrum aſſidue orationi vacabat, celebrans quotidie miſſarum ſolemnia, & offerens oblationem pro anima viri, non diffiſa de Domini miſericordia, quod haberet defunctus requiem in die, in qua Domino oblationem pro eius anima delibaſſet.“ Scilicet, ut ex S. GREGORIO iam in principiis theologiæ liturgicæ retuli: *Pro quo iam velut mortuo hoſtias hebdomadibus ſingulis* CURABAT OFFERRE.

Preces & ſacrificia pro defunctis.

De Gloria Confeſſ. c. 65.

Sect. I. c. 2. §. 25.

Digitized by Google

DISQUISITIO III.

DE PUBLICA IN ECCLESIA, SACROQUE CUM APPARATU, CELEBRATIONE LITURGIÆ IN MISSA.

CAPUT I.

De ſacris ædibus, earumque ad celebrationem Miſſæ apparatu.

I.

Sacrarum ædium nomina apud noſtrates.

Walafridus STRABO in libro de Exordiis & Incrementis rerum eccleſiaſticarum, ſingulare caput ſeptimum inſcribit: *Quomodo theotiſce domus Dei dicatur.* Et poſtquam quædam notaſſet nomina, quæ tum ex latina cum græca lingua, præſertim in religionis chriſtianæ rebus, derivata eſſent, quoad græca præſertim vocabula aptam huius rei originem prodit. „Si autem (inquit) quæritur, qua occaſione ad nos veſtigia hæc *Gracitatis* advenerint, dicendum & *Barbaros* in *Romana* republica militaſſe, & multos prædicatorum græcæ & latinæ locutionis peritos, inter has beſtias cum erroribus pugnaturos veniſſe: & eis pro cauſis multa noſtros, quæ prius non noverant, utilia didiciſſe, præcipueque a *Gothis*, qui & *Getæ*, cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti licet non recto itinere perducti ſunt, in *Græcorum* provinciis commorantes noſtrum id eſt theotiſcum ſermonem habuerint. Et (ut hiſto-

Digitized by Google

hiſtoriæ teſtantur) poſtmodum ſtudioſi illius gentis divinos libros in ſuæ locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam *Scytarum* gentes, maxime *Tomitanos*, eadem locutione, divina hactenus celebrari officia.“

Singula nunc hæc non diſcutio, tantum quod propoſitum eſt, dixeratque a *Græcis* inter alia STRABO, *Kyrch a Kyrios* nos accepiſſe. *Sicut itaque*, ait, *domus Dei baſilica, id eſt, regia a rege, ſic etiam Kyrica, id eſt dominica, a Domino nuncupatur.* HONORIUS *Auguſtodunenſis*, provinciæ ſcilicet *Lugdunenſis* in *Gallia* (unde ſub SS. POTHINO & IRENÆO, *Græcis* origine, lucem aliquam veræ religionis apud nos illuxiſſe ſupra diximus) idem etymon prodit c. 31. de eccleſia. „Ipſa (inquit) *Kyrica* vocatur, id eſt dominicalis: *Kyrios* græce, latine *Dominus*: ipſa etiam appellatur baſilica, id eſt regalis domus.“ BEVEREGIUS in Can. XV. *Ancyr.* provocat ad laudatum WALAFRIDUM, ut hanc ſaltem vocem, eccleſiam in genere ſignificantem, a *Græcis* mutuatos eſſe *Germanos*, ſtatuat: uti etiam antiqui *Saxones* eccleſiam quamlibet *Kyrik* vocarint. „Unde (ſubdit) in *Scotia* & Septentrionalibus *Angliæ* partibus *Kyrk* nobis vulgo, ſed magis corrupto nomine *Church*, duplici aſpiratione nuncupatur. Quum autem hæc communis fuerit maioribus noſtris eccleſiæ cuiuslibet templive denominatio, veri nobis ſimillimum videtur, prima chriſtianæ religionis ſemina a *Græcis* heic diſperſa fuiſſe. Neque enim exiſtimandum eſt, quod *Latini* græcum nomen eccleſiis imponerent.“ BINGHAMUS illud non adeo planum exiſtimat, a *Græcis*, non autem *Latinis*, prima chriſtianæ religionis fundamenta in *Britannia* iacta eſſe, inde ſtatui poſſe quod nomina κυριακὸς, & *Kyrk*, ſibi affinia ſint: forte quod a *Saxonibus* ea vox inferri potuerit *Britanniæ*; quamvis imbuti chriſtiana religione, dum in *Angliam* transfretarunt, non legantur: ea vox tamen haud dubie chriſtianæ originis eſt, quam indigitavimus, ipſeque BINGHAMUS & apud eundem FELLUS confirmat notis in S. CYPRIANUM, apud quem eadem vox latina *Dominicum* pariter, ac apud S. HIERONYMUM, & in actis ſinceris MM. apud RUINARTUM occurrit, ut iam in principiis theologiæ §. 60. notavimus.

Apud Pez. T. III. P. I. Anecd. p. 285.

Orig. eccleſ. lib. VIII. c. 1.

p. 270.

Io. CIAMPINI *Veter. monument.* P. II. c. 24. tractat *de eccleſia S. Mariæ in Domnica urbis* (*Romæ* ſcilicet) ſive in *Dominica* aut *Kyriaca.* Refellit autem MARTINELLUM in ſua *Roma* ex ethnica ſacra, opinantem eam eccleſiam a nobili matrona CIRIACA nomine in propria domo conſtructam fuiſſe: CIAMPINI vero nobiſcum græcæ & latinæ appellationis eandem agnoſcit rationem p. 141. Id quod iam probaverat

P. I.

P. I. c. 17. p. 144. non ſolum ex S. CYPRIANO, ex conciliis *Ancyrano* can. 15. *Neocæſarienſi* can. 5. *Laodiceno* can. 28. in quibus eadem vox græca in autographis, latina vero, *Dominicum* nempe, in verſionibus latinis legitur.

Inde paſſim auctores vocem noſtram *Dom* derivant, veluti a κυριακὸν, *Kyrch*. „Et in vernaculis noſtris linguis (inquit FELLUS loco mox citato) noſtratium *Church*, & *Germanorum Dohm* ex hoc fonte liquido deducuntur." GRETSERUS de funere chriſtiano: „Eſt autem (inquit) κυριακὸν, ad verbum *Dominicum*. Unde *Germani* habent voculam ſuæ linguæ *Dom* ſeu *Thom*, *Thum* pro templo cathedrali." Quodſi ingenioſæ interpretationi *Godofr.* SIBERI in peculiari diſſert. in *templorum condendorum ac dedicandorum ritus*, locus detur, qua cenſet, Chriſtum, dum arcana apoſtolis credita ἐπὶ τῶν δωμάτων edi vellet lucæ XII., non tecta aut ſeceſſus indicaſſe, ſed inſtar vatis δώματα illa, & ſplendida ædificia præſignificaſſe, quæ poſteritas exſtruxit, haberemus etiam græcam originationem, perinde ac vocis *Kyrch*. Qua de re, quidquid ſit, SCHANNATUS S. WILLIBALDI verba, in vita S. BONIFACII de repertis *S. Martyris* codicibus & *ad domum* remiſſis, non aliam quam ſacram S. BONIFACII ædem, in qua corpus eius depoſitum fuerat, intelligendam exiſtimat ad calcem collect. I. Vindem. liter. p. 217. Apud *Walafridum* STRABONEM certe eccleſia etiam dicitur *Domus* (uti *templum* quæ vox pariter in noſtram vernaculam abiit) ſicque GOLDASTUS *Dom* noſtrum a Domo derivat, ſed *Bartholomæo* SCHOBINGERO in additionibus ad *Ioach.* VADIANI farraginem antiquitatum idcirco notatur. „Collegia etiam monaſteria dicta, hodie *Münſter*, antiquitus Dominica appellata, non a domo (quod pace GOLDASTI noſtri dictum volo) ſed a Domino, quod in iis propter Dominum coibant. Hinc *Germani* epiſcopalia, & cathedralia templa adhuc *Tom-Kyrck*, & canonicos *Tomherren* appellant." In eadem ſententia eſt B. RHENANUS citatus ab HOSPINIANO de origine templorum in hæc verba: „*Germani* etiamnum epiſcopalia templa, quæ certe primaria ſunt, & reliquis antiquiora *Dom* vocant & illorum canonicos *Domherren*, quaſi dicas: *Dominicales*, ſeu *Dominicanos dominos*: ſicut & *Templariis* olim a templo datum nomen. Extat adhuc in *Tribonis* inter *Elcebum* pagum, qui *Sletſtadio* originem ac nomen dedit, & *Argentoratum* prope *Mollesheimium* ſacellum quoddam vetuſtiſſimum, etiam gentilium *Romanorum* monumentis ſpectabile, quod vernacula ſimplicitas *Domphieter* appellat, hoc eſt *Dominicum Petri*."

Lib. III. c. 5.

De exord. & increm. rer. eccl. c. 6.

T. III. Rer. Alem. p. 90.

c. 7.

Quod

Quod vero Vadianus primum dicit, eſt notandum de germanica noſtra voce *Münſter*, ac gallico *Monſtier* eiuſdem originis, qua eccleſiæ etiam ſeu baſilicæ denotantur, eſtque frequens medio ævo vocis latinæ in eundem ſenſum uſus, ut iam ad conc. *Rotomagenſe* an. 1072. obſervavit *Angelus* Godin: „apud Gregorium *Turonenſem*, Fredegarium, Abbonem *Floriacenſem* & pleroſque alios (inquit) rerum noſtrarum ſcriptores ævi antiquioris, penes quos, quemadmodum a ſenſu contrario in chartis & diplomatibus antiquis eccleſiæ nomine monaſterium ſeu collegium, aut certe beneficium eccleſiaſticum tum ſæculare tum regulare venire conſuevit, per ſynecdochen a nobiliori parte ſumpta denominatione, æde nimirum ſacra cultui divino dicata, qua potiſſimum conſtant.“ Interdum autem monaſterii nomine ſacra ædes monaſtica, nonnunquam eccleſia cathedralis, ſæpius vero parœcialis deſignatur. Quod Marshamus in præfatione ad Monaſticum *Anglicanum*, idem Gretserus de *Germania* noſtra obſervavit, certum eſſe, germanicum nomen *Münſter*, quo multis in locis eccleſiæ cathedrales appellantur, a monaſterio deſcendere, quia primi illi Canonici vitam monaſticam profitebantur. Huiusmodi ſeptem in *Germania* noſtra, ac novem in *Anglia* enumerat Mabillonius. Proprie ergo dicta erant monaſteria ædes ipſis eccleſiis contiguæ, ubi epiſcopus cum ſuo clero habitabant. „Nam (inquit Vadianus) & ædes epiſcoporum, quæ unacum collegiis contiguæ baſilicis erant, monaſteria dicta ſunt, non minus quam cœnobia, nomine etiamnum vulgo durante.“ Hinc intelligitur, quod in vita Ottonis epiſcopi *Babenbergenſis* apud Canisium refertur: „Quomodo monaſterium cathedralis eccleſiæ ad uſum reſtauraverit & ornaverit,“ ut habet inſcriptio, & mox ſequitur: „In diebus ipſius ſemper honorandæ memoriæ Ottonis cathedralis eccleſiæ monaſterium, quod ſub anteceſſore ſuo, Domino permittente, uſque ad ſolos muros ſuperſtites conflagratum erat incendio, multis ſumptibus ab eo ad priſtini decoris nobilitatem reparatum eſt.“ Clerus ergo, qui in his monaſteriis habitabat, ad eccleſiam cathedralem ſpectabat, diſtinctus ab illo, qui in maioribus urbibus aliis eccleſiis præerat, quæ etiam *cardinales* vocabantur, uti habetur in Capitulari Caroli M. „Ut præpoſiti cardinalium eccleſiarum obedientes ſint epiſcopis ſuis, & epiſcopi eos a ſuis, vel aliis iuſtis utilitatibus expellere non præſumant abſque culpa, iuſta ratione, & nulla eis per violentiam imponatur.“

T. XII. Conc. Ed. Ven. p. 219.

Præfat. in ſæc. III. §. III. n. 26.

&c. De collegiis monaſteriisque Germaniæ veteribus. T. III. P. II. pag. 51.

T. I. Conc. Germ. pag. 427. c. 21.

Haud obſcure hic deſignatur titulus beneficii curialis ad exemplum urbis *Romanæ*, in qua tituli ſunt baſilicæ, quibus certi ſacerdotes & miniſtri adſcripti ſunt. Quales in concilio *Romano* ſub Symmacho an. 499. ſexaginta ſex presbyteri titulati ſubſcripſerunt. De quibus agit Mabil-

T. II. Muſ. Ital. p. XII. LONIUS Commentario in ordinem *Romanum*, ubi diſtinguit quadruplicem in urbe *Romana* eccleſiarum claſſem, patriarchales, titulares, diaconias, oratoria, ſeu cœmeteria. Titulos autem appellatos dicit parœciales eccleſias, quibus animarum cura addicta erat, ſingulisque ſinguli primo presbyteri hanc curam gerentes, deinde plures, quorum, qui principalior erat, Cardinalis dicebatur. Tituli habebant diœceſes ſeu parochias ſibi præfixas ac definitas. Vide etiam de titulis BARONIUM notis ad Martyrol. *Roman.* diebus *26. Iulii* & *5. Auguſti*, eundemque die *6. Iulii.*

Alia ædium ſacrarum nomina.

II. De Martyrio, Memoria, baſilica, oratorio & Confeſſione (quibus nominibus ſacræ ædes veniebant) earumque origine *Romæ* præſertim a prima eccleſiæ ætate idem BARONIUS erudite tractat ad an. LVII. SELDEN. de Iure nat. & gent. p. 301. DUCANGIUS in gloſſar. &c.

Quædam vero eorum nominum totas ædes ſignificant, quædam etiam earum ſingularem deſignant partem, veluti *confeſſio*, ſeu quod idem ſonat *martyrium.* Attamen hac voce venit quoque inſignis eccleſia, a CONSTANTINO M. in memoriam paſſionis dominicæ in monte calvariæ exſtructa, vocata *Martyrium magnum. Romæ* vero eccleſiæ SS. PETRI & PAULI hoc nomine inſignitæ ſunt, apud EUSEBIUM lib. II. c. 25. a CAIO, qui ſub ZEPHYRINI pontificatu vixit, *Apoſtolorum trophæa* dicta: ad quæ etiam OPTATUS *Milev.* L. II. contra *Donat.* provocat: „Præſentes ſunt ibi (inquit) duorum memoriæ apoſtolorum." Rationem huius appellationis ex S. AUGUSTINO reddit laudatus CIAMPINI monum. vet. P. I. c. 19. variaque in eandem rem colligit teſtimonia de Memoriis martyrum a primis eccleſiæ ſæculis conſtitutis, ut ex epiſtola *Smyrnenſium* de martyrio S. POLYCARPI apud EUSEBIUM L. IV. c. 15. conſtat: ac S. CYPRIANUS ad clerum ſuum ſcribens monet: *Dies eorum, quibus excedunt fratres noſtri, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus. Concilia* autem *martyrum* vocata fuiſſe docet BARONIUS in martyrol. ad diem 23. *Iunii.* item ad diem *6. Iulii.* Martyrium nil aliud niſi locum, in quo martyr tumulatus eſt, deſignare, etiam laudatus obſervat CIAMPINI *Walafridum* etiam STRABONEM citans, qui de exordiis & incrementis rerum eccleſ. c. 6. dicit, martyria vocari eccleſias, quæ in honorem aliquorum martyrum fiebant. Voci martyrium quidem reſpondet latina Confeſſio, ut tamen paſſim pro altaribus ſumatur apud eundem ex libro pontific.

Celebris *Romæ* eſt *confeſſio*, ubi corpora SS. Apoſtolorum PETRI & PAULI requieverunt, tabernaculum vario opere exornatum, quod ONUFRIUS deſcribit, atque cur ita vocaretur, hanc reddit rationem, quod

nullus

nullus peregrinus in baſilicam admitteretur, quin prius libellum fidei ſuæ edidiſſet, quod ad Confeſſionem beati PETRI fieri ſolitum affirmat. „Verum (inquit MABILLONIUS) cum Confeſſio ipſa in intima baſilicæ parte locata eſſet, prius in baſilicam advenis concedebatur ingreſſus, quam fidei profeſſionem emiſiſſent. Simplicius eſt, ut Confeſſio inde appellata dicatur, quod ſit locus confeſſoris ſeu martyris.“ Atque ita id nomen alibi etiam gentium occurrit, veluti in actis S. THEODOTI *Ancyrani* apud RUINARTUM: „Ad hoc ergo ſe concluſerat in parva domuncula prope Confeſſionem Patriarcharum, quæ pauperis cuiusdam erat THEOCHARIDIS nomine. Et poſtea: „Veſpere vero facto, qui cum THEODOTO erant, ibi manſerunt, ipſe vero progreſſus ad Patriarcharum Confeſſionem, cum obſtructam illam ab impiis reperiſſet, ne quis chriſtianorum illuc poſſet ingredi, foris iuxta concham ſe proiecit in orationem, aliquamdiu ſic perſeverans, Inde vero progreſſus abiit ad Confeſſionem Patrum.“ Unde colligi poteſt, aliis item quam martyrum eccleſiis hoc nomen fuiſſe commune.

Acta MM. p. 342. 343.

Occurrit etiam Confeſſionis nomen apud RATPERTUM in eccleſia apud *S. Gallum*, & EKKEHARDUS in eodem argumento de altari meminit Confeſſionis. Notatque GOLDASTUS ex *Beletho*, Confeſſionem eſſe locum in templo, ubi ſacerdos, priusquam cantat miſſam, confeſſionem pronuntiat. Quod certe primo huius vocis uſui haud congruit, ut ex ſequentibus magis patebit, quando peculiariter de altari agemus, ubi, quia reliquiæ martyrum recondebantur vox etiam *confeſſio* locum habebat. Apud RATPERTUM tamen ab altari expreſſe diſtinguitur, ubi narrat, quibus ornamentis templum Dei in honorem S. GALLI conſtructum *decorare & ſublimare* cœperit HARMOTUS abbas. „Principio vero (inquit) tumbam *S. Galli* cum reliquis altaribus variis, & analogio atque Confeſſione ita innovari, maximaque ex parte totum ex integro fecit ædificari, ſicut hodie videtur & cernitur. Præterea coronis argenteis, aliisque diverſis luminaribus pariter cum multimodis variorum ornamentorum ſplendoribus ipſam magnopere ſtuduit inſignire baſilicam. Abſidam quoque poſt altarium S. GALLI ita honorifice pictura deaurata, ſicut in præſenti videmus, ipſo compoſuit tempore.“

De caſibus monaſt. S. Galli c. 9. Goldaſt. T. I. Rer. Alem. p. 106.

In vita S. OTTONIS, *Sueviæ* Comitis, epiſcopi *Babenbergenſis*, ſeu *Bambergenſis*, apud CANISIUM legitur: „Ipſe pavimentum ſtravit, columnas eccleſiæ, quas ignis afflaverat, opere gipſeo & firmavit, & ornavit: chorum *S. Georgii* exaltavit, picturas quoque non ignobiliores prioribus effecit; & ne ultra ſimiles formidare debeat eventus, totum monaſterium & turres cupreis tabulis contexit, ſphæras quoque & cruces turrium deauravit.“

T. III. P. II. pag. 51.

Suo loco commemorabo, quæ idem *Pomeraniæ* apoſtolus Otto, dolia grandia valde terræ altius imergi præcepit, ita ut ora doliorum ad genu hominis, vel minus de terra prominerent: cortinis velisque oppanſis cuppam circumquaque cingentibus, ubi honeſte viri feminæque baptizabantur. Conveniunt, quæ *Ioannes* Ciampini P. II. Monum. antiq. c. 4. nec non de ædificiis ſacris a Constantino M. exſtructis cap. 3. de baptiſteriis, rituque veterum baptizandi ediſſeruit. Adhærere ſolebant eccleſiis baptiſteria, veluti etiam *ſecretarium*, quod apud Ratpertum memoratur, atque in *Romano* ordine *paratorium*, ac etiam *ſacrarium* vocatur, quo ſenſu a Walafrido definitur (*Sacrarium dicitur, quia ibi ſacra reponuntur & ſervantur*) loco iam ſæpius laudato, quo pleraque nomina definit ſecundum diverſas eccleſiarum partes, in quibus tamen pleraque a nobis recenſita deſiderantur, aliæ principaliores deinceps recurrent. „Quia vero (inquit) longum eſt ſingulas ſacrarum ædium partes exponendo percurrere, multiplex eſt in eis, æque ac in cæteris ſtructuris nominum & ſpecierum diverſitas.“

T. I. Rer. Alem. p. 21. C. 6.

Contigua, ut etiamnum, erant cœmeteria, ad quæ per atrium deferebantur defuncti, unde forte, aut etiam a more expellendi fer. IV. Cinerum pœnitentes veluti Adam ex paradiſo, *paradiſi* nomen atrio eccleſiæ adhæſit. Sic ad hodiernum uſque diem apud nos nonnunquam vocatur uſu *Romano*, ut ex Anastasio in vita Pauli I. P. patet & aliis quos citat *Robertus* Sala ad lib. I. c. 20. rer. liturg., Card Bona T. II. p. 78.

T. III. Rer. Germ.

Apud Pistorium ampla habetur deſcriptio, in chronico veteri *Auguſtano* mox capite primo *De ſitu antiquæ eccleſiæ, & ſtructura, altaribusque ante deſtructionem eius*, eccleſiæ nimirum SS. *Afræ* & *Udalrici* ſæc. XII. extructæ, & capite ſecundo, *De capellis circa hinc inde monaſterium.* Quales etiam erant in ipſa eccleſia, uti apud Ekkehardum fit mentio capellarum, quæ erant in baſilica *S. Galli*, ubi antea capellæ nomen alia notione veniebat, pro vaſis nempe, inſtrumentis & ornamentis omnis generis eccleſiaſticis, quæcunque in capella ſeu ſacello neceſſaria ſunt ad ſacra peragenda.

De caſ. monaſt. S. Galli cap. 3. p. 26.

Ex veteri illa ſtructura forte adhuc in eccleſia SS. *Afræ* & *Udalrici Auguſtæ* ſupereſt, aut ad antiquam formam reſtituta capella *S. Afræ* ſubterranea: qualis eſt etiam *S. Verenæ Zurzachii*, & aliæ memoriæ martyrum ſuper eorum ſepulcra inſtructæ, parvorum inſtar cœmeteriorum, vel cryptarum ſubterranearum, de quibus poſt *Ant.* Bosium, *Ioannem* Severanum, *Paulum* Aringhum legi poteſt *Erneſti Sal.* Cypriani *de eccleſia ſubterranea* liber.


III. Apud

Digitized by Google

Ermoldi NIGELLI deſcriptio templi *Argentoratenſis* ſæc. IX. apud MURATOR. Script. Rer. *Ital.* T. II. P. II. p. 76.

Dextera pars ſedis Pauli "am munere gaudet :
Fulcitur læva nomine quippe Petri.
Egregius Doctor hinc , claviger inde polorum :
Inter utraque micat mater opima Dei.
Michael mediam ſibi , ſeu crux , vindicat aulam ;
Ultima Iohannis unguine læta nitet.

Tab. II. pag. 181.



a. Monaſterium, ſeu ædes Can.

b. Area.

c. Pars Eccleſiæ pro muliebri,

d. Pro virili ſexu,

e. Navis Eccleſiæ.

f. Atrium , ubi locus Pœnitentium.

g. Portæ.

h. Altaria.

i. Cathedra, pone altare, ad latus utrumque ambones.

k. Presbyterium,

Digitized by Google

III. Apud Trithemium ſequentem habes deſcriptionem veteris eccleſiæ in *Alemannia* monaſterii *Hirſaugienſis*, quæ intra annos 830. & 837. extructa fuit: *Erat autem eccleſia pro conſuetudine illius temporis admodum pulchra ſine columnarum ſubſtitutione fabricata ampla ſatis & ligneo tabulatu ſuperius cooperta, quatuor duntaxat altaribus redimita.* In ornatioribus eccleſiis fornices erant ac camerata opera. „Camera (inquit *Walafridus* Strabo loco ſæpe citato) dicitur a curvitate, quæ ſolet in his ædificiis fieri, quæ cementitio opere deſuper concluduntur. Hæc etiam a concavitate ſuperiori ad ſimilitudinem cuisdam animalis teſtudo nominatur.“ Mabillonius, ubi in liturgia *Gallicana* eccleſiarum ſeu baſilicarum formam variasque earum partes præſertim ex Gregorio *Turonenſi* explicat, prout erant illis temporibus quando *Alemannia* noſtra regno *Francico* coniuncta erat, firmata ſæc. VI. & VII. in religione chriſtiana: „Non una (inquit) fuit apud maiores noſtros eccleſiarum ſeu baſilicarum forma. Aliæ quippe in modum crucis, aliæ recto parietum & porticum ſeu alarum ordine, aliæ in orbem conſtructæ erant: quædam laquearibus, vel tabulatis, nonnullæ fornicibus inſtructæ; omnes in abſidem ſeu arcum deſinebant, atque orientem ſpectabant.“

Structura veterum Alemanniæ eccleſiarum.

T. I. Chron. Hirſaug. p. 3. &c.

De exordiis &c. ſeu rebus eccl. c. 6.

Lib. I. c. 8.

Primæ in noſtra *Alemannia* eccleſiæ ut plurimum ligneæ fuiſſe perhibentur, veluti *Königshofen* in chron. p. 274. & 549. *Beatus* Rhenanus de *Argentoratenſi* a Clodovæo exſtructa teſtantur. Schilterus tamen in notis ad chronicon *Königsh.* antiquiorem adhuc eccleſiam cathedralem *Argentoratenſem* ſtatuit ſub *Romano* dominatu, cui altera ſub *Francico* regno ſucceſſerit a Clodovæo primum forte lignea, ut tamen iam circa annum 769. chorus ex lapide, qui hodieque ſupereſt a Pipino ædificari cœptus, a Carolo M. autem perfectus fuerit. Antiquiſſimi templi *Argentoratenſis* orthographiam cum adhærentibus ædibus canonicis æri inciſam damus, mecum communicatam ab *Andrea* Silbermann ex collectaneis mſs. *Danielis* Specklini architecti *Argentoratenſis* ſæc. XVI. quam ex veteri delineatione accepiſſe idem teſtatur Silbermann, qui a multis annis ſumma cura rudera veteris *Argentorati* indagat. Lignea etiam fuit eccleſia ad ripam *Danubii*, cuius Eugippius abbas in vita S. Severini meminit. Putat tamen Goldastus circa an. CCCC. cœpiſſe lapidea templa a Chriſtianis exædificari. Quale fuit illud *Brigantii* ad lacum *Bodamicum* a SS. Columbano & Gallo repurgatum, ut legitur apud Walafridum & Wettinum &c. Quale & illud *Kirchbergenſe*, cuius *Thomas* Lyrer, & *Felix* Fabri originem tradidere.

Rer. Germ. pag. 290.

Vid. Gold. T. III. p. 81.

Tab. II.

IV. *Dan.* Schoepflino teſte, qui non ſemel *Germaniam*, ſæpius autem *Alemanniam* peragratus eſt, vetera monumenta omnia diligenter ruſpatus

Quarum præſtantiores recen-

Digitized by Google

ſentur, quæ ætatem tulerunt. ſpatus, indubitatius *Carolingicæ* ætatis ædificium ſupereſt nullum, quam *Aquisgranenſis* baſilica a CAROLO M. exſtructa, perinde ac *Turicenſis* in *Helvetia*, ut ex STUMPFIO HOSPINIANUS de orig. templorum memorat. *Aquisgranenſis* ecclefiæ apparatum *Walafridus* STRABO deſcripſit: deſcribitque etiam *Ioannes* CIAMPINI inter vetera monumenta, muſiva potiſſimum opera in vetuſtis eccleſiarum ædificiis conſpicua; ubi ſingulari diſſertatione publica ædificia, in quibus, tribus primis eccleſiæ ſæculis, Chriſti fideles ſacras ſynaxes peragebant tempore perſecutionis, proſequitur, a) veluti etiam *Ioſephus* MEDE peculiari diſquiſitione ex *Anglico* in germanicam linguam ab *Hen.* BENTHEMIO translata, ſed ad tantam antiquitatem non aſſurgunt niſi rudera quædam cultus gentilitii: ex quo in *Alſatia* integrum ſupereſt ævi *Romani* templum *Othmarsheimenſe*, noſtris addictum ſacris hodieque, a SCHOEPFLINO adumbratum in *Alſatia illuſtrata.* Cui accedit altera rotunda decem intus ornata columnis *Hugshofii* in valle *Willerana*, *Alſatiæ* itidem. De eccleſiis ad DAGOBERTI I. ævum relatis ſupereſt nihil, quas inter *Spirenſis* & *Wormatienſis* cathedrales eccleſiæ cenſebantur.

P. II. c. 22. — a — P. I. c. 17. ſeq. — T. I. p. 505.

De *Spirenſi* (quæ hodie grandi mole nova exſurgit) agit LEHMANNUS in chronico *Spir.*, cuius eccleſiæ chorus a CONRADO II. Imp. in ſepulturam imperatorum eſt deſtinatus ſæculo XI, quo pleræque cathedrales eccleſiæ in *Alemannia* auguſtiora ſunt reddita: *Wormatienſis* iam anno

T. I. p. 62. 872. fulmine tacta, ut SCHANNAT in hiſt. epiſcopatus *Wormat.* perhibet, anno demum 1016. dedicata eſt præſente HENRICO II. qui etiam conditor eccleſiæ cathedralis *Baſileenſis* habetur, an. 1019. dedicatæ. An. 1015. WERNERUS epiſcopus *Argentinenſis*, *Habsburgici* nominis auctor ex caſtro cognomine a ſe in *Ergovia* condito, prima fundamenta poſuit baſilicæ, quæ hodieque admirationi eſt, cum turri, biennio poſt perfectam anno 1275. eccleſiam inſtrui cœpta ab ERVINO *a Steinbach*; cui tamen anno demum 1439. coronis, globus & crux eſt impoſita. Citius eius æmula turris *Friburgenſis* ſpacio 28. annorum a CONRADO duce *Zaringenſi* circa medium ſæculi duodecimi exſtructa eſt cum navi, cui ſæculo demum decimo quarto (quo etiam inſignis *Ulmenſis* eccleſia cum turri ædificata eſt) chorus, prout hodie cernitur, acceſſit, & ſæc. XVI. altare ſummum picturis *Holbenianis* comptum. Quæ omnia hodieque conſpicua ſunt.

De navi eccleſiæ. V. Antequam ad deſcribendas ſingulas ſacrarum ædium partes progrediamur, ad rem eſt, ex Conſtitut. apoſtol. lib. II. c. 57. eccleſiæ formam antiquam

a) Idem alio in opere tractat de ſacris ædificiis a CONSTANTINO M. conſtructis.

Digitized by Google

antiquam adumbrare. „Cum autem Eccleſiam Dei congregaveris (alloquitur auctor epiſcopum) velut magnæ navis gubernator, cum omni prudentia & diſciplina iube fieri conventus, præcipiens diaconis, ſicut nautis, ut loca fratribus, quaſi vectoribus adhibita omni cura & decentia, diſponant. Ac primo quidem ædes ſit oblonga, ad Orientem verſa, ex utraque parte paſtophoria verſus Orientem habens, & quæ navi ſit ſimilis. In medio autem ſitum ſit epiſcopi ſolium, & utrimque ſedeat presbyterium, & adſtent diaconi expediti, ac leviter induti; aſſimilantur enim nautis, ac iis, qui lateribus navis præſunt. Eorum cura, ad alteram eccleſiæ partem laici omnino quiete & ordinatim ſedeant: mulieres quoque ſeparatim & ipſæ ſedeant, ac ſermone abſtinentes. Medius autem lector, in quodam loco excelſo ſtans, legat libros Moysis &c.“ Ubi animadvertes allegoriam a nave acceptam. *Navis* eccleſiæ eſt maior pars a forma navi ſimili ſic dicta, in Oriente etiam ναός, fidelibus deſtinata: cautumque fuit, ne laici ad ſacra adyta ulterius penetrarent, veluti in capitulari ſub S. Bonifacio de loco laicorum in eccleſia: „Laici ſecus altare intra cancellos tam ad vigilias, quam ad miſſam ſtare penitus non præſumant.“ In deſcriptione eccleſiæ *SS. Afræ* & *Udalrici* apud Pistorium cancelli ita deſcribuntur: „Cancelli vero vulgo dicti, ſeu teſtudines parvæ ductæ erant inter choros & eccleſiam, ſequeſtrantes clerum a populo, & in eorum cacumen duæ cruces, in quibus permaximæ reliquiæ: ſub eis altaria, & primo inter duas ianuas chori, *S. Afræ* altare Plebani continens Euchariſtiam pro populo.“ Cancellorum formam diverſimode *Walafridus* Strabo deſcribit: „Cancelli videntur dici, quia minoribus columnis fiunt. Cancri enim vocantur maiores columnæ & maximæ quadræ: vel cancelli dicuntur a cubitu, qui græce *ancos* dicitur. Solent enim plurimi non altius conſtrui, quam ut ſtantes deſuper inniti cubitis poſſint.“

Baluz. T. I. p. 153.

T. III. pag. 659.

Rem ipſam nos conſideramus, videmusque totum id nomine cancellorum ſumi a Strabone, quod fideles continebat in eccleſia, atque ad hodiernum uſque diem in noſtra *Germania* diſpoſita habentur ſcamna per duos ordines ac latera pro viris ac fœminis, veluti ſemper ſeparata habent loca, atque in conventu eccleſiaſtico ſeorſum maſculi & ſeorſum fœminæ ſtant. „Quod accepimus a veteri conſuetudine (ſunt Amalarii verba (qui paullo poſt plagam etiam deſignat) Maſculi ſtant in auſtrali parte, fœminæ in boreali.“ Quod in ecloga in ordinem *Romanum* repetit, atque iisdem verbis myſtice etiam ſumit Honorius *Auguſtodunenſis*. Plenius vero *micrologus de eccleſ. obſer.* c. 9. & Radulphus *Tungrenſis de Can. obſervantia* propoſ. 23. apud Durandum, qui

Lib. III. de off. c. 2.

De Rit. eccl. L. I. c. 18.

mos

mos apud nos perennat, ſed non ea, qua apud veteres religione, in oriente præſertim, ubi etiam portis ſeparatis (ut in *Argentoratenſi* repræſentamus) ingrediebantur, ac egrediebantur, conſtitutis ianitoribus ad introitum virorum, diaconiſſis vero ad mulierum, cuſtodiendi cauſa, ut habetur in Conſtitutionibus apoſt. atque ex S. CHRYSOSTOMO diſcimus, diſtinctionem hanc parietibus ligneis factam fuiſſe. Id obtinebat etiam in occidente pro ſacratis virginibus, ut memorat S. AMBROSIUS *ad virginem lapſam* c. 6. *Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum in quo in eccleſia ſtabas, recordari debuiſti, ad quem religioſæ matronæ, & nobiles certatim currebant tua oſcula petentes.* Notatur talis locus in antiquiſſima eccleſia S. CLEMENTIS *Romæ*.

Lib. II. c. 57.

Hom. 75. in Matth.

Abſida & eius partes.

VI. Id ſaltem ſemper ſervatum eſt etiam in Occidente, ut navis eccleſiæ ab altera, ſacratiore parte bemate, abſida ſeu choro ſeiungeretur, *intra cancellos* (ut in antea laudato capitulari vocatur) populo inacceſſo loco. *Rugas* (quæ vox in ordinibus *Romanis* occurrit) vel regias eſſe putat MABILLONIUS vel cancellorum aditus ſeu portas, vel cancellos ipſos, eosque acolythi obſervabant, ut habetur in Ordine primo. Non uno autem tantum in loco poſitæ erant *rugæ* tum cancellis intermiſtæ, tum in & extra Confeſſionem, tum in veſtibulo altaris, tum ad ingreſſum presbyterii iuxta monumenta a MABILLONIO allata: eiusque opinione portæ, porticellæ, feneſtellæque erant, unde *Italica* vox *Ringieres*, quæ feneſtellas ciboriorum hodie quoque ſignificat, derivetur. *Rugarum*que paria erant portæ ſeu porticellæ bipatentes, ut paſſim in cancellis. Illuſtrat hoc, quod *Walafridus* STRABO dicit de abſida: *Abſida græce, latine Lucida dicitur, quia lumen acceptum per arcum intromittit. Exedra eſt abſida quædam ſeparata modicum quidem a templo vel palatio.*

Comment. in ord. Rom. pag. XXI.

Eſt hoc iuxta antiquiſſimam conſuetudinem epiſcoporum ſedendi in ſecretario, de quo ſupra (nos ſacriſtiam dicimus) ut ſacras veſtes ſumerent cum miniſtris, unde etiam veſtiarium eſt dictum, alio nomine ſalutatorium; atque hic etiam negotia eccleſiaſtica tractabantur. Sedes ſeu ſella ibi erat pro dignitate epiſcopi, vel ut poſtea vocari cœpit, *faldiſtorium*; *Cliothedrum* ſeu *Cleothedrum* (a *κλείω claudo ἕδρα ſella*) *Græci* appellant, vel exedram.

In antiquiſſimis ordinibus *Romanis* oratorium notatur, orationi fundendæ accommodatum, extra ſecretarium ante altare legitur poſitum in ordine I. Hinc patet alius huius exedræ uſus, ac cathedræ epiſcopalis in medio abſidæ in presbyterio conſtitutæ ad verbum Dei prædicandum, & celebranda officia divina. Erat ea ſedes elevatior ipſo altari, unde in ordine

Num. 8.

Digitized by Google

ordine *Romano* dicitur: *Surgens pontifex a ſede deſcendit ad altare.* Soliusque pontificis in medio erat thronus hic pone altare in medio abſidis ſeu conchulæ bematis, epiſcopis a dextra ſedem habentibus, presbyteris a ſiniſtris. Quare quando de officio epiſcopi fit mentio in ordinibus *Romanis* dicitur: *Pergit ad dexteram altaris ad ſedem ſuam.* A throno elevatiore ac ſe[illegible]us formulæ diſtinguuntur pro clero in choro *inclinatorium, quod nos formulam dicimus*, ut habetur in libello ſupplici monachorum *Fuldenſium* ad CAROLUM M., ſuntque ſcamna ac ſedilia in choro pſallentium, unde nomen inditum eſt.

In anteriore parte navem verſus erat analogium ac ambones. Extat *de Ambonibus veteris eccleſiæ Io. Chriſt.* ULICHII programma, in quo, quod iam ab Hoſpiniano eſt annotatum, de origine partium templorum c. 3. repetit, veteres appellaſſe ſacros hoſce ambones ſeu cathedras corrupte *ein Lettner*, cum a priſcis nominati ſint *Lectner*, quod ex eo loco ſacræ lectiones ſint factæ: modernos autem communiter nominare *eine Cantzel*, quæ vox a cancellis originem trahit, quibus chorus munitur & quodammodo præcluditur, continebatque non ambones ſolum, ſed alios etiam ſuggeſtus epiſcoporum & presbyterii: unde cathedræ nomen eſt ad prædicandum, cui reſpondet vox Germannica *Cantzel.* Attamen dicitur a *Walafrido* STRABONE *analogium, quod in eo verbum Dei legatur & annuntietur. Pulpitum, quod ſit in publico ſtatutum, ut qui ibi ſtant, ab omnibus videantur. Ambo ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit & cingit.* Sed primitivum nomen eſt ἄμβων ab ἀναβαίνειν aſcendendo, nimirum per gradus, unde S. AUGUSTINO in Epiſt. ad MAXIMUM dicuntur abſidæ gradatæ, atque etiam Gradale, ſeu Graduale dicitur, quod in ipſis gradibus a cantoribus caneretur. Supra vero ad pulpitum legebantur epiſtolæ & evangelium, unde duo erant, a dextris ad epiſtolam unus, ad ſiniſtram alter ad evangelium. Occurrit etiam tertius in ordinibus *Romanis* verſus populum ad prophetiam legendam. Aut ſi unus etiam tantum fuit, ad diſtinctionem ſaltem duo aditus patebant, unus pro diacono, alter pro ſubdiacono.

De rebus eccl. cap. 6.

Hæc omnia optime congruunt ac conſpicua ſunt in eccleſia *S.* CLEMENTIS *Romæ*, cuius ichnographiam exhibet in *Muſæo Ital.* MABILLONIUS, atque in veteribus Monumentis *Io.* CIAMPINI, & ſecundum longum & latum deſcribit: ſimillimaque eſt a *Ioanne* FABRICIO adumbrata veteris eccleſiæ chriſtianæ forma, græcis nominibus explicata, orationeque illuſtrata de templis veterum Chriſtianorum.

T. I. cap. 2.

Altaria.

VII. Altare etiam poſitum in medio ſuos habebat, uti etiamnum, gradus, non tamen inde, ut STRABO dicit, *altare quaſi altæ aræ nominatur.* Neque, uti nunc apud nos fit, muris abſidis adhærebat altare ſed liberum erat medio in presbyterio, cui ciborium, qui arcus erat, vel corona ſupertendebatur. Apud EKKEHARDUM aliquoties occurrit *ciborium* S. OTHMARI *argento veſtitum*, ſuper altare nimirum eius ſepulchro ſuperſtructum. Qualis altaris ſeu aræ ſuper ſepulchrum S. GALLI *Walafridus* STRABO meminit de miraculis S. GALLI lib. II. c. 4. quod inſcribitur: *Quo miraculo palla ſuper lectum ſancti incenſa redintegrata ſit.* Obſervat MABILLONIUS, lecti nomine aliquando altare, aliquando tumulum ſancti ſignificari. Pro priore ſignificatione refert luculentum documentum ex actis S. ANSTRUDIS abbatiſſæ *Laudunenſis*, ADALSINDAM, quæ ei ſucceſſerat, cœlitus admonitam *ut lectum citius faciat ædificari.* Quod cum ab alia ſanctimoniali, cui id revelatum fuerat, audiſſet, intellexit lectum illum ſignificare altare. Altero ſignificatu dicit frequentius apud auctores medii ævi ſumi, refertque etiam GREGORII *Turonenſis* teſtimonium lib. I. de miraculis S. MARTINI c. 35. ubi lectuli S. MARTINI pro tumulo meminit. Subdit nihilominus: *Omnino dici poteſt lectulum hoc loco eſſe menſam ipſam altaris, cuius ſumma pars altare appellatur.* Atque ita etiam apud WALAFRIDUM l. c. ſumi debere, verba ſequentia demonſtrant, ubi diaconus quidam nomine STEPHANUS, dum in eiusdem Patris ſancti (GALLI) eccleſia cuſtodis fungeretur officio, quadam veſpera incenſam oratorio inferens candelam, poſuiſſe eam narrat ſuper candelabrum iuxta beati viri ſepulchrum, quæ a rectitudine ſtatus vergens in partem, ardens cecidit ſuper aram ſepulchri. Proceſſu temporis eccleſiæ ſuper tumulos aliorum etiam Sanctorum ſunt extructæ; ab ineunte eccleſiæ ætate ſuper tumulos martyrum fieri ſolemne fuit aras, ſeu menſas, qualis imprimis celebris eſt S. CYPRIANI in loco, qui *Mappalia* vocatur, ſæpe S. AUGUSTINO memorato. „In eodem loco (ait Serm. 310.) menſa Deo conſtructa eſt: & tamen menſa dicitur CYPRIANI, non quia ibi CYPRIANUS eſt epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus: & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur.“ Huiusmodi altaria frequentius *martyria*, ſeu *confeſſio* vocari ſolebant, cuius nominis iam ex EKKEKARDO meminimus. Vocabantur item memoriæ. Extatque capitulare CAROLI M. *de falſis nominibus Sanctorum:* „Ut falſa nomina martyrum, & incertæ Sanctorum memoriæ non venerentur.“ Quam in rem BALUZIUS obſervat ex canone quinquageſimo Concilii *Africani*, ex quo ſumtum eſt hoc caput, *memoriam*

De rebus eccl. cap. 6.

De caſibus monaſt. S. Galli c. 9.

Sæc. II. act. O. S. Ben. p. 252.

De Liturg. Gall. lib. I. c. 8. n. 3.

T. I. Capit. p. 709. c. 41. T. II. pag. 1128.

riam accipi pro altari, in quo poſitæ ſunt reliquiæ martyrum. Formam altaris eccleſiæ *S. Petri* apud *Burdegalam* deſcribit Gregorius *Turonenſis* lib. I. *de Gloria martyrum* cap. 33. „Huius altare poſitis in altum pulpitis locatum habetur: cuius pars inferior in modum cryptæ oſtio clauditur, habens nihilominus & ipſa cum Sanctorum pignoribus altare ſuum.“ Multa eiusmodi altaria edita, & ſuper cryptas locata ſupereſſe in eccleſiis *Gallicanis*, notat ad hunc locum Mabillonius, quod alicubi in noſtra *Alemannia* obſervavi. *De Liturg. Gall. lib. I. cap. 8. n. 6.*

A prima autem huius rei origine venit, ut deinceps nulla, etiam quæ portatilia (*Græcis* ἀντιμίνσια dicta) vocantur, altaria ſine reliquiis conſecrarentur, quale S. Wulfranni, *Friſonum* apoſtoli deſcribit Ionas apud Surium: „Altare quoque conſecratum in quatuor angulorum locis, & in medio reliquias continens Sanctorum in modum clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat. Hinc in ordine *Romano* tabulæ itinerariæ appellantur. Apud Eusebium lib. IV. vitæ Constantini M. c. 5. imperator hic fieri curaſſe dicitur tabernaculum in ſpeciem eccleſiæ, quo in palatio, & quoties ad bellum proficiſceretur, uteretur, *ut ne quidem*, ſunt verba Sozomeni, *in ſolitudine conſtitutus, tam ipſe quam eius exercitus ſacra æde careret, in qua Deum laudare, preces fundere, & ſacra myſteria percipere poſſent.* Exemplum id Carolus M. aliique imperatores & reges ſunt æmulati. Ven. Beda de SS. MM. Edwaldis, cum apud *Saxones* antiquos, ut Chriſto eos adiungerent, veniſſent, narrat, hymnis & pſalmis ſemper & orationibus vacaſſe, & quotidie ſacrificium Deo victimæ ſalutaris obtuliſſe, habentes ſecum vaſcula ſacra & tabulam altaris vice dedicatam. Quod profert cum aliis documentis Mabillonius contra Rocum miniſtrum, auctorem hiſtoriæ euchariſticæ, qui ante ſæculum undecimum nullum huiusmodi tabularum uſum fuiſſe dixerat, nec ante ſæculum octavum plura in una eccleſia fuiſſe altaria. *T. II. p. 294.* *Lib. I. hiſt. eccl. c. 8.* *Lib. V. c. 11.* *Præf. in ſæc. III. O. S. B.*

Epiſtola S. Gregorii M. ad Palladium *Santonenſem* in *Galliis* epiſcopum eſt huius argumenti. Conſtruxerat Palladius eccleſiam, in qua tredecim altaria collocaret, miſeratque *Romam* Leuparicum presbyterum, ad petendas ſacras reliquias, in quatuor altaribus nondum dedicatis ponendas. Annuitque Pontifex, reliquiasque ſumma cum reverentia ſuſcipi & in altaribus poni monet epiſtola 49. lib. VI. ubi in notis oſtenditur longe etiam ante Gregorium plurima erecta eſſe altaria. Idem oſtendit laudatus Mabillonius; licet ſæc. VIII. auctum altarium in eccleſiis numerum fateatur. Unde in capitul. Caroli M. cavetur. *De altaribus, ut non ſuperabundent in eccleſia.* Altarium ſitum ac ordinem in antiqua eccleſia *SS. Afræ & Udalrici* deſignat Sigismundus religioſus in chronico *Auguſtano* apud Pistorium, ubi im- *T. III. ſcript. German. p. 650.*

Digitized by Google

Epiſt. 12. imprimis tria principalia memorat veluti *trichora altaria* iuxta S. Paulinum; *T. I. Conc. Germ. p.* 73. quem immerito corrigit locum Salmasius. In ſtatutis S. Bonifacii cavetur, *ut nullus presbyter in eccleſia conſecrata aliud altare erigat, niſi quod ab epiſcopo ſanctificatum eſt, ut ſit diſcretio inter ſacratum & non ſacratum.* Idem lib. VI. Capitul. c. 199. refertur. Princeps altare, *Germanis* publicum ſacrumque κατ᾽ ἐξοχὴν *Fron-altar* dictum, ubi aſſervari Euchariſtia, *vid. Lex. Schilteri h. v.* miſſaque publica celebrari ſolet, in medio ſemper erat: & licet antiquiſſimus uſus fuerit ſub ciborio ſuſpendi frequenter in columba ſacram Euchariſtiam, uſitatius tamen fuit præſertim in noſtra *Alemannia* ex latere ſacrarium peculiare ad hoc deſtinari, ut adhucdum paſſim cernuntur ædiculæ ſacramentariæ operoſe admodum & eleganter, pro conditione equidem architectonices *Gothicæ*, inſtructæ. De quibus mox plura.

Miſſæ ut in locis ſacris fierent, cautum.

VIII. Iam in concilio *Laodiceno* decretum fuerat, *Non oportere in domibus oblationes ab epiſcopis ſive presbyteris fieri.* Notabilis eſt S. Basilii locus: „Quemadmodum ſcriptura nullum vas commune permittit deferri in ſancta, ita neque ſancta in communi domo perfici, cum ex *C.* 58. *Reg. brevius tractat. Int.* 310. Dei iuſſu teſtamentum vetus quidquam eiusmodi fieri aperte non ſinat. Cum autem dominus dicat: *Plusquam templum eſt hic*: apoſtolus item: *Numquid enim domos non habetis ad manducandum & bibendum? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim tradidi vobis, quod & accepi &c.* Hinc erudimur non debere neque communem cœnam in eccleſia edere, aut bibere, neque dominicam cœnam in domo contumelia afficere, præterquam ſi quis neceſſitate cogente locum aut domum puriorem delegerit in tempore oportuno.“ Eius rei in vitis PP. S. Ambrosio, & Augustino item habentur exempla, ſed rara: quodque ex concilio *Laodiceno* retulimus, idem apud nos ſæpe eſt cautum, tam *c.* 14. de loco, quam etiam de altari ſacro, veluti in Capitulari Caroli M. ſub regni eius exordia. *Nullus ſacerdos niſi in locis Deo dicatis, vel in itinere poſitus in tabernaculis & menſis lapideis ab epiſcopo conſecratis miſſas celebrare præſumat. Quodſi præſumpſerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.* Idem adhuc præciſius ſub eodem Carolo M. ineunte ſæc. IX. *T. I. p.* 421. eſt conſtitutum Cap. 9. prout noviſſime in edit. conc. *Germanic.* habetur: *ut nullus ſacerdos in domibus vel aliis locis, niſi in eccleſiis Deo dicatis, celebrare miſſas audeat.* Excipitur tamen (prout etiam antiquioribus temporibus nonnunquam ſingularibus ex cauſis in privatis domibus ſacra ſunt celebrata) cauſa infirmitatis in capitulis Ahytonis epiſco- *T. II. p.* 19. pi *Baſileenſis.* „Quarto decimo, ut in tuguriis, eccleſiis non conſecratis, vel in domibus, niſi forte viſitandi gratia in infirmitate detentis, Miſſa-

rum

rum myſteria non celebrentur. Quod qui fecerint propter inobedientiam degradandos ſe ſciant.“ Alia cauſa, quæ etiam primis præſertim eccleſiæ temporis locum habuit in perſecutionibus, exprimitur in concilio *Pariſienſi* an. 829. & in capitulis HERALDI, referturque in Collect. ANSEGISI abbatis, & BENEDICTI Levitæ apud BALUZIUM lib. VI. c. 208. „Placuit, ut miſſarum celebrationes in locis non conſecratis & incongruentibus facere omnino non debeant, niſi cauſa hoſtilitatis vel longinqui itineris. Et id in altaribus ab ipſo epiſcopo conſecratis fieri, ſi neceſſitas compellat. Sacerdotes tamen, qui in locis inlicitis & non conſecratis miſſas cantare præſumunt, gradum ſe ſciant amiſſuros. Melius eſt enim Miſſam non audiri, quam eam, ubi non licet, nec oportet celebrare, aut audiri.“ Nominatim autem in Capitul. *Ingilheimenſi* oratoria privata excipiuntur, quæ certatim tunc nobiles etiam ex clero ſibi in ſuis domibus inſtrui curarant. „Qui in domo ſua oratorium habuerit, orare ibidem poteſt. Miſſas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, ſine permiſſu vel dedicatione epiſcopi loci illius. Quodſi fecerit, domus illius fiſci viribus addicatur. Comes vero, qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia multetur, vel honore privetur.“ In Decreto GRATIANI P. III. de Conſecr. Diſt. I. multa in hanc rem accumulantur, ac quidem ſub nomine concilii *Triburienſis*, c. 12. & 30. quod in concilio *Moguntino* eam in rem anno 888. eſt ſtatutum. „Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab epiſcopo conſecratis, vel ubi permiſerit celebranda eſſe cenſemus. Concedimus etiam, ut ſicubi (quod noſtris exigentibus culpis perplurimum eſt factum a *Nortmannis*, ſeu alio qualicunque modo) eccleſiæ fuerint incenſæ in capellis miſſas interim liceat celebrare, donec ipſæ eccleſiæ reſtaurari queant. In itinere vero poſitis, ſi eccleſia defuerit, ſub divo ſeu in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque miniſteria ſacra ad id officium pertinentia adſunt miſſarum ſolemnia celebrari permittimus.“ In libello demum *Inquiſitionis* apud REGINONEM de his, quæ epiſcopus vel eius miniſtri inquirere debeant per vicos, pagos, atque parochias ſuæ diœceſis, XXI. eſt: *Si per domos extra eccleſiam miſſam cantet.* Nihilominus S. GREGORIUS etiam ultro voluit, ut IOANNES epiſcopus *Syracuſanus* VENANTIO patricio permitteret in domo ipſius miſſarum myſteria peragi, ac ipſe etiam, ſi voluerit VENANTIUS, celebraret.

T. I. Capit. p. 959. — *T. I. Capit. p. 650. c. 6.* — *C. 9.* — *Lib. VI. epiſt. 44.*

IX. Altaria vero in ipſis templis, quod ſpectat, iam mentionem iniecimus Ciborii, quod pompæ & ornatus cauſa expandi ſolebat. Agit de hac voce pluribus DUCANGIUS tum in gloſſario, cum in ſua

Ciboria antiqua, baptiſteria, ſacraria.

Conſtantinopoli chriſtiana num. 57. De S. GEBHARDO II. *Conſtantienſi* epiſcopo narratur ſæc. V. Ord. S. BENED. pag. 841. „In eccleſia monaſterii cryptam fecit ab occidentali, in qua aquæ puteum fodit, & altare S. MARTINI in ea collocavit, quod poſtea GEBHARDUS III. deſtruxit. Super cryptam ſanctuarium fecit, ubi altare principale in S. GREGORII honore conſtituit, ſuper quod ciborium nimis ſpecioſum fabricavit. Cum igitur columnas quatuor de ligno ilicis feciſſet, figuram vitis in eo fabricari diſpoſuiſſet, opidanos *Conſtantienſes* induxit ad ferendas ſuppetias in earum ornatum, quod & fecerunt. Unde columnas argento veſtivit, easque ſuper baſes lapideas decentiſſime ſculptas conſtituit: ſupra ipſasque columnas arcus quatuor poſuit, quas a parte una exaurato argento, ex altera autem deaurato cupro veſtivit. Super arcus autem & columnas tabulam poſuit magnitudinis tantæ, ut totum operiret ciborium, in medio feneſtram habens rotundam, & ipſum in circuitu intrinſecus aurato cupro opertam: inferius autem marginem habebat prominentem. Ipſa autem tabula erat per totum ex inferiori parte aurato cupro decenter operta, habens quatuor evangeliſtarum imagines elato (cælato) opere in transverſum; cui per quatuor partes erant laminæ affixæ argenteæ, & in unoquoque latere conſcriptus erat verſus unus litteris aureis deſcriptus, qui ſequitur:

Hoc opus exiguum diverſis artibus auctum
Fert Tibi, GREGORI, *ſupplex devotio ſervi*
Præſulis indigni, quem tu cum plebe fideli
Coniungas turmis precibus pater alme ſupernis.“

Adhuc pretioſius deſcribitur in vita B. TUTONIS epiſcopi *Ratisbonenſis*, munificentia ARNOLPHI apud S. *Emeramum* inſtructum: „Speciali autem
Acta O. S. B. ſæc. V. pag. 109. ſuo patrono EMERAMO pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum: in quo erat ciborium quadratum, cuius auro tectum tabulatum faſtigium ſerto gemmarum redimitum: Corpus vero ad geminæ ſpeciem dilectionis, ſimilitudinem habens ſuperioris & inferioris, ſuſtentatur aureis octo columnellis, quæ & ipſæ tot virtutum ſeu beatitudinum inſtar exponunt.“

In formam ſerti ſeu coronæ fuerant. Quales etiam ornandi tem-
T. I. p. 568. pla ergo paſſim ſolebant ſuſpendi, veluti habes in chronico *Moguntino* CONRADI epiſc. apud URSTISIUM: „Erat corona magna pendens in choro ad ſimilitudinem eius, quæ adhuc pendet ad S. ALBANUM, & una in medio templi atque aliæ tres minores ante altare *S. Martini*, omnes ex argento diligentius fabricatæ.“ Alias ſuper ſingula erant ſuſpenſæ co-
T. IV. Spic. ronæ ac ciboria: „ſuper illa tria altaria (ut habet chronog. *Centulenſis*

lib. III.

lib. III. c. 3.) habentur tria ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres dependent coronæ, ſingulæ per ſingula ex auro gemmisque paratæ, cum aureis circulis aliisque ornamentis.“ PAULUS *Diac.* lib. III. de geſtis *Longob.* c. 33. de GUNTRAMNO rege narrat, ciborium ſolidum ex auro, miræ magnitudinis & magni ponderis feciſſe, multisque illud pretioſiſſimis gemmis decoratum ad ſepulchrum Domini *Hieroſolymam* transmittere voluiſſe. Sed cum illud minime potuiſſet, idem ſupra corpus B. MARCELLI M. poni fecit.

Super altaria Sanctorum, quorum corpora ſeu reliquiæ ſub illis condita erant, frequentius erant ciboria, qualia in vita S. GREGORII apud CANISIUM memorantur: *Super corpora beatorum* PETRI *&* PAULI *ſingula ciboria fecit, miſſarum ibi ſolemnia celebrari decrevit.* GREGORIUS *Turonenſis* ſepulchrum S. DIONYSII nobis deſcribit lib. I. de glor. MM. c. 72. cum eiusmodi ciborio, columba aurea decoratum.

Nec ad ornatum tantum erant eiusmodi columbæ, ſed in iis etiam reliquiæ condebantur, ut ex HERMANNO monacho lib. III. de miraculis S. MARIÆ c. 28. & *Ant.* BELLOTTE obſervavit *S. Andr.* SCHMIDIUS ſingulari diſſert. de columbis in eccleſia *græca & latina* uſitatis: ubi præter notiſſimum illum in tumulis martyrum & aliorum columbas ſculpendi morem varium earum uſum oſtendit in baptiſteriis, ſacro ambone, imaginibus crucis, altari, ubi veroſimiliter rem derivandam coniicit ex ἐπικλήσει ſeu invocatione Spiritus S. ſuper ſacra dona, in *græcis* liturgiis præcipue uſitatam. Iam MABILLONIUS notavit locum ex libello ſupplici clericorum & monachorum *Antiochiæ* ad ſynodum *Cpol.* ſub MENNA contra SEVERUM, quod ſibi appropriarit columbas aureas & argenteas, *in figuram Spiritus ſancti ſuper divina lavacra & altaria appenſas*, ut habetur in conc. V. Oecumen. Act. V. Atque aliunde conſtat de more ponendi columbas tam in Oriente quam Occidente in baptiſteriis, teſte S. PAULINO epiſt. 32. De hac re legendum citat laudatus SCHMIDIUS rituale baptiſmi HILDEBRANDI, ipſeque locum affert ex ÆGIDIO monacho *Aureavello* in OSBERTO epiſcopo *Leodienſi* c. 18. & ex ANASTASIO bibliothecario in HILARO P. R. „qui fecit ad S. IOANNEM intra ſanctum fontem lucernam auream cum nixis vel lychnis luminum decem penſantem libras quinque: cervos argenteos tres, fundentes aquam, penſantes ſingulos libras triginta: turrem argenteam cum delphinis penſantem libras ſexaginta. Columbam auream penſantem libras duas.“ Potiſſimum autem locum columbæ in ipſis habebant altaribus; ubi locus inde *Periſterion* eſt appellatus a *græco* vocabulo περιστερὰ *columba*, ubi ſacra Euchariſtia recondebatur, uti diſcimus ex vita S. BASILII ſub nomine AMPHI-

Columbæ.

T. V. Conc. p. 159.

C. 6.

LOCHII

Digitized by Google

LOCHII ſcripta. Earundemque fit mentio in celebri teſtamento PERPETUI ep. *Turonenſis*, & in conſuetudinibus *Cluniacenſibus* lib. I. c. 8. & II. c. 9., apud MARTENIUM de ant. mon. rit. p. 175. & D. de MOLEON in Itinere liturgico. Qui idem hodieque obſervavit columbas ſuſpenſas
pag. 203. in eccleſia S. IULIANI *Andegavis*, & in monaſterio *S. Mauri* apud *Foſſam novam*, ad S. LIPERCUM in diœceſi *Carnotenſi*, ad S. PAULUM *Senenſi*, MABILLONIUS de lit. Gall. lib. I. c. 9. in eccleſia *S. Mauri* prope *Pariſios* vaſculi loco ad recondendam Euchariſtam eſſe auratam columbam teſtatur. Idemque apud *ſan-Germani* & *S. Benigni* monaſteria obtinuiſſe etiam laudatus notavit MARTENIUS. Taleſque columbas in theſauro ſervatas referunt idem MARTENIUS & DURANDUS in Itinere literario.

P. II. p. 75. & an. 1724. p. 67. Iidem tamen paſſim obſervarunt, in *Belgio* ſervari Euchariſtiam in ſeparatis armariis, ad latus altaris ſæpe magnifice exſtructis, quod etiam in *Alemannia* haud raro obſervavi veluti in inſigni monaſterio *Salemitano* opere miro ex lapide turricula ſeu pyramida in altum ſurgente: cuiusmodi notat MARTENIUS ex marmore P. II. p. 183. ubi dicit, communiter Euchariſtiam in *Belgio* non ſervari in altari ſummo. Idem notat De MOLEON paſſim in eccleſiis *Galliæ*, etiam in collegiali S. IULIANI
p. 413. *Andegavenſi*, ſicut in cæteris ſex collegialibus eiusdem urbis, cathedrali *Rothomagenſi*, & aliis etiam *orientalibus*, ac *Romæ*, uſumque illum olim communem fuiſſe putat.

T. II. Muſ. Ital. pag. CXXXIX. MABILLONIUS *Romæ* uſum antiquiorem obtinuiſſe colligit ex ordinibus *Romanis*, ut in *ſecretario* ſeu ſacriſtia ſervaretur: quo ex loco pontifici ad altare accedenti capſula Euchariſtiam continens ſit prælata. Contrarium tamen Dom. GEORGIUS ex ord. *Rom.* II. & AMALARIO aſtruit,
De Miſſa pontif. pag. 40. ante pontificem ad miſſarum ſolemnia prodeuntem non fuiſſe prælatam, ſed oſtenſam tantumodo, dum e *Secretario* ad altare accederet, ubi in
C. 3. ciborio aſſervari conſueverit. Facit huc vexatiſſimus canon conc. *Turon.* an. 567. *Ut corpus domini in altari, non in armario, ſed ſub crucis titulo componatur*, ut habet GRABII editio: cum *Labbeana* loco *in armario* habet *in imaginario ordine*, quod difficile de ciborio ſeu conditorio Euchariſtiæ
N. 8. p. 8. explanatur. Facit huc etiam *capſæ* nomen in ord. I. *Rom.* Et licet ibi rem loco mobilem deſignet, qualia ſunt noſtri temporis ciboria, quod tamen in altari non fuerit, ceu loco proprio, haud exprimitur. In
T. XI. p. 1075. ſermone ſynodali, qui ex cod. Mſc. monaſterii *Neresheimenſis* editus in nova Ed. conc. *Ven.* habetur: *Super altare nihil ponatur, niſi capſæ & reliquiæ, aut forte quatuor evangelia & buxida cum corpore domini ad infirmos, cetera in nitido loco recondantur.* Diſtinguitur hic capſa a

byxide

byxide cum corpore Domini, idque adhuc apertius apud BURCHARDUM *Lib. III. c. 97.* in Decreto, ubi idem ex conc. *Remenſi* his verbis habetur: *Nihilque ſuper eo* (altari) *ponatur, niſi capſa cum Sanctorum reliquiis, & quatuor evangelia.* Quod in RATHERII *Veronen.* epiſc. ſynodica ſic legitur: *T. III. conc. germ. p. 7.* *Super altare nihil ponatur, niſi capſæ, & reliquiæ, aut forte quatuor evangelia; & pyxis, cum corpore Domini ad viaticum infirmis. Cætera in nitido loco recondantur.*

X. Dubitet quiſquam, an capſæ cum reliquiis ad idem pertineant, *Reliquiæ ſub altaribus.* an disiunctive ſumi debeant. Hinc ſaltem patet, iam tum nihil religioni fuiſſe habitum reliquias ſuper ipſum altare collocare, cum anteriore ætate ſub altari poſitæ fuerint, ut paſſim in Actis ſinceris apud P. RUINART legitur. *p. 222. 375. 378. 454. 467. 471.* S. AMBROSIUS in epiſt. ad MARCELLINAM de inventione SS. PROTASII & GERVASII ita ſe ad populum dixiſſe refert: *Succedunt victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt, ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub altari, qui illius redemti ſunt paſſione.* Eiusdem rei teſtis eſt S. AUGUSTINUS de civitate Dei. *Lib. VIII. c. 27.* Et S. PAULINUS: *Nat. XI.*

Quæ cineres reverenda tegunt altaria ſacros
Pulveris & ſancti virtutum balantia fragrant.

Et ad SEVERUM: *Epiſt. 12.*

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus
Compoſitis ſacra cum cruce martyribus.

Et: *Sancta Deo geminum velant altaria honorem*
Cum cruce apoſtolicos quæ ſociant cineres.

Quibus tamen ex verbis eodem loco cum divino fœdere (quod ſacra evangelia interpretor) & cruce ſuper altare reliquias collocatas fuiſſe, quis colligat. Sed in eadem epiſtola ipſe ſe explicat PAULINUS:

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.

Omnium autem clariſſime PRUDENTIUS Hymno 3. de S. EULALIA:

Sic venerarier oſſa libet	*Iam pace iuſtis reddita*
Oſſibus altar & impoſitum	*Altar quietem debitam*
Illa Dei ſita ſub pedibus.	*Præſtat beatis oſſibus*
Et hymno 5. de S. VINCENTIO:	*Subiecta nam Sacrario*
Sed mox ſubactis hoſtibus	*Imamque ad aram condita &c.*

Plura in eandem rem vide apud MABILLONIUM præfatione in ſæc. II. *Num. 45. ſeq.* ord. S. BENED. quomodo etiam paulatim elevari tumuli cœperint ſæc. VII. ut tamen humo reconderentur. S. SERVATII *Tungrorum* epiſcopi cum

reliquiæ iuſſu Caroli M. levarentur e tumulo, ab anonymo in ſancti vita memorantur *ante altare poſita. Necdum enim præſumi fas erat, ut quidquam ſuper altare poneretur præter ſacrificium, quia menſa eſt Domini exercituum.* In Gezonis abbatis *Derthonenſis* libro de corpore & ſanguine Chriſti c. 58. apud Muratorium memorabilis in eandem rem habetur hiſtoria, quæ *Alemanniam* noſtram propius concernit: „Eſt eccleſia Beatæ Walburgis, in qua miracula fieri ſolebant. Contigit autem aliquando, ut eiusdem S. Walburgis reliquiæ ſuper altare per aliquot dies manerent, ſed mox miracula ceſſaverunt. Tandem vero ipſa virgo cuidam ex infirmis apparens: Idcirco (inquit) non ſanamini, quia reliquiæ meæ ſunt ſuper altare Domini, ubi maieſtas divini myſterii debet ſolummodo celebrari. Quod cum ille cuſtodibus referret, tulerunt capſam, & protinus miracula fieri cœperunt.“

T. III. Anecd. p. 296.

Proſpectum ſaltem eſt, ut reliquiæ honorifice locarentur, ubi frequens eſſet divinum officium. *Sanctorum reliquiæ*, ut habetur in conc. *Epaonenſi* ſub Sigismundo rege *Burgundiæ* an. 517, quo tunc pars *Alemanniæ* ſpectabat, „in oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſitan clericos cuiuscunque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur. Quodſi illi defuerint, non ante proprii ordinentur, quam eis competens victus & veſtitus ſubſtantia deputetur.“ Sequitur mox canon: *Altaria niſi lapidea chriſmatis unguine non ſacrentur.* Reliquias in altaribus conſecrandis adhibitas ſuperius iam prodidimus, quæ in omnibus Deo & Sanctis eius dicatis ædibus adhibebantur, & iuxta laudatum canonem, non niſi ubi congruus divini officii fuit cultus. A quo exemplo inſtitutoque non exorbitat, ſi quando viri apoſtolici ac religioſi reliquias ſecum in itineribus, aut etiam in ſuis cellis privatis habebant orationis cauſa. Quomodo in vita S. Galli legitur, coram ſuſpenſis in baculo ſeu cruce reliquiis orationi ſe dediſſe, & de S. Meinrado in eius vita refertur, in ſua cella habuiſſe reliquiarum capſas, quas morti tradendus deoſculabatur: *ſtrenue ergo orationem complevit, capſasque ſingulas reliquiarum manu ſuſcipiens, & deoſculans commendabat agonem ſuum domino, & Sanctis, quorum reliquias complectebatur reverenter.*

C. 25. T. V. Conc. ed. Venet. pag. 714.

Sæc. IV. O. S. B. P. II. p. 67.

Crux ſuper altare.
T. I. Conc. Germ. pag. 422.

XI. Capitulare ſub Carolo M. incerti anni ſæc. IX. ineunte, dum ſtatuit inter alia, *ut unusquisque ſecundum poſſibilitatem ſuam certare faciat de ornatu eccleſiæ ſuæ*, nominat cum capſa crucem. In teſtamento S. Everardus legat de paramento capellæ ciborium, cum cruce aurea & capſa aurea. Idem crucem auream cum criſtallo ſuper ciborium. In

teſta-

Digitized by Google

teſtamento Perpetui *Turonenſis* pariter crux aurea legata legitur pro eccleſia. Iam retulimus *Turonenſis* II. concilii canonem tertium: *ut corpus Domini in altari non in armario* (imaginario ordine) *ſed ſub crucis titulo componatur.* Scilicet iuxta S. Paulinum epiſt. XII. ad Severum:

Cuncta ſalutiferi coeunt inſignia Chriſti
Crux, corpus, ſanguis martyris, ipſe Deus.

Et in *Natali* XI.

- - - *Nam reddita fulget in ipſo*
Quo fuerat prius apta loco, & velamine clauſi
Altaris faciem ſigno pietatis adornat,
Ergo eadem ſpecies formam crucis exerit illam.

Apud Sozomenum illuſtre habetur documentum de Crucifixi imagine in *Lib. II. c. 3.* altari taumaturga, quod etiam ab Amalario refertur ex hiſtoria Tripartita lib. I. de off. c. 14. De Probiano podagra laborante, eius virtute liberato. a)

XII. Variæ cruces ad ſacrum miniſterium divinumque officium etiam *Et alibi.* extra altare a Conrado epiſcopo, in veteri chronico *Moguntinenſi* apud Urstisium recenſentur magni pretii ac molis: „Erant cruces argenteæ *Script. Germ. p. 568.* portatiles miræ pulchritudinis, quarum duæ in Palmis, duæ in Paſchate, duæ in hebdomada Paſchæ, duæ in Rogationibus, duæ in Aſcenſione Domini ferebantur: decem per totum. Erat & una crux tantæ longitudinis, ut totum brachium magni viri, in qua erant Sanctorum reliquiæ multæ & magnæ. In medio vero continebat de ligno dominicæ Crucis ad quantitatem digiti. Ad longitudinem vero palmæ virilis: veſtita erat hæc crux auro puriſſimo & gemmis pretioſis multis. Erat & alia crux lignea auro optimo veſtita, in qua imago erat aurea Domini crucifixi, quæ imago cuiuslibet communis hominis magnitudinem excedebat, concava, ſed multum ſpiſſa. Cuius venter plenus erat reliquiis &

gemmis

a) „Cum enim dudum paganus eſſet factus, poſtea Chriſtianus aliquatenus dogma ſequebatur: totius vero ſalutis cauſam, id eſt, ſacratiſſimam crucem nolebat adorare. Hanc habenti ſententiam divina virtus apparens ſignum monſtravit crucis, quod erat poſitum in altario eius eccleſiæ & aperte palam fecit, quia ex quo crucifixus eſt Chriſtus, omnia quæ ad utilitatem humani generis facta ſunt, quolibet modo præter virtutem ſanctæ crucis geſta non eſſent.“ Hoc facit, quod S. Gregorius de miraculis S. Iulianæ c. 43 narrat: „Pendebat autem ſuper altare crux holocryſa, eleganti opere facta: & erat tam præclara viſu, ut eam putares ex auro eſſe mundiſſimo. Advenientibus vero barbaris a quodam eſſe aurea exiſtimata direpta eſt & ſinu recondita. At qui eam ſuſtulerat tanto ſubito pondere prægravatur, ut eam penitus ſuſtinere non poſſet.“

gemmis pretioſiſſimis. Dicebatur autem nec *Romanum* imperium meliores habere. Hæc crux poterat diſſolvi membratim in iuncturis primo in talo &c & hoc ideo, ut commodius & ſecurius poſſet in arca ſibi ad hoc deputata ſpecialiter reſervari. Hæc raro ponebatur, niſi forte præſente rege, vel alio magno principe, & in feſtis Paſchæ, vel Natalis Domini, & pontifice hoc iubente. Cum autem hoc fieri oportebat, tunc in loco valde eminenti in templo ſuper trabem, ubi nulli alieno patebat acceſſus, a miniſtris fidelibus locabatur &c." Legi meretur *Io.* CIAMPINI *de Cruce ſtationali inveſtigatio hiſtorica*: quæ nimirum cruces in proceſſione ad ſtationem præcedebant, uti eo exemplo, hodie in aliis proceſſionibus fit. Erant autem illæ gemmatæ, quarum ectypa exhibet.

Veter. Monument. P. II. c. 6. Tab. X. & XI.

Luminaria.

XIII. Idem CONRADUS eodem loco in recenſione theſauri *Moguntini*: „Erant (inquit) candelabra magna duo, quæ iuxta altare ponebantur argentea, & alia minora, quæ ſuper altare ponebantur, quibus rotæ ſupponebantur latæ propter ſtillicidia candelarum, neſcio quot," Inſigne eſt S. PAULINI teſtimonium in hunc antiquiſſimum eccleſiæ uſum.

Nat. III.

Cara coronantur denſis altaria lychnis
Lumina ceratis adolentur odora papyris
Nocte dieque micant. Sic nox ſplendorque diei
Fulget & ipſa dies cœleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Remarq. XX. ſur les Rubr. de Meſſes T. III. p. 732. &c.

Noſtris temporibus DE VERT uſum cereorum ac lucis primævum tantum ad diſpellendas tenebras in nocturnis officiis fuiſſe contendit, atque PRUDENTIUS in hymno S. LAURENTII tyrannum adloquentem inducit;

Hunc eſſe veſtris orgiis — *Moremque & artem proditum eſt*
Hanc diſciplinam fœderis — *Libent ut auro antiſtites*
Argenteis ſcyphis ferunt — *Fumare ſacrum ſanguinem*
Auroque nocturnis ſacris — *Adſtare fixos cereos.*

Et HIERONYMUS contra VIGILANTIUM, morem hunc eccleſiæ carpentem, in hæc verba loquitur: *Cereos non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris.* Subdit tamen. *Per totas Orientis eccleſias, quando legendum eſt evangelium accenduntur luminaria iam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.*

Nominat laudatus DE VERT nonnullas *Galliæ* eccleſias, in quibus poſt aſcenſum ſacerdotis in altare extinquuntur cerei, ac iterum ad evangelium accenduntur. Eſtque conſtans hactenus in eccleſia etiam occidentali uſus, ut peculiariter ad evangelium lumina deferantur. Idque in

anti-

antiquiſſimis ordinibus *Romanis* præſcribitur, *ut duo acolythi duo cereoſtata portent ad evangelium.* Sed numero adhuc plura erant, nec etiam per reliquum miſſæ officium extinguebantur lumina. „Candelæ (inquit Amalarius *Ecloga* in ord. *Rom.*) primo inluminantur extra eccleſiam & per acolythos portantur in eccleſiam. Primo candelæ procedunt, & poſtquam ventum fuerit ad altare poſtponuntur.“ Non ergo fixi in altari erant, ſed eo manibus portabantur, ut mox idem dicit, ac ſubdit: „Eædem candelæ uſque *Kyrie eleiſon* acolythorum manibus tenentur, & tunc ponuntur in pavimentum & ſtant fixo gradu... ſtantque tunc per ſe & inluminant eccleſiam.“ Et paullo poſt: „Poſt primam namque orationem ponuntur candelæ ante altare non iam altrinſecus, ut antea, ſed mixtim per ordinem, unaquæque poſt alteram uſque ad noviſſimam.“

Dixerat antea: „Quot diaconi ſunt, tot candelabra portantur, ſeptem nimirum iuxta morem *Romanum*.“ Quod idem Amalarius expreſſe dicit lib. III. de Officiis cap. 7. *Numerus cereoſtatorum non pertranſit ſeptenarium numerum*, ut in antiquis etiam miſſæ ordinibus habetur, veluti *Salicoſano* apud Menardum. Sed verba Amalarii innuunt, non excedere numerum ſeptenarium, licet minor eſſe potuerit pro feſtorum ratione, uti in eccleſia *Turonenſi* notat D. de Moleon feſta ſeptem, quinque aut trium candelarum. Idemque obſervavi paſſim in antiquis ordinibus, veluti in *San-Blaſiano* ſæculo XIV. qui ad ſæculum uſque XVI. uſu obtinuit *In Maior-maioribus, & Maioribus feſtivitatibus VII. In Minoribus feſtivitatibus V. In Maiori pleno officio III. ſuper gradum*; ſed præterea tres ſuper altare accendi iubentur tam ad miſſam, quam horas maiores; idque ſimiliter in omnibus recenſitis feſtis præſcribitur, ut tantum in feſtis ſummis V. in altari accenderentur cum aliis ad numerum XXIV. præter ſtellam cum ſex lampadibus. In huiusmodi feſtis iuxta ordinationem S. Alderici apud Baluzium 90. uſque lampades & decem cerei ad nocturnos ardebant. In paſchali nocte præſertim ab antiquiſſimis temporibus ex luminibus ingens fuit illuſtratio, unde etiam D. de Moleon uſum, qui hodieque perdurat, eſſe putat, ne eo die cerei ad evangelium portentur, quod aliunde lux maxima fuerit. Veluti innumera fuiſſe aliis etiam feſtis diebus, ex S. Paulino diſcere licet. a) Iam

pag. 254. — *Voyage li-turg. p. 124.* — *T. II. Miſc. p. 111.* — *pag. 129.*

a) Nat. III.

His ſcyphulis incerta relucent
Lumina cum fert feſta dies.

Et in Nat. XI.

Vel circumfixa per omnes
Ordine dimenſo quaſi candelabra columnas
Depictas extare gerunt qua cuſpide ceras,
Lumina ut incluſis reddantur odora papyris.
At medio in ſpacio fixi laquearibus altis
Pendebant per ahena cavi retinacula lychni

Iam tum perpetuum lumen arſiſſe in eccleſiis, etiam in villis, colligi videtur ex S. Epiphanio, qui ad Ioannem epiſcopum ſcribit, ſe prætereuntem per villam quandam vidiſſe ibi *lucernam ardentem*, ac didiciſſe eſſe
Acta O. S. B. ſæc. IV. P. II. p. 68. eccleſiam. De oratorio S. Meinradi eremitæ ex eius vita idem diſcimus, ac præterea candelas habuiſſe in ſua cella haud dubie ad ſacrificium miſſæ, quasque a parricidis poſt mortem ad ſuum corpus incendi petierat: atque, ut vivens vir Dei rogaverat, candelas ſumſerunt, unam ponentes ad caput, cum alia currebant ad ipſam capellam, lumen inde allaturi, quod in
Sæc. III. P. II. p. 167. 168. eodem altari iugiter ardebat. Ex iisdem actis diſcimus etiam, quales fuerint eiusmodi lychni penſiles in lucerna vitrea fune ſuſpenſa: „Finita iam miſſa funem, quo lucerna dependebat incaute laxando ſubmiſit, ſicque lux ipſa deceſſit. Tum vero mirum in modum ſub plumbo, cui papyrus imponebatur, cerneres ignem eius unius digiti menſuram ex oleo conſumſiſſe, & eidem plumbo ſuper ſe poſito nihil omnino diſpendii vel læ-
Acta O. S. B. ſæc. II. p. 265. ſionis intuliſſe.“ Referri hic merentur, quæ idem habet de *Pharo* eiuscemodi, ut vocari ſolebat. „Frater quidam, qui in eadem eccleſia cuſtodis fungebatur officio, cum *Pharum*, quæ ante altare *S. Galli* pendebat, pro incendendis luminaribus ad inferiora deponere debuiſſet, incaute funem, quo ipſa *Pharus* dependebat, retraxit. Qui ſtatim e manu dilapſus, paxillum, cui inſertus erat, de pariete extraxit. Quumque eadem *Pharus* ſub nimia celeritate ſolo appropiaſſet, repente ſubſtitit, & absque ullo humanæ retinaculo artis in aere ſuſpenſa remanſit. Cuſtos igitur miraculi ſtupore perculſus allato igni lampades omnes accendit, & plurimis hoc factum cernentibus absque pinguedinis effuſione ſeu diminutione lucernarum altius ipſam *Pharum*, quam pendere ſolebat, retraxit.

Votiva porro erant ac pretioſa dona etiam coram ſacris reliquiis ſuſpendi ſolita. De ablatis per *Longobardos Romæ* huiusmodi queritur Gregorius III. in litteris ad *Carolum* Martellum: *Omnia enim luminaria ad honorem ipſius principis apoſtolorum, & quæ a veſtris parentibus, vel a vobis oblata ſunt, ipſi ſuſtulerunt.* De his decoribus a pontificibus *Romanis* auctis paſſim liber pontificalis. Apud *Græcos* ſequioris ævi notatur κανδηλάπτης, a candelis accendendis, licet etiam alia munia ſubierit, ut
T. II. p. 162. obſervavi de Cantu & Muſica ſacra ex euchologio, & Codino apud Gretserum T. XV. Opp. p. 93. *Mediolani* peculiares erant *Cicendelarii* ad cuſto-

Qui ſpecie arborea, lentis quaſi vitrea virgis
Brachia iactantes, ſummoque cacumine rami
Vitreolos geſtant tanquam ſua poma caliclos,
Et quaſi vernantes accenſo lumine florent
Denſaque multicomis imitantur ſidera flammis,
Diſtinguuntque graves numeroſa luce tenebras &c.

Digitized by Google

cuſtodienda luminaria templi, lampades, lychnos, candelabra, aliaque huiusmodi vaſa ad lucem ferendam in æde ſacra. Qualis fuit BEROLDUS ſæc. XII. cuius librum de ordine & cerimoniis eccleſiæ *Mediolanenſis* edidit MURATORIUS, ubi ipſe BEROLDUS ſic habet: „De cætero vero ſexdecim cuſtodes adnotantur ſub cimeliarcha ſuo præſcripti, quorum octo maiores, & quatuor minores ſunt, ita tamen, quod quatuor maiores vocantur cicendelarii, & quatuor oſtiarii, & hi octo maiores iacent in ſecretario ad cuſtodiendum theſaurum eccleſiæ. Sed tamen bini per hebdomadam unus cicendelarius &c.“ *T. IV. antiq. Ital. p. 861. ſeq.*

XIV. Sed ut ad nos, atque ad id, quod caput eſt, altare ſcilicet ſeu menſam eius, in qua fit conſecratio revertamur, eius iconiſmum triplicem in ſacramentario noſtro *ſan-Blaſiano* 900. annorum cum ipſa ſacerdotis imagine picta habes tomo ſecundo. I. ad ea verba Canonis *Quam oblationem tu Deus &c.* II. ad illa: *Supplices te rogamus omnipotens Deus &c.* III. ad finem orationis *libera nos quæſumus Dñe &c.* planum quidem ac omnibus hactenus recenſitis ornamentis deſtitutum, veſtitum tamen. Quod olim fieri ſolebat demum ad ipſam celebrationem miſſæ, ad offertorium potiſſimum, ut ſuo loco dicemus, obſervatque D. DE MOLEON in *Itinere liturgico*, in capellis cathedralis eccleſiæ *Andegavenſis* altaria nuda eſſe, veſtirique primum ante ipſam celebrationem miſſæ pariter ac in eccleſia *Lugdunenſi S. Ioannis*, & *S. Martini Turonenſi*. In ſermone ſynodali, qui ex cod. *Neresheimenſi* in edit. Conc. *Veneta* habetur, præſcribitur in eam rem: *Altare coopertum ſit mundis linteis.* Puritatem hanc linteaminum horumce paſſim ad ſenſum myſticum explicant, qui medio ævo de rebus liturgicis ſcripſerunt. Rem vero ipſam BURCHARDUS in Decreto ex conc. *Remenſi* pluribus commendat verbis hiſce: „Obſervandum eſt, ut menſa Chriſti, id eſt altare, ubi Corpus dominicum conſecratur, ubi ſanguis eius hauritur, ubi Sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conſpectu Dei funduntur, a ſacerdote honoretur, & mundiſſimis linteis & palliis diligentiſſime cooperiatur.“ *Rhabanus* MAURUS de ordine ſacrament. & veſtiment. ſacerdot. adhuc rem magis explicatam dat: „Immittiturque ſuper altare corporale, h. e. pallium, quod ſignificat linteum, quo corpus ſalvatoris involvebatur, quod ex lino puro textum eſſe debet, & non ex ſerico, vel purpura, neque ex panno tincto, ſicut a SILVESTRO Papa conſtitutum eſt.“ Corporale tamen diſtinctum eſt ab aliis linteis, quibus tegitur altare. Sic in laudato ſermone ſynodali habes: *Corporale mundiſſimum ſit; altare coopertum de mundis linteis.* Variis coloribus iisdem, quibus ſacræ ſacerdotales veſtes exprimuntur

Vela ac pallia altaris.

pag. 79.

pag. 51.

pag. 126.

T. XI. pag. 1075.

Lib. III. c. 97.

Cap. 19.

T. XI. Conc. p. 1075.

Digitized by Google

muntur altaris opertoria, duo in menſæ ſeu altaris lateribus adumbrata ſubrufo & cæruleo colore in albo, ſicut ipſa *alba* exprimitur, atque duo linteamina in modum crucis ſuper altare pendentia deſuper ipſum corporale, quod videtur in altari expanſum.

Quidquid vero licentiæ pictoris demus, conſtat varii coloris præter ſacra linteamina ac ipſum corporale opertoria quædam altarium fuiſſe, qualia hodie antipendia vocamus, olim autem totum altare quaquaverſum liberum texerunt. Ut nihil dicam, quod de CONSTANTINO M. perhibet THEODORETUS lib. I. hiſt. c. 31. ſacrum altare eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* tunc exſtructæ regalibus velis & aureis donariis gemmarum fulgore diſtinctis ornatum fuiſſe. Propius ad rem eſt, quod PALLADIUS narrat de quibusdam matronis *Romanis*: *Et primum quidem omnia ſua ſerica ſuperhumeralia tegumenta dedit altaribus, quod & veneranda fecit Olympias.* Inter epiſtolas S. BONIFACII habetur GUTBERCTI ad LULLUM archiepiſcopum *Moguntinum* gratiarum actoria: „Similiterque mihimetipſi coopertorium variatum ad tegendum ſcilicet propter frigus meum corpus miſiſti, quod videlicet omnipotenti Deo & B. PAULO apoſtolo ad induendum altare, quod in eius eccleſia Deo conſecratum eſt, cum magno gaudio dedi.“ *Gen. dipl. T. I. p. 304.* In actis monaſterii *Murenſis* apud P. HERRGOTT notatur: *ſericum pallium, quod in feſtivis diebus iacet diviſum ſuper altare B. Mariæ.* Et *pag. 315.* poſtea: *Pallia* ad altaria de ſerico VII. ad primare altare. Vocabantur *Maforium* ſeu *Mavors*, ut notat *Dom.* GEORGIUS ex charta *Cornutiana*: ubi ad ornatum eccleſiæ *Q.* THEODOVIUS donat *Mafortem Rhodomelinum*, id eſt pomi inſtar rubentem. Item *Mafortem* e teleo porphyro tramoſericum opus marinum; item alium holoſericum Luritatum. Explicat rem *Bolland. T. VII. Maii p. 628.* anonymus de miraculis S. GIBRIANI, qui narrat de comitiſſa RICHILDE. „Acceſſit ad memoriam ſancti, poſitisque genibus & oratione fuſa ſurgens, tam ulnis cordis quam corporis, virtutifera membra, non ſine fletu & ſingultu, deoſculata, & diutiſſime amplexata eſt, ſeque eius patrocinio humiliter commendavit; ſed & *Maphortem* ſericum non minimi pretii pro benedictione obtulit, deprecans, quotieſcunque miſſa ad eius altare celebraretur, ipſi menſæ ſacratæ ob memoriam ſui ſuperponeretur.“ Apud ANASTASIUM, ut notavit MABILLONIUS in ord. *Rom.* in GREGORIO IV. recenſentur *vela*, quæ ſacrum altare circumdant. Notanturque trabes nonnunquam argenteæ ad ſuſtinenda vela, & quidem nonnullæ ſuper columnas altaris in PASCHALI I. Quæ columnæ aut ciborii ſunt, aut ipſius altaris, quod etiam columnis inſtrui ſolebat.

XV.

XV. Inquirit laudatus MABILLONIUS, quid ſint *regulares*, qui ſuper rugas poſiti erant, & ex quibus vela & imagines dependebant; probat eorum ſententiam, qui *virgas ligneas, vel æreas, quibus vela adducebantur, reducebanturque*, hoc vocabulo deſignari volunt. Nimirum ex illis regularibus dependiſſe imagines prodit variis in locis ANASTASIUS. *Fecit tres regulares argenteos ſuper rugas, per quas ingrediuntur ad altare: ubi imagines in frontiſpicio conſtitutæ ſunt.* Alia habes teſtimonia eiusdem apud MABILLONIUM. Quales autem imagines eſſe conſueverint, paſſim idem ANASTASIUS declarat: veluti in vita SIXTI III. VALENTINIANUM auguſtum eius hortatu obtuliſſe dicit imaginem auream cum XII. portis, & apoſtolos XII. & Salvatorem gemmis pretioſiſſimis ornatum, quem voti gratia ſuper confeſſionem B. PETRI apoſtoli poſuit. Idem de SYMMACHO P. perhibet votum ſolutum baſilicæ S. PAULI *Oſtienſi*. Alia ex eodem ANASTASIO GEORGIUS teſtimonia congerit c. 29. ut probet, imagines quoque ſeu thoraca, vultus & effigies Sanctorum auro & argento conflatas, & intra *confeſſionis cubiculum*, & ſuper altare antiquitus fuiſſe collocatas. Quamvis de ipſo altari id non probent teſtimonia illa, niſi forte in tabulatu ac columnis ciborii: uti in chronico *Fontanellenſi* ANSEGISUS abbas perhibetur altare in honore perpetuæ Virginis MARIÆ decoraſſe tabula lignea, quam imaginibus argenteis diverſis cooperuit. Idem in *Flaviniacenſi* monaſterio in honore Sanctæ Trinitatis baſilicam ædificavit: *Ante cuius aram tabulam argenteis imaginibus decoratam collocavit, ipſique aræ crucem argenteam poſuit, univerſamque baſilicam variis picturis decorari iuſſit.* In actis *Murenſibus* apud P. HERRGOTT *Geneal. diplomat.* T. I. p. 314. recenſentur *ligneæ cruces & figuræ Sanctorum diverſis temporibus factæ.*

Imagines, vela eccleſiæ, picturæ, aliaque paramenta.

De Miſſa Pontif. lib. I.

Eſt hoc intelligendum de imaginibus ſculptis, prout a WALAFRIDO diſtinguuntur peculiari cap. 8. *de imaginibus & picturis* in opuſculo *de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum.* Ubi ſic infit: „Nunc iam de imaginibus & picturis, quibus decus eccleſiarum augetur, dicenda ſunt aliqua. Quia & earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda eſt, ut quibusdam ſtultis videtur: nec iterum ſpecioſitas ita eſt quodam deſpectu calcanda, ut quidam vanitatis aſſertores exiſtimant.“ Tangit poſtea etiam, quæ circa hanc rem tam in Oriente quam Occidente, florente *Francico* regno, quo tunc *Alemannia* noſtra comprehendebatur, fuerunt agitata, atque rectum definit cultum ex ipſo catholico de invocatione & veneratione Sanctorum dogmate, diſtinctioneque a latria facta ſoli Deo debita: „Et huic quidem ut Deo (inquit) Domino, iudici, Creatori, Omnipotenti & Salvatori ſupplicamus: illos vero, ut Dei amicos, Domini famulos, patronos, vere honoratos, & pleniter ſalvatos in adiu-

torium vocamus. Tales eſſe preces fidelium, qui publicas eccleſiæ orationes conſiderare norunt, dubitare non poterunt. Cum itaque talis ſit Chriſtiani perfectio ſenſus, non ſunt omnimodis honeſti & moderati imaginum honores abiiciendi &c." Et demum ſic concludit: „Sic itaque imagines & picturæ habendæ ſunt & amandæ, ut nec deſpectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipſorum, quorum ſimilitudines ſunt, redundet iniuriam: nec cultu immoderato fidei ſanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impenſus, arguat nos minus ſpiritualia contemplari." Legi apud eundem merentur, quæ de utilitatibus ex picturis redundantibus ibidem tractat.

Ut de S. GEBHARDO, epiſcopo *Conſtantienſi*, conditore monaſterii *Peterhuſani* prope eam urbem, refertur ex chronographo *Conſtantienſi* in actis Ord. S. BENED. ſæc. V. pag. 841., quod nimirum inter ædificia admodum pretioſa tam in choro, quam in eccleſia & circa altare „præſertim muri baſilicæ fuerint ex omni parte pulcherrime depicti ex ſiniſtra veteris teſtamenti materias habentes. *Venetiarum* namque epiſcopus modium plenum graici coloris, qui *Lazurius* dicitur, contulit: quam picturam CONRADUS abbas ex toto deleverat, quoniam antiquitas iam abſtulerat decorem." Iam ſupra retuli tabulam ab eodem poſitam ad altare tantæ magnitudinis, ut totum operiret ciborium, habentem quatuor evangeliſtarum imagines, elato ſeu cœlato opere in transverſum.

Antiquitus apud *Gallos* non altaria, ſed parietes decoratas fuiſſe, MABILLONIUS probat lib. I. c. 8. de Liturgia *Gallicana*, ubi etiam recenſet, quas *Sulpitius* SEVERUS in baptiſterio depingi curaverat imagines S. MARTINI

Epiſt. 32. & S. PAULINI adhuc viventis. Quod Sanctus improbaverat de ſua imagine, ipſe tamen etiam memorat in Nat. IX. picturas porticibus eccleſiæ appoſitas; Natali vero VI. maius adhuc aliorum in hac re deprædicat ſtudium:

Cedo alii pretioſa ferant donaria, meque
Officii ſumtu ſuperent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino
Sive coloratis textum fucata figuris.
Hi leves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis &c.

Vela eccleſiæ pingendi uſum improbare viſus eſt S. EPIPHANIUS in laudata iam ad IOANNEM *Hieroſolymitanum* epiſtola, credo potius ob diſtortam imaginem. „Inveni (ſcribit) ibi velum pendens in foribus eiuſdem eccleſiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cuiuſdam. Non enim ſatis memini, cuius imago fuerit. Quum ergo

Digitized by Google

ergo hoc vidiſſem in eccleſia Chriſti contra auctoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent. Illique contra murmurantes dicerent: Si ſcindere voluerat, iuſtum erat, ut aliud daret velum, atque mutaret. Quod quum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico eſſe miſſurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere: arbitrabar enim de *Cypro* mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi, quod potui reperire, & precor, ut iubeas presbyteros eiusdem loci ſuſcipere velum a latore, quod a nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere in eccleſia Chriſti eiusmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi." Qui adeo ſtudioſe optimum velum quæſivit, ornatum ſe eccleſiarum magni facere oſtendit. Hincque antiquus uſus eccleſiarum parietibus vela obtendendi probatur. Quod de palliis altarium modo diximus, habetur quoque ex Optati *Milevitani* teſtimonio, quo eius rei uſus conſtans demonſtratur. *Quis*, inquit, *fidelium neſcit, ligna linteamine cooperiri? Inter ipſa ſacramenta velamen potuit tangi, non lignum.*

Primas in noſtra *Alemannia* eccleſias ut plurimum ligneas fuiſſe, ſupra meminimus. De earum ornatu nihil legitur. Facile tamen de eo coniici poteſt ex cultu templorum inde ab antiquiſſimis temporibus ubique gentium adhibito: tum etiam ex iis, quæ ſunt literis deinceps commendata. Cuiusmodi exempli cauſa in eccleſia *Moguntina* fuiſſe Conradus epiſc. in chronico deſcribit: „Erant ibi purpurarum pretioſarum tantæ copiæ, ut diebus feſtivis totum monaſterium, cum ſit tamen longum & latum, intrinſecus tegeretur, & tamen adhuc ſuperfuerunt. Erant tapetia & dorſalia mira picturæ varietate diſtincta, quæ operis ſubtilitate & pulchritudine animos intuentium admiratione delectabant. Præter iſta erant & alia, quæ ſuper pavimentum templi, & ſcamna, & coram altaribus ſternebantur. Eiusmodi etiam ornamenta in actis Murenſibus apud P. Herrgott notantur peculiariter pro feſtivitatibus: „Miſſalia lintea in ſolempnitatibus ſuper altaria ponenda: duo ad primare altare, unum ad S. Mariam: unum ad S. Petrum: unum ad S. Crucem. Sunt & hic duo offertoriola & linteum analogium ſupter evangelium ponendum in feſtivis diebus, & V. confanones, & unum ſericum ſuper ſedile ſacerdotis ponendum, & quatuor vela, & tria tapetia, & adhuc de aliis paliis, quæ vocantur bancalia &c." In append. Ord. *Rom.* IX. apud Mabillonium p. 159. aliquid in hanc rem de uſu *Romano* habetur: „In memoriam poſterorum ſcribimus nos canonici baſilicæ S. Petri, in quibus noctibus lectorium eiusdem baſilicæ de conſuetudine ornatur, mappula & facula librarum duarum a confeſſione traditis,

Apud Urſtiſ. p. 567.

Geneal. dipl. T. I. p. 315.

Digitized by Google

videlicet Dominica *de* Gaudete Nativitas Domini &c.[a] Sed adhuc ſemel CONRADUM noſtrum audiamus de aliis ornamentis. „Nunc (inquit) de ornatu & theſauro eccleſiæ, & primo de pertica audiatis. Erat pertica argentea concava deaurata, quæ tantum præcipuis feſtis, ut in Paſſione, Pentecoſte, in dedicatione eccleſiæ, in feſto patroni glorioſi confeſſoris beati MARTINI, in Nativitate ſalvatoris, ante altare dependebat: in qua vaſcula ſuſpendebantur, quædam eburnea, quædam argentea, formarum diverſarum, omnia reliquiis plena. In horum omnium medio fulgebat ſmaragdus ſuſpenſus catenis aureis duabus, habens quantitatem & ſpiſſitudinem dimidii peponis magni, & per omnia ſimilitudinem habens peponis, & ipſe concavus &c." Pergularum fit mentio ſubinde in libro pontificali ad exedram ſeu menſam deſignandam, in qua ſacra donaria exhibebantur diebus ſolemnioribus.

Picturarum in eccleſiis paſſim in carminibus meminit PAULINUS *Nolanus*, multaque in actis ſynodi *Nicænæ* II. occurrunt inter alia S. NILI reſponſum ad Olympiodorum, ex quo probatur, receptam fuiſſe etiam apud Chriſtianos conſuetudinem ornandi eccleſias non modo ſacris, ſed etiam variis animalium figuris. Teſtimonium illud deſcribit *Io.* CIAMPINI P. I. c. 27. *veterum monumentorum*, in quibus præcipue muſiva opera ſeu picturæ antiquiſſimæ ſacrarum ædium illuſtrantur ac etiam æri inciſæ repræſentantur. De pictura ſacra duobus libris tractavit Cardinalis *Federicus* BORROMÆUS, qui ſunt vol. VII. ſymbolarum literariarum recuſi. De imaginibus crucifixi GRETSERUS de cruce, ARINGIUS in *Roma* ſubterranea, & *Iac.* BOSIUS in cruce triumphante & glorioſa, CIAMPINI de ſacris ædibus c. 4. multa ad rem collegerunt, hic præſertim de operibus antiquis muſivis, quæ ſæpe iis congruunt, quas S. PAULINUS deſcripſit picturas E. c. Chriſti Domini in ſpecie Agni in abſide eccleſiæ *Fundanæ*, ab ipſo PAULINO extructæ:

Sub cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in agno
Alite quem placida ſanctus perfundit biantem
Spiritus, & rutila genitor de nube coronat.

Act. IV. pag. 244. Quibus verſibus SS. Trinitatis imago deſcribitur, quam idem PAULINUS clarius deſcribit in *camera* baſilicæ *Nolanæ*:

Epiſt. XII. ad Severum.

Pleno coruſcat Trinitas myſterio
Stat Chriſtus agnus; vox patris cœlo tonat
Et per columbam Spiritus ſanctus fluit
Crucem corona lucido cingit globo:

Et paullo poſt:

Sanctam fatentur crux & agnus victimam.

Item:

Item: *Arduæ flori feræ crux cingitur orbe coronæ*
Et domini fuſo tincto cruore rubet.
Quæque ſuper ſignum reſident cœleſte columbæ
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Ubi ſemper cum cruce columba S. Spiritus ſymbolum comparet, quem morem Gretserus lib. II. de cruce c. 20. S. Paulino antiquiorem ex Osorio probare nititur, qui S. Thomæ apoſtoli crucem deſcribit, in civitate *Malipure* eiusque colle, in quo ſacellum, inventam, ac lapidi inciſam, in cuius faſtigio columbæ imago reſidebat, ſed hoc nihil nunc ad nos. In ſynodo *Trullana* ad finem ſæculi VII. aut initium VIII. cautum eſt can. 82. ut loco Agni Chriſtus in cruce, in hominis figura pingeretur.

Card. *Feder.* Borromæus lib. I. de pictura ſacra c. 6. *de nuditate*, ad concilium provinciale *Moguntinum* contra licentiam impudentiamque pictorum provocat, in quo can. 41. *procaces imagines*, & *nimio artis lenocinio ad mundanæ potius vanitatis ſpeciem*, *quam ad pietatis commonitionem effigiatæ*, *in templis proponi* omnino vetantur.

CAPUT II.

De ſacris Vaſis.

I.

Specialis ſemper cura inde a prima eccleſiæ ætate fuit in ſervandis cuſtodiendisque rebus ad ſacrum miniſterium pertinentibus. S. Laurentii acta apud Ambrosium, Augustinum & Prudentium documento ſunt, quantum eccleſiæ perſecutores his eccleſiæ theſauris diripiendis inhiarint. Fuitque hoc præcipuum *Donatiſtarum* flabellum, ac varia hic accuſationum capita. Unde in concilio *Arelatenſi* an. 314. decernitur: „De his qui ſcripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, ut quicunque eorum ex actis publics fuerit detectus, non nudis verbis, ab ordine cleri amoveantur.“ Alienum eſt ab inſtituto noſtro hic enarrare, quæ tum iniuſtis accuſationibus

Vaſa ſacra.

Can. 13.

 nibus

nibus, cum iuſtis retorſionibus agitata ſint, tum aliis etiam eiusmodi cauſis, quidve in hac re variis eccleſiaſticis canonibus ſit conſtitutum.

T. I. Conc. Germ. p. 36. Ad propoſitum noſtrum eſt, quod in capitulari GREGORII II. quod datum eſt MARTINIANO epiſcopo, GEORGIO presbytero, & cæteris in *Bavariam* ablegatis, inter primarias epiſcopi curas ſtatuitur: *Miniſteria atque ornatum eccleſiæ, vel quidquid eſt vel fuerit in patrimonium eiusdem non minuere ſtudeat, ſed augere.* Quæ verba in epiſtola eiusdem GREGORII II. habentur, inter *Bonifacianas* 124. In capitulis ſub CAROLO M. ineunte ſæculo IX. ſcitum habetur: „Ut unusquisque ſecundum poſſibilitatem ſuam certare faciat de ornatu eccleſiæ ſuæ, ſcilicet in patena & calice, planetam & albam, miſſale, lectionarium, martyrologium, pœnitentiale, pſalterium, vel alios libros, quot potuerit, crucem, capſam vel, (vela) ut diximus iuxta poſſibilitatem ſuam.“ In relata ſchismatis *Donatiſtarum* cauſa mentio fit *brevis auri & argenti*, quod *commemoratorium* vocat OPTATUS *Milevitanus*: „Erant enim eccleſiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat, quæ quaſi fidelibus ſenioribus commendavit commemoratorio facto.“

T. XII. bibl. PP. p. 121.

T. I. conc. germ. p. 423. c. 9.

Lib. I. c. 16.

Superius inter partes ſacrarum ædium mentionem iniecimus ſecretarii ſeu veſtiarii, ubi ſacra huiusmodi ſervabatur ſupellex. In Decreto BURCHARDI ita ex conc. *Remenſi* refertur: *Expleta miſſa calix cum patena & ſacramentorum liber cum veſtibus ſacerdotalibus in mundo loco ſub ſera recondantur.* Eadem autem religione, quo recondita in eodem loco, iterum depromta inde ſunt. Cuius rei in ordinibus *Romanis* frequens eſt mentio. In ordine I. recenſentur varia eiusmodi aurea & argentea vaſa, quæ „Acolythi de eccleſia ſalvatoris per manum primi manſionarii ſumunt, & baiuli portant. Diebus vero feſtis calicem & patenam maiores, & evangelia maiora de veſtiario dominico exigunt ſub ſigillo veſterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur.“ In Ord. III. „Sed hæc cura erit acolythorum, ut ſacri miniſterii vaſa per manum primi manſionarii, qui eſt cuſtos dominicalis veſtiarii, accepta, deferantur per baiulos.“ Vocat hunc *theſaurum ſummi ſacramenti, miſſæ ſacretarium* RUPERTUS *Tuitienſis* lib. I. de div. off. c. 17. *de miniſterio altaris.*

Lib. III. c. 97.

Num. 3.

Num. 4.

Nomine paullo poſt ſacrarium, unde ſacriſtæ vocabulum eſt, mutato paululum uſu nominis hodierno ab antiquiore, pro theſaurario (ut idem RUPERTUS ibidem vocat) ſeu theſaurorum cuſtode: quo nomine perſcripta eſt PAULI ſacerdotis & GEBEHARDI virorum religioſorum eccleſiæ *Ratisbonenſis* ad MARTINUM presbyterum, & theſaurorum S. AMBROSII cuſtodem,

T. I. Muſ. Ital. P. II. p. 95.

ſtodem epiſtola: quod eccleſiæ munus item, & cicendeliorum ſupra memoravi. Nomen autem cuſtodis ac munus hodie perſeverat in cathedralibus collegialibusque eccleſiis, ac monaſteriis etiam mulierum, ubi ab antiquo tempore *cuſtrix* theſauri eccleſiæ curam gerit, ut Ducangius notat. Inter varia autem *cuſtodum* munia apud eundem diſtincta primum hoc notatur, cui templi cura incumbit, quod in noſtra *Alemannia* antiquiſſimum eſt, cum apud *Walafridum* Strabum (in vita S. Othmari, abbatis *S. Galli*) presbyter cuſtodis officium geſſiſſe legatur. *cap. 11.*

II. Uti vero ethnici perſecutores inſidiabantur eiusmodi eccleſiæ theſauris, ita poſtea facti chriſtiani, eosdem inſtruere ſtuduerunt pii principes. Quod S. Hieronymus ex Zachariæ prophetia illuſtrat: „Quod (inquit) eadem regalis poteſtas, quæ prius ſedebat in inſidiis cum divitibus, & quaſi ex ſenatus conſulto Chriſti nomen conabatur extinguere, nunc expenſis reipublicæ eccleſiarum baſilicas extruat, & exaltet ſumma veſtigia, ut non ſolum laquearia & tecta fulgentia auro decoret, ſed parietes diverſi marmoris veſtiat cruſtis, & divinos libros, quos prius tradebat incendio, nunc deauratos & purpuratos, & gemmarum varietate diſtinctos in cuſtodiam *Romani* verterentur ſtatus." Constantinus apud Eusebium, Socratem, Sozomenum & in libro pontificali ob pretioſa donaria imprimis laudatur. Iterum poſtea Iulianus apoſtata ſacrilegas intulit manus, quod Theodoretus de vaſis ſacris eccleſiæ *Antiochenæ* in ærarium publicum illatis commemorat, quorum vaſorum Felix comes *magnificentiam conſpicatus* (Constantinus *enim &* Constantius *ambitioſe fabrificari ea iuſſerant*) *ecce, inquit, quibus vaſis Mariæ filio miniſtratur.* Sed non diu graſſari permiſſus eſt Iulianus, iterumque imperatores Chriſtiani, ac poſtea reges imprimis *Francorum* eandem munificentiam ad ornatum eccleſiæ exhibuerunt, atque alii etiam, qui facultatibus pollebant, ſunt æmulati, eccleſia vero religioſe accepit. Ritus offerendi vaſa ſacra aurea & argentea illuſtravit *Iuſtus* Fontaninus *De diſco argenteo votivo veter. Chriſtian.* C. XXI. & ſeqq.

Pretioſa ex auro, argento, gemmis.

Comment. in C. VII. Zachar.

Lib. III. hiſt. eccl. c. 12.

Ad rem noſtram illud propius pertinet, quod apud Ekkehardum in vita B. Notkeri *Balbuli* narratur de Petro *Veronenſi* epiſcopo ad *S. Gallum* grave pondus auri ferente: *Quid ergo de auro* Petri *fit*, ſunt Ekkehardi verba, *calix fit*, *capſa fit*, *cavea evangelii*, *omnia pretioſiſſimis gemmis ornata.* Conradus epiſcopus theſaurum eccleſiæ *Moguntinæ* multis deſcribit, atque inter alia recenſentur „thuribula X. argentea deaurata, & unum aureum habens auri marcas tres, & accerræ XI. inter quas una erat de lapide integro onychino concavo habens ſimilitudinem vermis

Goldaſt. rer. Alem. T. I. p. 232.

Urſtiſius ſcript. rer. Germ. pag. 568.

mis

Digitized by Google

mis horribilis, id eſt, ut bufonis: concavitas eius patebat in dorſo, ubi & circulus argenteus cum litteris *græcis* ambiebat. In fronte huius acerræ quia caput habebat ſimile vermi monſtroſo, erat lapis topazius valde pretioſus magnitudinem habens dimidii vitelli ovi: in oculis eiusdem acerræ duo robini: quos carbunculos vocant. Adhuc eadem acerra habetur hic, ſed gemmæ non. Item erant duæ grues argenteæ concavæ, quæ ſolebant poni iuxta altare hinc & hinc impoſitis carbonibus & thure & thymiamate boni ordoris fumum per guttura & roſtra emittebant. Erant autem grues tantæ magnitudinis, cuius vivæ. Erant ibi libri, qui pro ornatu ſuper altare ponebantur, ut evangeliorum, epiſtolarum, plenariorum &c. aliqui veſtiti ebore ſculpto, alii argento, alii auro & gemmis. Erant pelves 4. argenteæ, urcei diverſarum formarum, quos manilia vocant, eoquod aqua ſacerdotum manibus funderetur ex eis, argentea &c."

Libri etiam liturgici.

III. In actis *Murenſ.* apud P. Herrgott *Geneal. dipl.* T. I. p. 314. habes: *Adhuc ſunt hic duo plenaria, unum ex auro & lapidibus precioſis optime factum eſt; alterum autem cum argento, & duo aurei calices, & quatuor argentei &c.* Cum vero ſucceſſu temporum eiusmodi ſupellex ac pretioſa vaſa in aliam plerumque formam ſint redacta, aut variis caſibus perierint, paſſim ſaltem adhuc quædam inter cimelia ſervantur libri liturgici cum pretioſis tegumentis, gemmis, auro, argento, ac tabulis eburneis, quales ſupra p. 105. deſcripſimus *Solodorenſem* & *S. Blaſianum* libros ſacramentorum, qui præcipue ſic ornari conſueverant. Flodoardus Hincmarum *Remenſi* eccleſiæ donaſſe refert librum quoque ſacramentorum, ſed & lectionarium, quos ſcribi fecit, ebore argentoque decoratum.

Lib. III. cap. 5.

Huc referenda ſunt diptycha, tabulæ eburneæ, cuiusmodi meminit etiam pretioſi metalli charta I. Rudesindi *Dumienſis* epiſcopi æra 930. apud Yepez in chronico ord. S. Bened. ut Georgius habet: *diptagos* (diptychos) *argenteos imaginatos & deauratos*, ac recte notat, per tabulas eburneas diptycha non ſemper ſignificari. Exempli cauſa ſit S. Everardi teſtamentum, qui de ornamentis Capellæ ſuæ legavit filio ſuo maiori natu tabulas eburneas auro paratas, Berengario vero filio ſecundo legavit tabulas ad canendum, auro & argento paratas. Subdit Georgius: *Licet ergo tabulæ eburneæ, quas* Everardus *filio maiori reliquit, diptycha ſacra eſſe poſſint, hæ tamen ad canendum deſtinatæ ad ſacra diptycha referri non poſſunt.* Harum mentio fit apud Amalarium. In *Centulenſi* theſauro, idem notat, etiam repoſitæ erant tabulæ eburneæ ex auro argentoque paratæ I. maior II. minores II. ex cupreſſo, I. argento parata.

De ſacro. miniſt. c. 30. §. CXXVI.

Ricul-

Digitized by Google

RICULPHUS epiſcopus *Helenenſis* an. 915. dedit eccleſiæ ſuæ tabulas eburneas duas. Hæc autem & de ſacris diptychis, & de tabulis ad canendum accipi poſſunt. Sed hæ tabulæ eburneæ aliquando ad pacem dandam ante ſacram communionem inſerviebant.

Superius meminimus eiusmodi ornatus in libris evangelicis, atque paullo ante caveæ evangelii ex auro. Apud GREGORIUM *Turonenſem* de Mirac. S. MARTINI lib. IV. c. 10. memorantur inter alia viginti evangeliorum capſæ, omnes ex auro puro ac gemmis pretioſis ornatæ, qualis ex argento deaurato miri operis anaglyptici eſt in noſtro theſauro. *Codices quoque evangeliorum*, inquit RUPERTUS *Tuitienſis*, *auro*, *argento*, *lapidibusque pretioſis non immerito decorantur &c.* Ipſæ etiam litteræ aureæ erant ac argenteæ in purpureo pergameno. In teſtamento EVERARDI comitis legitur lectionarium de epiſtolis & evangeliis cum auro ſcriptum. In libris ſacramentorum præcipue Canon ita ſcribi ſolebat, uti eſt in codd. *Solodorenſi* & *Petershuſano*, atque in noſtro primæ paginæ præcipuorum feſtorum ſunt purpureæ cum aureo argenteoque monogramte, integram replente paginam. Alias haud infrequenter ſunt integri libri aureis argenteisque litteris ſcripti, pſalteria, evangelia, lectionaria, codices ſcripturæ ſacræ, quales adhuc ſervari paſſim in cimeliis ſcriptores tradunt, ac multa in hanc rem colligunt auctores novi operis diplomatici *Gallici* ex Congreg. *S. Mauri* T. II. p. 100. &c. a)

De off. div. lib. II. c. 33.

IV. Quædam illic ſic adornata recenſentur in uſum principum, alia in uſum ſacrum, ad quem rite pretioſa quæque conſecrantur, publicum præſertim miniſterium altaris ac aliorum ſacramentorum, quibus inæſtimabile pretium, ſanguine Chriſti partum, continetur. Hæc vocantur *miniſteria*, voce antiquis iuriſconſultis uſitata ad ſignificanda vaſa eſcaria & potatoria, unde commode ad uſum euchariſticum eſt traducta, conſecratis ad id miniſterium vaſis, ſeu initiatis, ut vocat S. AMBROSIUS ea vaſa, quæ iam corpus aut ſanguinem Chriſti continuerunt. „In his tribus generibus (inquit) vaſa eccleſiæ, etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus eſt, ut de eccleſia myſtici poculi forma non exeat; ne

Miniſteria, ornamenta, ac utenſilia diverſi generis.

lib. II. de offic. c. 28.

a) ANASTASIUS bibliothecarius in vit. ſummorum Pont. paſſim huiusmodi cimeliorum meminit, quædam affert ex eo, aliisque antiquis ſcriptoribus *Io.* CIAMPINI P. I. *veter monum.* c. 16. de voluminibus evangeliorum in orientali & occidentali eccleſia, auro, unionibus, pretioſisque lapidibus ornari ſolitis: quale adhuc ſervari in bibliotheca *Cottoniana* olim miraculo ſervatum ex BOLLANDO narrat CIAMPINIUS p. 132.

ne ad uſus nefarios ſacri calicis miniſterium transferatur. Ideo intra eccleſiam primum quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent &c."

Habes hic etiam vocabulum *miniſterium*, quo vaſa ſacra deſignantur, ac univerſim ſacra ſupellex plurali numero, veluti in actis S. Philippi epiſc. *Heracleenſis* apud Ruinartum: *Poſtero die ſtationarius, miniſteriis omnibus eccleſiæ inventis, atque ſignatis, egrediebatur.* Sic etiam habetur apud Gregorium *Turonenſem*: „Inter reliquos theſauros *miniſteria* pretioſiſſima detulit." Recenſetque „ſexaginta calices, quindecim patenas, viginti evangeliorum capſas, omnia ex auro puro, ac gemmis pretioſis ornata." In pœnitentiali Halitgarii præſcribitur: „Si quis de *miniſterio* ſanctæ eccleſiæ qualecunque opus quidlibet fraudaverit, vel neglexerit, VII. annos pœniteat, III. in pane & aqua." Ubi *miniſterium* ſanctæ eccleſiæ, ut Menardus annotavit, ſunt vaſa ſacra, ſeu aurea, ſeu argentea. In concilio *Triburienſi* c. 18. habetur: „Urbanus papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea." Quæ ex libro pontificali ſub nomine Damasi ſunt depromta. S. Ambrosius aurum inter eccleſiæ a S. Laurentio pauperibus erogatum etiam vaſa ſacramentorum comprehendit loco mox citato. „Laurentius (inquit) qui aurum eccleſiæ maluit erogare pauperibus, quam perſecutori reſervare: pro ſingulari interpretationis vivacitate ſacram martyrii accepit coronam. Nunquid dictum eſt S. Laurentio: Non debuiſti erogare theſauros Eccleſiæ, vaſa ſacramentorum vendere." S. Paulinus vaſa myſtica appellat:

Multa etenim ſuberant alia, ut noviſtis in ipſo
Ornamenta loco, quæ ſumeret, ut crucis auro
Parceret: Intus enim latitabant myſtica vaſa
Sumendis mandata ſacris.

Ornamenta eccleſiæ generaliter omnia comprehenduntur in donatione facta ab Adelgastro, Silonis regis *Hiſpaniarum* filio, monaſterio *Obonenſi* apud *Aſtures*, prout habetur in annal. *Bened.* apud Mabillonium ad an. 785. „Ad ornamenta vero eccleſiæ octo veſtimenta, tres mantos ſeu caſulas, ſex ſtolas, & quinque manipulos, quatuor corporalia, & quinque pallas, & ſex ſabanas ſeu manutergia, duas litteratas, & quatuor ſine ſerico: unam cappam ſericam, & tres calices, duos ſcilicet ex argento, & unum ex petra; unum miſſale, unam crucem ex argento, & duas ex ligno; quatuor frontales ex ſerico, duas campanas ex ferro. De libris lectionarium, reſponſorium, duo pſalteria, unum codicem dialogorum, & unam regulam de ordine ſancti Benedicti &c."

Sed propior ad rem eſt recenſio, quæ in ordine *Romano*, a nobis ex codd. *Alemannicis* etiam eruto habetur. Ordo autem III. apud Ma-

Act. Sinc. p. 411.

Lib. III. hiſt. c. 10.

c. 7.

Lib. XXV. §. 53.

BIL-

BILLONIUM n. 4. hæc enumerat ſacri miniſterii vaſa: *Aquam manus, patenam cottidianam, calicem, ſciffos, & pugillares, & alios aureos, & gemelliones argenteos, colatorium argenteum & aureum, & alium maiorem argenteum, amas argenteas, cantatoria & cætera vaſa aurea & argentea.* Referre etiam hic iuvat, quæ vocantur *utenſilia ad miſſarum ſolemnia* in Conſtitut. *Hirſaugienſ.* S. WILHELMI apud P. HERGOTT c. 84. „Dignum videtur, & neceſſarium hic inſerere, qua diligentia, quove ſtudio ad dominici corporis & ſanguinis conſecrationem ſerviatur. Primum propter hoc ipſum factum eſt unum armariolum ante faciem maioris altaris optime compaginatum & intrinſecus pannis undique veſtitum. In quo nihil aliud reconditur, niſi illa utenſilia, quæ neceſſaria ſunt ad miſſarum ſolemnia, dumtaxat in conventu generaliter agendarum: Id eſt præcipue duo calices cum patenis diverſæ quantitatis, & duo corporalia, unum duplum, ſicut omnia corporalia ſolent eſſe ad privatas miſſas, alterum ſimplum. Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem miſſam; maior cum ſimplo ad maiorem..... Item ibi eſt patena mediocris & argentea, & eiusdem metalli ſcutella habens operculum eiusdem metalli fabrili opere colligatum. Ibi ampullæ ad ſubminiſtrationem vini & aquæ. Nam & in ampulla vinum ante conſecrationem ſolet offerri. Ibi urceus argenteus cum appendicio ſuo ad manuum ablutionem. Ibi linteola plura, ſine quibus ſingula ſacrata vaſa nec lavantur, nec quoquam portantur.“ *De vet. diſc. monaſt. p. 450.*

V. Primo loco in ordine *Romano* occurrit *aquamanus*, ſeu, ut in ordine III. legitur, *aquamanile, hoc eſt vas manuale.* In libro pontificali indiſcriminatim *aquamanus*, *aquamaniles*, ſeu *aquamanilia* ſcribitur. In concilio *Carthaginenſi* IV. can. 5. de ſubdiacono in editionibus *Labbeana* & *Veneta* ſic legitur: *De manu vero archidiaconi urceolum cum aqua & mantile, & manutergium.* Annotatur vero in margine *aquimanile*, *ac manutergium*, *aquamanilem.* Prout nempe *ſacramentarium Gelaſianum* apud MURATORIUM, & alias vulgatum habet: *De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, & aquimanile, ac manutergio.* Similiter legitur in *Gregoriano* apud eundem & alibi. In ordine vero ſeptem eccleſiaſticorum graduum, quem idem mox ſubdit, omittitur *cum aqua*, & aliquid explicationis gratia additur: *De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili, id eſt cum bacilibus, ac manutergium.* *Baciles*, ſeu *bacilia* dicuntur a *baca*, *bacca*, quæ vas vel urceolum ſignificant, ut videre eſt apud DUCANGIUM. Apud P. HERRGOTT aliquoties occurrunt in veteri Diſciplina monaſtica etiam *bacciles manuales* pro uſu privato mo-

Ad manus lavandas. n. 4. *T. I. Lit. Rom. p. 620.* *T. II. p. 409.* *Ib. p. 421.*

nachorum in ſuis cellis. Pro ſacro vero miniſterio S. Isidorus uſum deſignat his verbis in epiſtola ad Ludifredum *Cordubenſem* epiſcopum, ubi dicit, pertinere ad ſubdiaconum urceolum & *aquamanile*, ac manutergium tenere epiſçopo presbyteris & levitis pro lavandis ante altare manibus. Et Conradus in recenſione theſauri *Moguntini* apud Urstisium: *Erant pelves quatuor argenteæ, urcei diverſarum formarum, quos manilia vocant, eoquod aqua ſacerdotum manibus funderetur ex eis, argenteam quædam habentes formam leonum, quædam draconum, avium & gryphonum, vel aliorum animalium quorumcunque.*

Script. Rer. Germ. p. 568.

Ad thus adolendum.

VI. Paullo ante retuli, quæ idem in theſauro *Moguntino* recenſet pretioſa thuribula, acerras item ac grues concavas *tantæ magnitudinis cujus vivæ. Quæ ſolebant poni iuxta altare hinc & hinc, & dorſo patebant, impoſitis carbonibus, & thure vel thymiamate boni odoris fumum per guttura vel roſtra emittebant.* Benedictus epiſcopus S. Bonifacio inter alia munuſcula etiam thymiama transmiſit: *Parvum munuſculum Sanctitati veſtræ direxi ſabanum unum, & facitergium unum, & modicum thymiama.* Et Theophylacius ad eundem: *Direximus vobis parvam benedictionem ex largitate B.* Petri *apoſtoli: propter Deum grato animo dignemini ſuſcipere coſtum, cinnamomum & ſtyracem.* Gemulus item diaconus ad eundem S. Bonifacium: *Ad vicem charitatis cum magna reverentia direximus cinnamomum uncias quatuor. Coſtum uncias quatuor. Piper libras II. Coczumberem libram unam.* Coczumbrem ad eundem ſacrum thymiamatis uſum fuiſſe, ex ſequenti epiſtola diſcimus: *Transmiſimus aliquantum Coczumbri, quod incenſum Domino offeratis temporibus matutinis & veſpertinis, ſive dum miſſarum celebratis ſolemnia, miri odoris atque fragrantiæ.* Eadem ſacra munuſcula in aliis etiam *Bonifacianis* epiſtolis occurrunt, de quibus recenſendis ſuperſedemus. In ordinibus *Romanis* thymiaterium vocatur vas, quo mittitur incenſum. Amalarius thuribulum vocat ecloga in *Romanum* ordinem *de portatione ſeu præſentatione thuribuli.* Ut habetur peculiaris titulus in auctiori noſtro ex codice *Tigurino*, ubi ſic legitur: „Aliquociens portatur unum, aliquociens duo, aliquociens tria, ut unum ſit ad altaria ſuffumiganda per eccleſias circumſtantes, & alterum viros ad fumigandos, & tercium vadat ad feminas.“ In ecloga Amalarii vulgata a Baluzio & Mabillonio habetur: „Intrant cum eo (epiſcopo) non amplius, quam ſeptem diaconi, totidem ſubdiaconi, totidem acolythi cum turibulis non amplius ternis.“

Epiſt. 111.

Epiſt. 147.

Epiſt. 148.

Ad oblationes faciendas.

VII. In actis *Murenſibus* recenſentur *duo offertoriola* inter varia lintea & ſerica pallia apud P. Herrgott, quæ alibi ex ſolido metallo notantur, ut

Geneal. diplomat. T. I. p. 315.

ut in vita S. Benedicti *Anianenſis* ſæc. IV. Ord. S. Bened. *offertoria argentea.* In chronico *Fontanellenſi offertorium aureum cum patena ſua aurea opere mirabili.* Et infra: *Offertorium argenteum eiusdem calicis, habens effigiem mirifici operis: alia offertoria argentea cum patenis argenteis eorundem.* Unde patet, ut Mabillonius obſervavit, *offertorium* cum patenis fuiſſe calicis appendicem, patenam vero offertorii. Ubi ſimilia loca citat, quæ cum aliis habentur apud Ducangium in Gloſſario, itidemque variâ teſtimonia de *offertoriis* lineis & ſericis. Subdit Mabillonius: „ Itaque *offertorium* ad excipiendas panis oblatas, patena ad easdem conſecrandas adhibebatur. Niſi dicas in patena repoſitam fuiſſe hoſtiam, quæ ſacerdoti ſignanter deputata erat; poſitam alias in *offertorio* ad communionem fidelium. In *offertoriis* vero lineis, quæ ſolidis ſucceſſerunt, excipiebantur itidem oblatæ: ſimulque calix & patena, dum ſacerdoti offerebantur, iisdem *offertoriis* involvebantur. Id etiam nunc in uſu, ut patena velo obvoluta teneatur a ſubdiacono, diacono porrigenda: & in quibusdam eccleſiis calix, imo etiam ampullæ cum velis ad altare deferantur, ut in *Remenſi. Offertoria* hæc idem eſſe videntur cum fanone, quatenus ad hunc uſum pertinuit ad offerendas ſcilicet oblatas, quas panis rotulas vocat Iso, *S. Galli* monachus, quæ vulgo oblatæ dicuntur." Cuius locum in *Principiis theologiæ ſacramentalis* retuli. Figuram autem habes in iconiſmis, quos ex *ſan-Blaſiano* vetuſtiori *ſacramentario* T. II. exhibemus. Nec aliud videtur eſſe maior illa, quæ fig. 3. exprimitur cum agno, prout nimirum intra ferrum oblatorium ſeu characteratum etiamnum mos eſt alicubi coquere, ut poſtea dicemus.

p. 201. c. 16. Lib. III. de Liturg. Gall. n. 14. p. 185. §. 41.

Hæc igitur oblata cum fanone reverenter fuit ad altare delata. In veteri expoſitione miſſæ apud Cochlæum & Hittorpium ex variis Mſs. *Germaniæ* edita, atque in Hittorpii codicibus immediate ordini *Romano* ſubnexa (cuius ordinis eſt expoſitio, ut iam Hittorpius notavit, & forte auctore Beroldo *Conſtantienſi*) ſic præſcribitur: *Oblata denique Corpus Chriſti deſignans non nudis manibus ſed fanonibus multo labore ſtudioque candidis offertur.* In ord. *Rom. Populus dat oblationes ſuas, id eſt panem & vinum, & offerunt cum fanonibus primum maſculi, deinde fæminæ.* In ecloga Amalarii *cum fanonibus offerunt.* De *fanone* amictu dicemus capite ſeq. Hodie velo oblongo in miſſis ſolemnibus ſubdiaconus calicem cum patena, eique ſuperpoſita hoſtia ad altare defert, olim autem ſolemniori ritu vinum etiam & aqua in ſuis vaſibus fuerunt oblata, ut poſtea dicemus, præſertim in principalibus feſtis, uti præſcribitur in Conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* apud P. Herrgott: „Item in eisdem feſtis duo ſacerdotes ab eo accerſiti apportant oblationem, unus hoſtiam

Apud Caſſandrum p. 49. De veteri diſc. monaſt. p. 523.

Digitized by Google

& vinum, alter vero colam auream vel argenteam, & ampullam aquæ, de qua vinum eſt miſcendum. Adhuc autem ab Armario diaconus aliquis illuc dirigitur, & accepta cola de manu eiusdem ſacerdotis, ſicut & ille eam de Subdiacono accepit, qui infra miſſam vel ad proceſſionem eam in manu ſuſpenſam portavit, aquam calici per eam infundat, tunc cum vinum & hoſtiæ a priore fuerint oblatæ."

In CONRADI epiſcopi *Moguntini* chronico alius colarum uſus deſignatur: *Erant colæ argenteæ novem, per quas vinum poterat colari ſi neceſſe fuiſſet: præter eam, quæ attinebat calici aureo, & hæc aurea erat.* In vulgato a CASSANDRO & HITTORPIO ordine *Romano* idem uſus exponitur: *Ornato vero altari Archidiaconus ſumit amulam pontificis cum vino de ſubdiacono & refundit ſuper colum in calicem.* Aliter dictum *Colatorium*, ut CASSANDER adnotat: Eſt autem *Colatorium* vaſculum quoddam ſubtiliſſimis foraminibus ab imo fundo perforatum, per quod vinum ex amulis in calicem refundebatur. Extat inter opuſcula *Io. Dom.* AULISII epiſtola *de colo Mayeriano* inſcripta, quale nimirum *Marcus* MAYER prope *Romam* effoſſum vaſculum pertuſum formis excudi fecit. Vocabatur etiam *Syon*, *ſiphon*, quæ in idem recidere vult GEORGIUS: *ſiphonis* vox, qui eſt tubus ſeu fiſtula in fontibus, degeneraſſe in *Syon* videtur, indidemque veniſſe, ut nonnunquam ſcyphus vocetur colatorium; qui tamen in ordine *Rom.* inter ea vaſa habetur, in quæ vini oblationes ex maiori calice refundebantur. Amula vero eſt vas, in quo vinum offertur iuxta expoſitorem ordinis *Romani*, quem CASSANDER BEROLDUM *Conſtantienſem* eſſe putat. In antiquiſſima charta *Carnotiana* vocatur hamula oblatoria, iungiturque colum & thymiaterium. Idem forte eſt caucus argenteus intus deauratus, quem S. BONIFACIO ÆTHILBERTUS rex dono miſit, ut conſtat ex epiſt. 40. In Conſtit. *Hirſaug.* notantur ampullæ ad ſubminiſtrationem vini & aquæ. CONRADUS in chronico *Mogunt.* apud URSTIS. ſcript. Rer. *Cuilibet calici erant ſpeciales ampullæ argenteæ.* Plurali etiam numero in ordine *Rom.* habetur apud CASSANDRUM: *Tunc venit ſubdiaconus ferens in brachio dextro patinam, & in ſiniſtro calicem, in quo recipiantur amulæ populorum.* Addit his verbis AMALARIUS in ecloga: *Et ſuper calicem corporale, quod accipiens diaconus ponit ſuper altare. Similiter & calicem poſt receptas amulas.*

Apud Urſtiſ. Script. Rer. Germ. p. 569.

p. 49.

Diſquiſ. de ſacro miniſt. c. 26.

Apud P. HERRGOTT p. 450.

p. 49.

Corporalia ac pallæ.

VIII. Subdit AMALARIUS: *Non licet fieri de altero panno corporale, niſi de lineo*, cui hic potius, quam inter ſacras veſtes ob uſum eius locum damus. Dubium quis moveat, an de eodem corporali intelligendus ſit idem AMALARIUS, dum ante verba Canonis *Per quem hæc omnia*

nia &c. rubricam ponit: *Hic archidiaconus erigens ſe venit, & involvens calicem mapula levat illum contra domnum papam.* Eidem de officiis eccleſiaſticis memoratur: *Archidiaconus qui elevat calicem de altari, involvit ſudario ſcilicet ab aure calicis ad aurem.* Per aurem puto intelligere anſas calicis, quarum ſit mentio in ipſo ordine *Romano.* Sed non adeo liquet de corporali, an illud per mappulam ſeu ſudarium intelligat. Quod quidem alia etiam habuit nomina, uti *de Chriſmale* teſtatur *Rudolphus* GLABER, „quod a quibusdam corporalis appellatur, plurimum expertum eſt præſtare remedia, ſi fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra incendia ſæpius elevatum aut extinquendo compeſcuit, aut retrorſum pepulit, ſeu in partem alteram reverſit.“ *Lib. III. c. 26.* *Lib. V. hiſtor.*

Hæc eadem virtus in Conſtitutionibus *Hirſaug.* apud P. HERRGOTT tribuitur corporali, altaris officio ſervienti, cum alias *chriſmale*, alia etiam officia præſtiterit, & a ſacerdotibus fuerit geſtatum, ut alibi videbimus, non tamen niſi in cultu divino, ut IOANNES *Abrincenſis* dicit. At in Concilio *Salegunſtad.* an. 1022. c. 6. prohibetur, ut nemo corporale ad extinguendum incendium in ignem proiiciat, his verbis: „conqueſtum eſt in ſancto concilio de quibusdam ſtultiſſimis presbyteris, ut quando incendium videant, Corporale, dominico corpore conſecratum, ad incendium extinquendum temeraria præſumtione in ignem proiiciant. Ideoque ſancitum eſt ſub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.“ *De vet. diſc. monaſt. p. 450.* *De offic. eccleſ. p. 62.* *T. III. Conc. Germ. p. 56.*

Corporale in laudatis Conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* duplum & ſimplex diſtinguitur, & quidem *duplum ſicut omnia corporalia ſolent eſſe ad miſſas privatas, deſtinaturque minor calix cum duplo corporali ad matutinam miſſam, maior cum ſimplo ad maiorem.* Duplum forte fuerit, quod plicatur iuxta HONORIUM *Auguſtodunenſem*, ſeu *gemmam animæ*, & INNOCENTIUM III. qui vocat corporales pallas, quas diaconus ſuper altare diſponit. *Pars autem*, inquit, *quæ plicatur, ponitur ſuper calicem, ſignat ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, ſeparatim involutum in unum locum.* Hoc puto ſudarium indigitari ſeu mappulam apud AMALARIUM, quæ nobis palla eſt, ſed non plicabilis, ut olim erat. Plicabile autem eſt corporale, quod in altari extenditur. „Duplex eſt enim palla (inquit laudatus INNOCENTIUS) quæ dicitur corporale, una, quam diaconus ſuper altare totam extendit, altera quam ſuper calicem plicatam imponit.“ Quæſtionem hanc inter alias movit S. ANSELMO WALLERAMUS *Nwemburgenſis* epiſcopus: *Præterea*, inquit, *inter conſecrandum nonnulli ab initio calicem operiunt, quidam corporali, alii panno complicato inſtar ſudarii.* Uſum in hoc *Germaniæ* declarat, qui cum dictis ex AMALARIO congruit, ab *Anglicano* diverſus. *Involvimus tamen & nos vitalem* *c. 57.* *lib. II. de myſter. miſſæ c. 56.* *Opp. S. ANSELMI p. 138.*

lem hoſtiam, non, ſicut vobis mos, a principio; ſed in fine cum Ioſeph & Nicodemo. *Anglicanum* uſum in reſponſione tuetur S. ANSELMUS tam in tempore, quo tegebatur, quam etiam illum, quod panno operiatur ſacrificium. *Stephanus* DURANTUS ex RADULPHO *Tungrenſi* propoſ. ult. obſervat, *Romanos*, *Italos*, & *Alemannos* duobus corporalibus uti, quorum utrumque pure lineum eſſe debet; *Gallos* vero uno tantum. Calicem olim non in medio corporalis ſitum fuiſſe, ſed ad dextrum hoſtiæ latus eadem linea in noſtris iconiſmis patet. Citavit iam de MOLEON eam in rem ordinem *Rom.*, AMALARIUM, MICROLOGUM, & RADULPHUM *Tungrenſem*: additque calicem non palla, ſed corporali fuiſſe tectum, ut hodieque fit apud *Carthuſianos*, & in eccleſia *Senenſi*, idemque alibi ex antiquo Pontificali *Rotbomagenſi* oſtendit. Et MABILLONIUS ritum eundem ex IACOBO de *Vitriaco* probat: *Dum corporale deponitur de calice, ante oculos habeat depoſitionem Chriſti de cruce.* Quin in eandem rem locum ex GREGORIO *Turonenſi* affert: „Tum (inquit) ut appareat, non modo ſacras oblationes, id eſt panem & calicem, ſed & altare palla eadem fuiſſe coopertum: tum pallam illam ex ſerico factam: tum denique pallam, pallus, & pallium hoc loco idem eſſe.“ Necdum is viderat miſſam S. GERMANI a MARTENIO editam, ubi hæc habentur. „Palla vero linoſtima in illius indumenti tenet figuram, quia in gyro contexta a militibus non fuit diviſa, tonica ſcilicet Chriſti. Corporalis vero palla ideo pure linea eſt, ſuper quam oblatio ponitur, quia corpus Domini puris linteaminibus cum aromatibus fuit obvolutum in tumulo.“

De ritib. eccl. L. I. c. 12. n. 8.

Voyage Liturg. p. 286.

p. 200.

De Lit. Gall. lib. I. c. 5. n. 10.

Theſ. anec. T. V. p. 95.

Diximus ſupra de ſericis, a palla ſeu corporali diſtinctis altarium operimentis, aut alio etiam ex panno factis, quale fuiſſe cenſemus, quod S. BONIFACIO dono datum ibidem commemoravimus; nec eiusdem generis fuiſſe videtur ac corporale pallium albis ſtigmatibus variatum, quod PETHELMO antiſtiti dono tranſmiſit S. BONIFACIUS epiſt. 11. pallium altaris dictum in epiſtola 35. S. BENEDICTUS de puerorum oblatione agens, iubet manum pueri offerendi involvi in palla altaris, ſcilicet cum oblatione panis & vini, ut ex utriſque una Deo fieret oblatio, ut notat MABILLONIUS, ac veriſimile eſt, eandem indigitari, qua tectus, ac obvolutus fuit calix, quæ fuit olim palla corporalis. Et licet ex RADULPHO *Tungrenſi* obſervarit DURANTUS, *Romanos, Italos & Alemannos* duobus corporalibus uti; conſtat tamen etiam apud nos corporali tectum fuiſſe olim calicem ex Mſc. pontificali CHRISTIANI *Moguntini* archiepiſcopi apud MARTENIUM. Ubi initio oblationis hæc eſt rubrica: *Hic cooperiat ſolum calicem corporali & dicat: Veni ſanctificator &c.* Ante oratio-

c. 59. Reg.

tionem vero dominicam: *Hic ponens cooperit utrumque corporali dicens: Oremus præceptis ſalutaribus &c.* De prima velatione quæſtio fuit mota S. Anselmo, dum nimirum altare primum fuit veſtitum, ut poſtea dicemus, habeturque ritu *Ambroſiano* oratio *ſuper ſyndonem*, a) quod ipſum eſt corporale ex lino ab antiquiſſimis temporibus, in *Gallia* pariter confectum, ut ex canone *Remenſis* concilii patet, qui apud Reginonem lib. I. *de diſciplina eccleſ.* c. 118. & in Burchardi decreto refertur, ad noſtram attinente *Alemanniam*: „Corporale, ſuper quod ſacra oblatio immolatur, ex mundiſſimo & puriſſimo linteo ſit, nec in eo alterius generis materia pretioſior aut vilior miſceatur, & nunquam ſuper altare remaneat, niſi in tempore miſſæ, ſed aut in ſacramentorum libro ponatur, aut cum calice & patena in mundiſſimo loco recondatur, vel quando abluitur a ſacerdote, diacono, vel ſubdiacono, primo in eccleſia in loco & vaſe ad hoc præparato abluatur, eoquod ex dominico corpore & ſanguine infectum ſit. Poſt hæc a lavandario in nitido loco paretur.“ Qua religione hæc apud nos facta ſit lotio, vide conſtit. *Hirſaug.* c. 33. Apud citatum Burchardum, inſuper ex concilio *Meldenſi* canon refertur: *Ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vaſa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.* Conradus in chronico *Moguntino* apud Urstisium in recenſione theſauri *Moguntini* memorat *Peram ad corporalia filis aureis inſertis, miri operis & decoris. Habebant etiam calices alii ſuas peras ad corporalia ex purpura & auriphrigiis adornatas.*

Lib. III. cap. 98.

Decret. lib. IV. c. 14.

Script. rer. Germ. p. 569.

IX. Ibidem recenſentur calices XII. argentei omnes deaurati eiusdem ponderis cum patenis. Hinc colligi videtur alias patenas maioris ponderis fuiſſe, quia nimirum amplæ erant ad recipiendas oblatas, uti etiamnum de hodierno uſu apud *Cluniacenſe* monaſterium ſcribit de Moleon in *Itinere liturgico*, ad offertorium deſcendere aliquot gradus de altari ſacerdotem, & ibi recipere ſingulas hoſtias eorum, qui ſunt communicaturi, ſuper patenam cum oſculo exterioris marginis; quod idem de monaſterio *Portus regii* prope *Pariſios* notat. Ulricus in conſuetudinibus *Cluniacenſibus* dicit, fer. V. in Cœna Domini recondi ſolitam patenam inter ſcutellas aureas, & adhuc ſcutellas inter tabulas argenteas, quæ

Patena.

pag. 149.

pag. 219. Lib. I. c. 14.

a) Pertinet huc quoque Isidori *Peluſiotæ* locus lib. I. ep. 122. „Pura illa ſindon, quæ ſub divinorum donorum myſterio expanſa eſt, Iosephi *Arimathenſis* eſt miniſterium: ut enim ille Domini corpus ſindone involutum ſepulturæ mandavit, per quod univerſum mortalium genus reſurrectionem percipit; eodem nos propoſitionis panem in ſindone ſanctificantes, Chriſti corpus ſine dubitatione reperimus.“

quæ factæ ſunt ad textum evangelii. DUCANGIUS ſcutellam definit genus patenæ in modum cavitatis ſcuti. Eius uſus peculiaris fuit in eccleſia ad eulogias benedicendas, & ex illis diſtribuendas, quemadmodum in patenis hoſtiæ accipiebantur, frangebantur item, & diſtribuebantur.

*. Scutella.

Unde etiam ad ſignum imminentis communionis palam oſtendi ſolebant. Quo eodem pertinere putat de VERT rubricam hodierni miſſalis: *tenet ipſam ſuper altare erectam.* Refertque ex antiquo Necrologio Eccleſiæ B. V. *Pariſienſis*, cantorem eius eccleſiæ teſtamento reliquiſſe *Vas argenteum ad patenam ibi collocandam, uſque dum ad communionem oſtendatur.* Quod hodieque ea in eccleſia obſervatur, ut uſque ad orationem dominicam in vaſe argenteo concludatur, unde protracta elevataque in manu primum a ſubdiacono uſque ad *Panem noſtrum*, deinde a diacono teneatur. In eccleſia autem *Turonenſi* primum a puero initio Orationis Dominicæ medio in choro palam oſtenditur ſingulis diebus præterquam in miſſis *de Requiem.* Quod argumento eſt P. de VERTIO, totam hanc cerimoniam ad communionem ſignificandam, ad eamque vocandos fideles pertinere. In ordinibus *Romanis* notantur quidem ſacculi pro oblatione, patena tamen *ad Confringendum* & communicandum. Ac quidem ordine V. expreſſe duæ notantur patenæ, quod in aliis ordinibus ſubintelligitur. A duobus ſubdiaconis regionariis ſingulæ portatæ fuerunt patenæ, ut ad nutum pontificis oblationum confractio ſuper illas fieret, tum per epiſcopos, tum per presbyteros atque diaconos. Vidimus nonnunquam in noſtra *Alemannia* patenas, pollicem fere profunditatis habentes. Qualis *Delemontii* in diœceſi *Baſileenſi* creditur eſſe S. GERMANI, qui ſæc. VIII. a WALBERTO *Luxovii* abbate monaſterio *Grandis vallis* præpoſitus ab infeſtis monaſterio occiſus traditur. Ampliores autem ſunt noſtris patenæ veteres. „Patenæ propterea ampliſſimæ erant (inquit MABILLONIUS) quarum unam a SERGIO Papa I. datam viginti libras appendiſſe, ANASTASIUS auctor eſt: a quo quandoque communicales abſolute vocari exiſtimo.“ CONRADUS ſæpe citatus in chronico *Moguntino* deſcribens calicem miræ magnitudinis, de patena dicit: *Huius patena talis erat latitudinis & ſpiſſitudinis, quod ipſi congruebat, & ipſa gemmis per circuitum decorata.*

Explic. de Rubr. T. IV. p. 319.

Comment. in ord. Rom. p. IV.

Apud Urſtiſ. p. 569.

Calix.

X. Pene fidem excedit, quod de eo calice laudatus habet CONRADUS: *Hic calix habebat altitudinem unius ulnæ, & capere poterat dimidium ſextarium vini. Nec ab omni homine poterat levari a terra commode. Nullus me in hoc ſcripto arguat obſecro falſitatis.* Prius minorem deſcribit *calicem cum patena XVIII. marcarum auri electiſſimi. In*

cuius

Digitized by Google

Tab. III. pag. 219.



Digitized by Google


+ AGNVS · DEI · PANIS · VIVVS ·
AW
ABEL
MALCHI SEDECH
NOE

Digitized by Google

cuius pede per circuitum pretioſi erant lapides valde, & in patenæ circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, & ipſe quidem gemmis pretioſis non carebat. Calix maior, quot marcas auri habuerit neſcio: certum autem eſt, quod ſpiſſitudo eius erat digiti, & per totum tam in pede, quam ſupra, gemmis erat pretioſiſſimis adornatus. Habebat etiam idem calix duas anſas, quæ poterant manus replere levantis, ſicut ſolent habere mortarii, in quibus piperata & ſalſa præparantur. In chr. *Fontanellenſi* apud Dacher. S. Ansegisus abbas monaſterio contuliſſe traditur calicem aureum mirifice factum, duas hinc inde habentem anſulas, gemmis pretioſiſſimis decoratum, qui penſat libram. Martenius in itinere literario memorat calicem S. Audamari, qui ſervatur in theſauro eccleſiæ eius nomine appellata. Ingens eſt ex auro cum anſis ac patena itidem aurea pedem ampla per diametrum. In medio agnus repræſentatur cum litteris A. & W. Similem idem notat prope *Monſtrolium* in abbatia *S. Ioſſe* cum anſis, imaginibus, inſcriptionibusque variis. Cuiusmodi idem meminit cum duabus anſulis, variisque figuris *S. Gerardi* Tulli apud *S. Manſuetum*, quem mihi etiam videre licuit, uti etiam *S. Bernardi*, & *S. Malachiæ* apud *Clarevallem*, atque ſacrum celebrare in calice S. Bernardi. In eiusdem monaſterii theſauro alius S. Malachiæ oſtenditur calix cum quatuor tintinnabulis, cuius forma hodiernis propius accedit, reliqui enim S. Malachiæ & S. Bernardi non tam alti ſunt, cum ampliore, ſed minus profundo cratere, ut ſunt vere eius generis antiqui calices, quos in *Alemannia* etiam noſtra ſubinde vidi haud raro cum calamis ſeu fiſtulis ad ſugendum ſacratum ſanguinem, de quibus paullo poſt: damus vero iconiſmum cum ſua patena calicis *Weingartenſis*, ubi nòta inſcriptiones ex inſcitia artificis (cuius nomen (a) in lymbo habetur) non recte ſemper aptas eſſe in imaginibus.

P. II. p. 185.

p. 178. 179.

Tab. III. & IV. a

Unde imaginati ſunt dicti eiusmodi calices. Sic in teſtamento S. Remigii: „Aliud vas argenteum, quod mihi domnus illuſtris Chludovicus (quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi) donare dignatus eſt, tibi hæredi meæ eccleſiæ ſupra memoratæ iubeo turriculum, & imaginatum calicem fabricari.“ In chronico *Centulenſi* apud Dacherium in theſauro notatur calix unus aureus magnus cum imaginibus, ſimul & patena. Iam Tertullianus meminit picturarum in calicibus in libro de pudicitia cap. 6. „A parabolis (inquit) licebit incipias, ubi eſt ovis perdita a Domino requiſita, & humeris eius revecta, procedant ipſæ picturæ calicum noſtrorum.“ Et aliquanto poſt: „Si forte patrocinatur paſtor, quem in calice depingis &c. At ego paſtoris eius ſcripturam haurio, qui non poteſt frangi.

Apud Mabill. lit. Gall. p. 466.

Ee 2 Pa-

a) Magiſter *Cuonradus* de Hus argentarius me fecit.

Pamelio & aliis viſum eſt hinc coniici poſſe, vitreos fuiſſe calices. Sed æque incertum eſt, quam id huc referri poſſe, quod Guthberctus abbas in *Anglia* petiit, *qui vitrea vaſa bene poſſet facere*, artificem a Lullo epiſcopo *Moguntino* S. Bonifacii ſucceſſore, putatque Baluzius in not. ad Reginonem, ſub id temporis referendam admonitionem ſynodalem Leoni IV. adſcriptam, in qua ſtatuitur, *ut nullus in ligneo vel vitreo calice audeat miſſam cantare.* Quædam in hanc rem referuntur in concilio *Triburienſi* an. 895. ac quidem etiam nomine S. Bonifacii c. 18. „Vaſa, quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt, & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & epiſcopus interrogatus; ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramentum conficere? Reſpondit: quondam ſacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtra lignei ſacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus XVI. *Romanus* epiſcopus patenis vitreis miſſas celebrari conſtituit. Tum deinde Urbanus XVIII. Papa omnia miniſteria ſacrata fecit argentea. In hoc enim, ſicut & in reliquis cultibus magis, & magis per incrementa temporum decus ſuccrevit eccleſiarum. Noſtris enim diebus, qui ſervi patris familias ſumus, ne decus matris eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur: ſtatuimus, ut deinceps nullus ſacerdos ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Iesu Chriſti Domini noſtri in ligneis vaſculis ullo modo conficere præſumat, ne unde placari debet, inde iraſcatur Deus.“ Refertur hoc apud Gratianum De Conſecr. Diſt. I. c. 44. ex parte apud Walafridum de reb. eccleſ. c. 24. & apud Radulphum *Tungrenſem* De canonum obſerv. prop. XXIII. In Burchardi autem decreto ponitur ſequens canon ex quodam *Remenſi* Concilio, pariter ac apud Reginonem: „Ut calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnimodis ex argento fiat. Nec cauſentur presbyteri, avaritia ſuadente, de paupertate vel impoſſibilitate, cum quarta pars ex omnibus, quæ ad eccleſiam pertinent, in fabricis ipſius eccleſiæ ſit impendenda. Admonendus eſt etiam populus, ut aliquid in donariis Domini offerat, ſicut ille antiquus populus ſub Mose in tabernaculo Domini feciſſe legitur. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat. De ære autem, aut ex auricalcho non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo calice, aut in vitreo præſumat cantare.“ Id tamen S. Hieronymus in S. Exuperio *Toloſano* epiſcopo in fine epiſt. IV. ad Rusticum monachum laudat: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Sed enim ſanctiſſima, qua id factum, commemoratur occaſio. Apud Platinam paſſim in vitis ſummorum pontificum memorantur

T. II. Conc. Germ. p. 597.

Lib. III. c. 96.

Lib. I. c. 67.

rantur vaſa eiuſcemodi ex pretioſa materia fieri curata. PRUDENTIUS hymno III. περὶ στεφάνων, qui eſt de S. LAURENTIO diacono *Romano*, penes quem pretioſa quæque eſſe debuerat ſupellectilis, urbis præfectum ſic loquentem inducit:

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moremque & artem proditum eſt
Hunc diſciplinam fœderis
Libent ut auro pontifices
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem.

XI. In quæſtionibus, quas S. BONIFACIUS *Germanorum* apoſtolus GREGORIO II. propoſuit, eſt hæc: „An in tanta paucitate ſacerdotum, & multitudine ad menſam Domini accedere volentium, duos aut tres calices ſimul conſecrare liceret." Reſpondet autem Pontifex: „In miſſarum ſolemniis illud obſervandum eſt, quod Dominus noſter IESUS Chriſtus Sanctis ſuis tribuit diſcipulis. Accepit namque calicem dicens: *Hic calix novi teſtamenti in meo ſanguine; hoc facite in meam commemorationem.* Unde congruum non eſt, duos vel tres calices in altario ponere, cum miſſarum ſolemnia celebrantur." In antiquiſſimis ordinibus unus quidem tantum pro conſecratione ſanguinis calix memoratur, ſcyphus tamen notatur, in quem refundebatur parum de calice, quem ſcyphum diſtinguit MABILLONIUS a calice maiore, in quo pariter vinum ex oblatione contentum eſſet. Certe in Ord. *Rom.* CAIETANI Cardinalis in die Natalis Domini ac die Paſchæ præſcribitur, ut parentur tres calices magni, unus pro conſecratione, alius cum quo papa bibit vinum, alius pro communicantibus. Poſterioris generis calices ſunt miniſteriales, qui memorantur in libro pontificali, & apud ANASTASIUM in vita SILVESTRI, SIXTI III. & LEONIS III. (horum uſum ad communionem populi ICMARUS in vita B. REMIGII ex inſcriptione eiusmodi calicis, quem S. REMIGIUS fieri curavit, explicat) & apud AMALARIUM leguntur:

Calices miniſteriales.

T. I. Conc. Germ. p. 34.

Comment. in Ord. Rom. pag. LVIII.

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro.
Iniecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus.
REMIGIUS *reddit Domino ſua vota ſacerdos.*

Cum ſufficere non videbatur ſanguis ſacratus, vinum ſuperfundebatur, iuxta ordinem autem *Romanum* parum ſanguinis in ſcyphum hunc, ſeu calicem maiorem infundebatur, de quo ſic in Ord. III. „Sed ipſe pontifex confirmatur ab archidiacono in calice ſancto, de quo parum refundit archidiaconus in maiorem calicem, ſive in ſcyphum, quem tenet acolythus ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus, quia vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum." Quibus verbis hæc adnotat MABILLONIUS comment. in Ord. *Rom.*: „Ex hac conſe- *pag. LIX.*

quentia (quæ in aliis libellis non habetur, fortaſſe à poſteris intruſa) intelligitur ſaltem in illo maiore calice, ſive in ſcypho contentum fuiſſe vinum ex oblatione refuſum, antequam ſanguis Chriſti in eum refunderetur.“ Quin
T. I. p. 80. imo *Iac.* BASNAGIUS in præfat. generali in Monum. CANISII calices miniſteriales veteribus ignotos vult, poſterioribus tantum ſæculis, quibus ſummus fuerit eccleſiæ faſtus, aut communio ſub una tantum ſpecie populo deſtinata, fuiſſe inventos. At rectius contrarium vel ex ipſo nomine Cardinalis CAIETANUS probat in III. Summæ S. THOMÆ: „Huiusmodi conſuetudo (ſunt CAIETANI verba) perſeveravit non ſolum tempore martyrum, ſed etiam tempore pacis eccleſiæ, cum legamus factas non ſolum patinas, ſed ètiam calices miniſteriales. Quare enim miniſteriales dicti ſunt, niſi quia non ad offerendum, ſed ad miniſtrandum populo Chriſti ſanguinem deſerviebant.“

Sacra ad recondendam Euchariſtiam vaſa.

XII. In ſacramentario *Gallicano*, a MABILLONIO ex Mſc. *Bobienſi* edito, oratio habetur *ad benedictionem calicis & patenæ & turris ſimul*, quæ iisdem fere verbis in ſacramentario *Gregoriano* ad benedictionem calicis habetur: *Precamur Domine tuam maieſtatem, ut hunc calicem patenam & turrem, in quo celebraturi ſumus ſacroſancta myſteria cœleſti*
Cap. 8. *benedictione ſanctifices &c.* Supra iam retulimus ex teſtamento S. REMIGII, iuſſiſſe *turriculum & imaginatum calicem fabricari.* Et HUGO abbas *Fontanellenſis*, ut legitur in chronico eius monaſterii, dedit monaſterio illi calicem aureum & patenam auream, penſantem libras quatuor, uncias duas. Turriculam auream penſantem libras ſex. Quodque DUCANGIUS in notis ad PAULUM *Silentiarium* tradit, ſupereſſe adhuc in *Galliis* apud quasdam eccleſias antiquiſſimi huius moris veſtigia, ut ſolemnioribus diebus Euchariſtia turriculis aureis, vel argenteis incluſa populo ſpectanda & adoranda proponatur in editiori altaris, ſeu tabernaculi loco, idem in *Alemannia* noſtra obſervavi. In veteri expoſitione Miſſæ *Gallicanæ*
Theſ. N. Anecd. p. 95. apud MARTENIUM habes: *Corpus vero Domini ideo defertur in turribus, quia monumentum Domini in ſimilitudinem turris fuit ſciſſum in petra.* In antiquiſſimo noſtro Capitulari eccleſiaſtici ordinis, quod inter monumenta liturgica edimus, turres ad oblationes memorantur: „Accipit ſacerdos in manibus ſuis turrem vel patenam cum oblationibus, ſimiliter diaconus calicem, & elevant eos contra capita ſua.“ Dixerat, haberi in ſacrario præ-
De Liturg. Gall. lib. I. c. 7. n. 6. & 7. paratas oblationes in turribus tribus aut duabus, aut una, aut ſi turres non habent, patena. Præterea vero MABILLONIUS in turribus incluſos fuiſſe
Lib. de Gloria MM. c. 36. calices, qui in ſecretario reponebantur, ex ſequenti GREGORII *Turonenſis* loco colligit: „Tempus ſacrificii advenit; acceptaque turre diaconus,

in

in qua miniſterium dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium, ingreſſusque templum, ut eam altari ſuperponeret, elapſa de manu eius ferebatur in aera &c. Itaque (inquit Mabillonius) ex hoc loco patet, miniſterium dominici corporis, id eſt, calicem & patenam eiusmodi turre fuiſſe incluſum. Unde in prædicto teſtamento (Aredii abbatis *Atanenſis)* ſemper turres cum calicibus coniunguntur, & totidem turres numerantur, quot calices." Idem antea obſcuriſſimum canonem 22. conc. *Arauſicani* I. verſans: *cum capſa & calix offerendus eſt, & admixtione Euchariſtiæ conſecrandus*, hæret: „Quid ſit (inquit) capſa hoc loco non liquet. Duo hic ſignificare poteſt, nempe vel turrim, qua calix includi ſolebat, & in qua inferebatur a diacono ad altare, ut capite 8. exponemus: vel patenam amplam & profundam, in qua panis conſecrari ſolebat. In ordinibus *Romanis* haud obſcurus eſt capſæ ſignificatus pro Euchariſtiæ reconditorio, ſic ord. I." Et tunc duo acolythi tenentes capſas cum ſanctis apertas, & ſubdiaconus ſequens cum ipſis tenens manum ſuam in ore capſæ oſtendit ſancta pontifici &c. P. Vezzosius in præfat. ad T. VI. opp. Ven. Thomasii *Turrim* deſcribens antiquis illis temporibus vas figura turritum, in quo calix atque patena cum Euchariſtia ſervabatur, *& ea fortaſſe*, addit, *ſui forma diſtinguebatur a* Capſa, *vaſe Romanorum more fabrefacto, atque ſacro eidem officio deputato.* Vidi haud raro vetuſta in *Alemannia* noſtra oſtenſoria, in quibus ſacrum Chriſti corpus in Euchariſtia adorandum exponitur, in turris formam fabrefacta ad morem vicinæ *Galliæ*. Videtur etiam vox germanica *Monſtranz* ex corrupto latino eiusdem eſſe originis.

Lib. I. c. 5. n. 18.

Pag. 8.

p. LVI.

Huc pertinet etiam periſterium, columba, de quibus ſupra, *cuppa ad reponendam in ea Euchariſtiam*: pyxis item, de qua in Inquiſitione apud Reginonem de his, quæ epiſcopus vel eius miniſtri in ſuo diſtrictu vel territorio inquirere debeant: *Inquirendum, ſi pyxis ſemper ſit ſuper altare cum ſacra oblatione ad viaticum infirmis.* In theſauro *Moguntino* apud Urstisium ſcripit. Rer. *Germ.* p. 569. ex chron. Conradi habetur expreſſe: *Cuilibet calici erant ſpeciales ampullæ argenteæ, & pyxis argentea ad hoſtias deputatæ.* De S. Adalberto miſſarum ſolemnia celebrante habetur in eius vita: *Quidquid vero ſuperfuit Deo* (de eo) *quod ipſe & novi baptizati communicarunt, colligere iubet & mundiſſimo panno involutum ſibi ſervavit pro viatico deportandum.* Henricus *Germaniæ* rex *Virdunenſi* monaſterio dedit inter alia Pyxidem de Onychino, in qua ſervaretur corpus dominicum, dependens ſuper altare. Eiusmodi vaſculum vel mundiſſimum pannum eſſe debuerat ad id, quod inter

T. II. Conc. Germ. p. 438.

T. III. Lect. Caniſ. P. I. p. 56.

ſtatuta

ſtatuta S. Bonifacii habetur: *ut presbyteri ſine ſacro chriſmate, & oleo benedicto, & ſacra Euchariſtia alicubi non proficiſcantur*, quod alicubi me memini legiſſe adnotatum. De columbis ad reponendam Euchariſtiam iam ſupra mentionem fecimus, de ciboriis eccleſiarum agentes ex vita S. Basilii ſub nomine Amphilochii, ubi S. Basilius morte iam inſtante ſacra celebraſſe memoratur, conſecratumque panem in tres diviſiſſe partes, quarum unam ſumſerit, alteram in aurea columba ſuper altare pendente collocarit, tertiam ſervaſſe ſecum ſepeliendam. Sequenti ſæc. V. in Occidente S. Perpetuus *Turon.* in teſtamento Amalario *presbytero capſulam communem unam de ſerico, periſterium & columbam ad repoſitorium* dedit, legavitque. *I. Andr.* Smidius eiusdem eſt cum Mabillonio ſententiæ, non de alia re, quam de Euchariſtia hic agi, in diſſert. de columbis in eccleſia *græca* & *latina* uſitatis p. 5. ubi etiam Ulrici locum affert. lib. I. c. 8. de conſuetud. *Cluniac.* ſacras hoſtias *in aurea columba ſuper altare pendente iugiter* ſervatas fuiſſe.

Calami ad ſumendum ſanguinem.

XIII. In ordinibus *Romanis* frequens eſt calami mentio, ſeu pugillaris, cannæ, fiſtulæ, virgulæ (loca pleraque collecta leges in *Chriſtoph.* Koecheri apoſpaſmatiis hiſtoriæ fiſtularum Euchar.) quibus etiam nominibus paſſim in veteribus monumentis occurrit inſtrumentum, quo ſacratus ſugebatur ex calice ſanguis. Notatque Georgius ex Mabillonio, in veteri codice bibliothecæ olim *S. Andreæ* nunc *Vaticanæ* legi, ſanctiſſimum Pontificem Gregorium Chriſti ſanguinem hauſiſſe virgula argentea. Inter ſacra miniſteria ſeu vaſa ſacra ad miſſam pontificalem deportanda notatur ord. I. *Aqua manus, patena quotidiana, calix, ſcyphi, & pugillares alii argentei, alii aurei.* Ordine III. ſic habetur: *Hoc officio iuxta altare peracto, & pugillari, cum quo confirmetur populus.* Fuit ergo hoc commune olim *Romæ*, non ſoli pontifici proprium. Unde etiam in ordine VI. quo ordo miſſæ epiſcopalis habetur, idem præſcribitur: *Ipſe autem diaconus tenens calicem & fiſtulam ſtet ante epiſcopum, uſque dum ex ſanguine & corpore Chriſti, quantum voluerit ſumat, & ſic calicem & fiſtulam ſubdiacono commendet.* Sequitur autem communio miniſtrorum. In ordine X. feriæ V. in Cœna Domini exceptio habetur pro ipſo pontifice: *Confecto itaque ſacrificio, pontifex ſolus communicat ſuper altare ſine miniſtris, & non cum calamo, ſed cum calice tantum ſe confirmat illo die.* Apud Innocentium III. lib. VI. myſteriorum miſſæ inſcribitur Cap. IX. *Quod Romanus pontifex alium in communicando morem obſervat.* Atque ſic habet: „Poſt oſculum pacis ad ſedem aſcendens, ibique conſiſtens univerſis cernentibus partem maiorem ſuſcipit oblatæ

De veteri miſſa pontif. diſq. de ſacro miniſt. c. 18. n. 3. p. 5.

n. 17. p. 60.

n. 12. p. 75.

n. 9. p. 100.

Digitized by Google

latæ de patena, quam ei ſubdiaconus repræſentat, ipſamque videntibus dividens, unamque particulam ſumens & aliam mittit in calicem, quem tenet coram ipſo ſubdiaconus, de quo ſanguinem haurit cum calamo." Atque hoc ſervatur *Romæ* uſque ad hodiernum diem, de quo more BENEDICTUS XIV. ſic loquitur: „*Romanus* pontifex, cum ſolemnem celebrat miſſam, ſanguinem e calice per fiſtulam exſorbet, itidemque diaconus, & ſubdiaconus. Nonnulli putant, uſum fiſtulæ introductum, ut cum ſummi pontifices provectiore plerumque ſint ætate, arceatur periculum effundendi ſanguinis Chriſti. Verum ROCCA in tractatu de ſolemni communione ſummi pontificis Tom. I. operum ſuorum p. 27. hanc rationem minime probat: ſi enim eiusmodi ratio firma eſſet, etiam in miſſis privatis ad eundem modum oporteret ſanguinem a *Romano* pontifice ſumi: quod minime fit; neque id opus eſſet diacono & ſubdiacono, quorum ætas plerumque haud ita gravis. Itaque adhiberi, ait, fiſtulam a *Romano* pontifice, ut repræſentetur arundo, cui ſpongia fuit impoſita, quæ aceto imbuta Chriſti ori admota eſt; eodemque modo a diacono & ſubdiacono ebibi ſanguinem ad ſignificandam communicationem paſſionis Chriſti." Hæc BENEDICTUS XIV., qui etſi dicat, ſe evertere hanc rationem minime velle, fatetur tamen eam eſſe meram tantummodo cogitationem ex auctoris pietate profectam, nullo alioquin fultam veteri monumento; atque illud eſſe in cauſa arbitratur, quam ob rem hoc modo *Romanus* pontifex, diaconus & ſubdiaconus ſanguinem ebibant, ut vetus retineatur uſus, quo quondam populo ſub utraque ſpecie Euchariſtia præbebatur. Quia ſanguinis, ut ex LINDANO refert, effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur, calicibus canna eſt ferruminata, affabreque inſerta.

T. X. opp. p. 229.

Panopl. ev. lib. IV. c. 56.

Citat porro MACRI vocabulor. eccleſ., ubi eundem fuiſſe ait uſum fiſtulæ quondam etiam abbati montis *Caſini* ad exugendum ſanguinem Chriſti. Quod CASSALIUS confirmat de veteribus ſacris chriſtianorum ritibus c. 81., qui præterea vetuſtas quasdam affert *Carthuſianorum* conſtitutiones, a GUIGONE compoſitas, qui S. BERNARDO coævus fuit. In iis hæc habentur cap. 40. *Ornamenta aurea vel argentea præter calicem & calamum, quo ſanguis Domini ſumitur, in eccleſia non habemus.* Subdit BENEDICTUS XIV. „Et quamvis cum ROCCA conſentiat, nos tamen a noſtra ſententia non recedimus; cum præſertim idem CASSALIUS fateatur, INNOCENTIUM III, ubi agit de communione ſummi pontificis, non loqui de cauſa hauriendi ſanguinem per fiſtulam, quam cauſam ille Pontifex cæteroquin a ſymbolicis ſacrorum myſteriorum exſplicationibus minime alienus, non allegoricam agnoverit, ſed hiſtoricam."

Verbo Siphon.

Uſum hunc fiſtula ſeu Calamo ſanguinem Chriſti hauriendi in *Gallicanis* eccleſiis fuiſſe ſaltem a ſæculo nono, forte exemplo eccleſiæ *Romanæ*, dicit MABILLONIUS. Iam meminit Calami *Paſchaſius* RADBERTUS, qui labente ſæculo octavo natus, medio nono obiit, in carmine, quod libro de corpore & ſanguine Domini præmittitur, quo teſtimonio, ac HEDIONIS ex Centuriatoribus *Magdeburg.* Centuria VI. c. 22. nec non teſtamenti EBERHARDI comitis an. 873. apud DACHERIUM & alios utitur *Ioan.* VOGT, paſtor *Bremenſis* in hiſtoria fiſtulæ Euchariſticæ, contra QUENSTEDIUM & *Franc.* BUDDÆUM, qui fiſtulas Euchariſticas ſæculo demum duodecimo & decimo tertio excogitatas eſſe aſſerunt. Ubi etiam §. V. FLODOARDI canonici *Remenſis* affert locum lib. III. hiſt. eccl. *Remenſis* cap. 5. eiuscemodi: *Calicem maiorem cum patena ſumptorioque fecit ex auro, lapidumque pretioſorum illuſtravit nitore &c.* quod DUCANGIUS & alii huc quidem interpretantur; *Thomas* REINESIUS autem corruptam hic eſſe FLODOARDI lectionem arbitratur, & pro *ſumptorio* legi contendit *ſuctorium.* Agit deinceps de vario fiſtulæ Euchariſticæ etiam apud *Lutheranos* uſu.

De liturg. Gallic. lib. III. p. 186.

Uſum hunc apud *Ciſtercienſes* alicubi adhuc tempore Cardinalis CAIETANI obtinuiſſe, annotatum legitur ad calcem eiusdem diſſertationis: atque etiamnum in monaſterio *Cluniacenſi* perſeverat, teſte D. de MOLEON in *Itinere liturgico*, diebus feſtis & dominicis per miniſtros altaris. Ubi poſtquam ſacerdos accepit ſacram hoſtiam ac partem ſanguinis, communicavitque ſacra hoſtia miniſtros altaris, hi ad parvum altare, quod ad latus eſt, vadunt, diacono illuc portante calicem cum duobus candelabris, tenetque Calamum argenteum in medio, eius extremitate in fundo calicis ſubſiſtente, unde miniſtri genuflexi hauriunt ſacrum ſanguinem Calamo. Quod idem diebus ſolemnibus & dominicis in monaſterio *S. Dionyſii* vidi fieri, eſtque paſſim ab aliis obſervatum. In theſauro monaſterii *Corbeienſis* P. MARTENIUS & DURANDUS Calamum ad hauriendum ſanguinem notant. Et P. PEZIUS in ſacrario *S. Petri Salisburgi* amplum calicem cum tubulo ad hauriendum inde ſanguinem Domini reperit. Tubulum hunc ex orichalco confectum deſcribit etiam DUELLIUS apud VOGTIUM p. 18. Cuiusmodi nos etiam in *Itinere Alemannico* viſos typis æneis exhibemus. Duos etiam exhibet laudatus *Io.* VOGTIUS, ex quibus ornatior cum tribus tubulis CLEMENTIS VIII. Pontif. nomen præfert.

pag. 149.


Voyage litt. 1724. p. 61.
Diſſ. Iſag. in I. Tom. Anecd. p. VIII.
Tab. V. n. 1.


In mſc. ordine operis Dei, qui apud nos ſæc. XIV. XV. & XVI. uſitatus fuit, idem ad Nat. Domini præſcriptum reperimus, iuxta conſtitutiones *Fructuarienſes* apud nos uſitatas, de quibus quoad hoc vide P. HERRGOTT de vet. Diſc. monaſt. p. 369. 370. Sic autem habet noſter ordo op. Dei: „Interim cuſtos & ſocii eius præparent quinque lumina in eccleſia

S. Mariæ,

Digitized by Google

Tab. V. n. 1.
pag. 226.





n. 3. 255.



S. Mariæ, & pulpitum, duoſque calices & duas harundines, ponanturque hoſtiæ, ut ſufficere videtur communicantibus.“ Et paullo poſt: „Sacerdos communicatis miniſtris, & percepto ſanguine Domini dat calicem diacono, quo accepto diaconus vadit in ſiniſtrum cornu altaris, & tam ipſe, quam duo ſubdiaconi primi communicent de ſanguine Domini cum harundine argentea. Subdiaconibus ad tenendam pallam altaris in dextrum cornu redeuntibus cantor officii, ſi vult, primus communicet cum miniſtris, quia ipſe de calice vinum cum harundine daturus eſt communicantibus. Hic ordo ſemper teneatur, quando conventus communicat. Ad *Alemanniam* etiam noſtram ſpectant, quæ apud P. HERRGOTT in Conſtit. *Hirſaugienſibus* pag. 394. leguntur: „Pro ſigno fiſtulæ, ſive arundinis, ex qua ſanguinem Domini percipere ſolemus &c.“ Huc etiam facit, quod p. 453. dicitur: „Poſtquam ſubdiaconus corpus Domini acceperit, ſtatim ad diaconum cum arundine & ampulla venit, de qua vinum in calicem fundit.“ Ad priorem locum ex conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* pertinet, quod B. RHENANUS in annotat. ad TERTULLIANUM de Corona militis inter alia ad rem affert: „Non poſſum celare ſtudioſos antiquitatis chriſtianæ, laicos olim canna ſolitos haurire dominicum ſanguinem e calice: quod pridem mihi indicavit *Paulus* VOLZIUS, abbas *Hugoniani* cœnobii, quod vulgo *Hugonis curam*, & lingua vernacula *Hugeshofium* appellat in valle *Albertina*, vir pius & literatus erutum ex libro ſignorum, qui frequens exſtat apud *Benedictinos*.“ Provocat idem RHENANUS ad conſtitutiones *Carthuſianorum* ex PELLICANO, & ad libellum de veteribus theſauris eccleſiæ *Moguntinæ*. In theſauro autem eccleſiæ *Moguntinæ* apud URSTISIUM *Chr.* CONRADI epiſcopi p. 569. Script. Rer. *German.* *Erant fiſtulæ 5. ad communicandum argenteæ deauratæ.* Nuperrime in eccleſia quadam rurali argenteam fiſtulam ſeu arundinem apud ſacriſtam depoſitam reperi. *Iac.* GRETSERUS in annotationibus ad *Io.* CANTACUZENI hiſtoriam ed. *Pariſ.* p. 913. morem hunc etiam *Græcis* fuiſſe, quod Card. BONA negat, clare docere aſſerit, tum alios, tum nominatim MELETIUM, Protoſyngelum *Alexandrinum* quæſt. II. de Euchariſtiæ Sacramento.

XIV. Pertinent huc cochlearia ad intinctam communionem porrigendam, de qua communione, quatenus apud nos fuerit in uſu, dicetur poſtea, qualiſque a multis ſæculis eſt apud *Græcos*, non ſolum ut apud nos ad infundendam aquam in calicem, aut thus in thuribulum, ſed ad communionem laicis dandam, auctoritate & exemplo, ut aiunt IOANNIS *Chryſoſtomi*; & illius uſum frequentant Orientales omnes: unde illius antiquitas ſatis probatur, ut arguit RENAUDOTIUS. Subditque: „Quid adverſus hanc conſuetudinem per ſe innoxiam, quaſi de ſumma republica chri-

Cochlearia ad intinctam communionem.

Diſſert. de Liturg. Orient. Orig. T. I. pag. LXXVI.

Digitized by Google

chriſtiana agereretur, Humbertus *Sylva-candidæ* conviciorum non effudit, non minus quam adverſus cochlearis uſum, & ritus quosdam alios indifferentes?“ Certe idem aliquando etiam apud nos fuit uſus in Occidente, ſed canonibus vetitus, ut poſtea videbimus. Exhibitionem Euchariſtiæ ope cochlearis apud *Græcos*, *Habeſſinos*, & *Moſcovitos* oſtendit *Io.* Vogt in hiſtoria fiſtulæ Euchariſticæ §. 9. Soli clerici ſeorſim accipiunt, pro laicis panis conſecratus in minutiſſimas partes a ſacerdote diminutus calici immiſcetur, particulas has euchologium μερίδας vocat, μαργαρίτας, ſive uniones communiter appellant (quia non dandæ porcis, ut explicat *Leo* Allatius) λαβίδα vero cochleare, quo communicantium ori ingeritur Euchariſtia In cumulo auctorum, ad quos provocat laudatus Voggtius, demum citantur etiam Iosephi *Gorgirenſis* archiepiſcopi litteræ ad *Thomam* Smithum, quæ leguntur in præfatione libri *de ſtatu hodierno eccleſiæ Græcæ*, atteſtanturque in communione etiam infantium apud *Græcos* hodiedum adhuc panem intinctum cochleari exhiberi.

Flabellum.

XV. Flabelli uſum, quo diaconus muſcas a ſacris, & ab ipſo ſacerdote olim abigebat, a primis eccleſiæ temporibus fuiſſe in Oriente, probat Ducangius. Eiusdem teſtimonia etiam de uſu Occidentalis eccleſiæ ſi legiſſent fratres Richardi, non negaſſent, dum ex antiquitate eccleſiaſtica
a ritus quosdam veteres publica diſputatione excutiendos a) recenſuerunt, omnem in eccleſia latina flabellorum uſum, eum reſtringentes in *Aſiam*, regionesque calidiores, ubi muſcæ aliaque inſectorum genera hominibus permoleſta ſunt, & magno numero reperiuntur: unde quidem facile largior, frequentiorem magisque conſtantem illis in partibus flabelli uſum, quod ῥιπίδιον vocant. Ea voce notat Ducangius Cyrillum monachum in vita Euthymii abbatis vocare μυστικὴν ῥιπίδα ſeu λειτουργικὸν ῥιπιστήριον, atque etiam ſimili de inſtrumento, eiusque uſu in Occidente agit Udalricus lib. 2. c. 30. conſuetudinum *Cluniacenſium* (quæ in plerisque *Alemanniæ* monaſteriis fuerunt receptæ) & Hildeberti *Cenoman.* epiſt. 8. ad Anselmum. Conſtitutiones S. Benigni ita præſcribunt c. 21. „Unus autem miniſtrorum, qui ſemper duo eſſe debent, ſtans cum flabello prope ſacerdotem, ex quo muſcarum infeſtatio exurgere incipit, donec finiatur, eas arcere a ſacrificio & ab altari, ſeu ab ipſo ſacerdote non negligit.“ Ordo item *Romanus*
pag. 297. & 305. *Iacobi* Gaietani duplicem eius uſum deſignat, ſcilicet ad refrigerandum aerem & ad abigendas muſcas. Quales certe uſus in huiusmodi flabello deſcriptos refert Martenius in *itinere litterario.* Quod in monaſterio *Turo-*
pag. 232. *nenſi* ſervatur flabellum, ei haud abſimile, cuiusmodi matronis ſolet eſſe in

uſu,

a) *Witembergæ an.* 1701.

uſu, niſi quod amplius ſit, atque manubrium 2. ped. habeat. Ex una parte litteris maiuſculis hi leguntur verſus:

Flaminis hoc donum regnator ſumme polorum
Oblatum puro pectore ſume libens:
Virgo parens Chriſti voto celebraris eodem,
Hic coleris pariter, tu Philiberte *ſacer.*
Sunt duo quæ modicum confert æſtate flabellum
Infeſtas abiicit muſcas & mitigat æſtum &c.

Et in altero latere:

Hoc decus eximium pulchro moderamine geſtum
Concedet ſacro ſemper adeſſe loco.
Namque ſuo volucres infeſtas flamine pellit
Et ſtrictim motus longius ire facit.
Hoc quoque flabellum tranquillas excitat auras
Æſtus dum eructat ventum excitat atque ſerenum
Fugat & obſcænas importunasque volucres.

In circuitu varia ſunt nomina ſanctorum. Inveni in Mſc. miſſali bibl. *Barbarinæ Romæ* miniſtrum cum flabello (radiis veluti e circulo ad centrum coeuntibus) ſacerdoti miſſam celebranti aſſiſtentem, ærique incidi curavi, ut cernere eſt Tab. VI. n. 4.

XVI. Demum etiam hic mentio eſt facienda de ſacro munere, quod huc pertinet, atque inter epiſtolas S. Bonifacii 103. Bregovinus ad Lullum eius ſucceſſorem miſiſſe memoratur his verbis: *Tibi indicare curavimus, nos miſiſſe veſtræ beatitudini parva quædam munuſcula; non parva charitate, id eſt, capſam unam ad officium quidem ſacerdotale ex oſſibus fabricatam, ſalutationis tantummodo ac benedictionis cauſa.* Exiſtimo tabulas has ad pacem etiam dandam comparatas fuiſſe, quæ ſolebant eſſe eburneæ: qualem nobis deſcribit Georgius de miſſa pontificali, in ſacrario inſignis eccleſiæ collegiatæ civitatis *Fori-Iulii*, *Venetiis* a ſe viſam an. 1716., figuram oſculatorii inſtrumenti exhibentem, quæ ab Urso *Foroiulienſi* duce oblata fuit, nam nomen eius præfert. Alia eius generis etiam ex marmore vide apud eundem. *Romæ* inſtrumento eiusmodi eburneo vidi in miſſa etiam privata, quæ præſente pontifice in capella aulæ pontificiæ celebrata fuit, pontifici a miniſtro pacem fuiſſe datam, tempore alias ante communionem conſueto.

Inſtrumentum ad Pacem.

Diſq. de ſacro miniſt. p. CXXVI.

CAPUT III.

De Veſtibus ſacris.

I.

De Tonſura.

De habitu veſtibusque ſacris aliquid pro illuſtranda veteri liturgia *Alemannica* dicturus, neceſſe non habeo in primam originem indagare peculiaris habitus & tonſuræ clericorum, nec non ſingularium veſtium ſacris chriſtianis obeundis; quæ res eadem obſcuritate, ac prima religionis chriſtianæ in noſtra *Alemannia* principia, laborat. Ea tamen cum luſtrum accepit ſub regno *Francico*, pariter etiam pro dignitate perſonarum ac rerum ſacrarum religio in habitu & veſtitu ſacro eſt obſervata, maxime a tempore *Germanorum* apoſtoli præcipui S. Bonifacii. Quo præſidente habita ſynodus circa annum 742. ita in hanc rem conſtituit. *Sancitum eſt, ut clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono, etſi noluerint, inviti tondeantur. Veſtimenta vero vel calciamenta eis, niſi religionem deceant, habere non liceat.*

T. I. Conc. Germ. p. 55. c. 4.

Non hic quidem ſingularis aliqua tonſura capitis in modum circuli ſeu coronæ exprimitur, qualem triplicem circa ea tempora diſtinguit Mabillonius Clericorum, *Romanam*, *Græcanicam* & *Scoticam.* Prout vero tonſuram *Romanam* iuxta can. 40. conc. *Tolet.* IV. deſcribit, ut ſcilicet omnes clerici vel lectores, ſicut levitæ & ſacerdotes detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant, eandem in pleriſque monumentis *Alemannicis* tam in clericis, quam monachis reperi, qui, ut laudatus Mabillonius obſervat, *ob tonſuram abbatum manibus traditam clerici cenſebantur*, prout figuræ noſtræ indiſcriminatim fere produnt, atque etiam Georgius eiusmodi ſpecimina dat ex Mſc. *Rhabani* Mauri Bibl. *Vaticanæ*, in quo S. Martinus, Albinus & Rhabanus monachorum more detonſi ſunt, ſcilicet „toto fere capite in coronam attonſo (ſunt Georgii verba) prout *Romæ* videmus in teſſellato opere triclinii *Lateranenſis* imaginem Leonis III. & in muſivis picturis eccleſiæ *S. Marci* effigiem S. Marci papæ & ſanctorum Felicissimi & Agapiti diaconorum & martyrum, quæ hoc ipſo Rhabani ævo confectæ ſunt.“ An vero iam tempore S. Bonifacii obtinuerit, ut eadem clericorum & monachorum

Sæc. III. P. I. n. 19. p. X.

T. I. De liturg. Rom. Pont. c. 8. pag. 84.

Digitized by Google

nachorum fuerit tonſura, ex citato canone non liquet. Tonſuram ſæc. X. ex *ſan-Gallenſi* Mſc. expreſſi in Itinere *Aleman.* Tab. VI. ei ſimilem, quæ hic Tab. V. num. 2. exhibetur. *P. Maurus* SARTI, cuius olim *Romæ* in monaſterio *S. Gregorii* abbatis familiaritate ſum uſus, veterem caſulam diptycham *Veronenſem* eo etiam argumento ad ſæculum nonum revocat, quod tonſuræ clericalis forma alia eſt plane ab ea, quæ decimo, undecimo, & ſequentibus ſæculis in uſu fuit, quod veteres picturæ demonſtrant: quæque ei non diſſimilis fuiſſe videtur ab ea, quam nunc retinent religioſi plerique ordines ſeverioris diſciplinæ. Convenit hæc tonſura cum illa, qualem anonymus quidam deſcribit apud eundem de vet. caſula diptycha. p. 44. Raduntur in ſummitate capitis, capillis remanentibus ſparſis circa tonſuram nec deſcendentibus ſub oculis, neque ſub auribus. Addit P. SARTI olim etiam ſeveriorem fuiſſe tondendi cleri diſciplinam, capillis non modo non infra, ſed vix ad mediam auriculam deſcendentibus, provocatque ad veteres picturas imprimis S. GREGORII M. quæ erat *Romæ* in monaſterio S. GREGORII. a) Sed promiſſior eſt coma epiſcoporum *Veronenſium* in laciniis caſulæ *Claſſenſis*, raſis barbis, qui mos eſt *latinus* a *Græco* diſtinctus: quam in rem RATHERII *Veronenſis* affert teſtimonium de contemtu canonum in clericis ſui ævi ſæc. X. *ut ſolummodo barbiraſio, & vertice cum aliquantula veſtium diſſimilitudine nudo, diſtare eos videas a ritu laico.* a

II. In orientali eccleſia *Theodorus* BALSAMON clericis, qui ſuo tempore, omnibus Patrum ſanctionibus inſuper habitis, veſtitu ſæcularium genio ſe accommodarunt, concilii II. *Nicæni* canonem XVI. obiicit: ante quod iam conc. *Trullanum* c. 27. peculiarem habitum clericis præſcripſit ſæc. VII; in Occidente vero dudum ante licentia in veſtitu clericis fuit interdicta aut forma præſcripta concilio *Milevitano* c. 13. *Carthag.* IV. c. 45. *Agath.* c. 22. *Matiſcon.* I. c. 3. *Romano* demum anno 743. Nec tamen cuiusmodi præciſe fuerint veſtimenta tunc planum eſt. In *Germania* noſtra S. BONIFACIUS M. epiſtola 105. hoc expreſſe habet: *Interdiximus ſervis Dei, ne pompato habitu vel ſagis vel armis utantur.* Inter pia munuſcula ſeu Xenia invicem miſſa nonnunquam aliquid veſtium tum ſacro altaris cum etiam communi uſui ſervientium habetur. Sic GUNCHEARDUS epiſcopus dedit LULLO epiſcopo *tunicam laneam, & lineam, caligas, & peripſemata, orarium & coculum, & gunnam brevem noſtro more conſutam.* Eſt autem *Guna* ſeu *Gunna* idem, quod ſiſyra

Et habitu Clericorum.

Epiſt. 85.

a) Imago illa paſſim expreſſa habetur ſingillatim, latine etiam explicata lib. II. de Pictura ſacra *Fed.* BORROMÆI c. 9. cum ſimili S. PETRI & LEONIS III. P. *A. Fr.* GORII Symbola litter. Vol. VII. p. 77.

Digitized by Google

ſyra, veſtis pellicea & villoſa ex ovium vel caprarum aliarumque animantium villoſarum pellibus, ut ex Gloſſario græco-barbaro verbo γῦνα notavit GRETSERUS, recteque obſervat pro *peripſemata*, omnino legendum perizomata. *Gunnam de pellibus lutrarum factam* etiam inter Xenia CUTHBERTUS ad LULLUM epiſcopum miſit. Forte hoc veſtimentum ſit clericorum in divinis officiis conſiſtentium, poſtea ſuperpelliceum vocatum, uti etiamnum uſu canonicorum in collegialibus & cathedralibus eccleſiis obtinet veſtis a Roccheto diſtincta, tunica linea a vernaculo *Rock*, aut æquivoco *Anglo-ſaxonico* Rocc: unde ad nos, ut ſupra vidimus, forma religionis chriſtianæ potiſſimum venit, ordine tamen, ac ritu *Romano*, quo tunica linea ſeu alba ſemper cum aliis ſacris veſtibus obtinuit, quæ in ordine *Rom.* I. *linea* præciſe vocatur, atque etiam haud raro *alba*, diſtincta tamen ab *alba* ad ſacrificium miſſæ adhibita. Quare in admonitione ſynodali, quæ ſub nomine LEONIS IV. habetur, ſed antiquior eſt, ſtatuitur, „ut nullus in *alba*, qua in uſu ſuo utitur, præſumat miſſas cantare. Hoc autem loco (inquit GEORGIUS, qui operoſe de hac re agit) albam idem eſſe ac lineam tunicam talarem, non tam mea opinio eſt, quam *Claudii* MOLINETI, apud quem etiam ita accipitur albæ vox in conſtitutionibus RICULPHI epiſcopi *Sueſſion.* A. D. 889.“ Gemina ſunt verba REGINONIS in libello inquiſitionis de eccleſiaſticis diſciplinis, ubi notatur ab epiſcopo inveſtigandum: *Si absque alba, aut cum illa alba, qua in ſuos uſus quotidie utitur, miſſam cantare præſumat.* Et iam antea inquiſit. 62. & 63. *Si ſine ſtola vel orario in itinere incedat, ſi poſtponens clericalia veſtimenta laicalibus utatur indumentis.* In concilio *Triburienſi*, prout a BURCHARDO citatur, de clericis, qui laicalibus veſtimentis utuntur, titulus habetur, ſtatuiturque: *Ut laicalibus veſtimentis clerici non utantur, id eſt mantello vel cotto ſine cappa: nec pretioſis & ineptis calceamentis, & aliis novitatum vanitatibus, ſed religioſo & decenti habitu incedant.* Et paullo poſt: *ut presbyteri non vadant, niſi ſtola vel orario induti, & ſi in itinere ſpoliantur, vel vulnerantur aut occiduntur, non ſtola veſtiti, ſimplici emendatione ſua ſolvantur, ſi autem cum ſtola, triplici.* Stola ergo, ſeu orarium, fuit uſitata in communi etiam habitu clericorum veſtis, quale dono dedit GUNCHEARDUS LULLO epiſcopo & coculum, diminutivum forte ex cotto ſeu cotta (de qua videri poteſt DUCANGIUS, & laudatus GEORGIUS) etiam divinis officiis præſertim æſtate deſerviens. Unam hic afferam NICOLAI III. conſtitutionem pro canonicis eccleſiæ *Vaticanæ*, an. 1278. „A vigilia ſcilicet omnium Sanctorum uſque ad ſabbatum ſanctum, ſuperpelliceas lineas deferant, cappas nigras de ſagia ſimplices, vel ſi voluerint, ſode-

Lib. II. de Benedictionibus c. 28.

Num. 6.

De liturgia Rom. Pont. lib. II. c. 2.

T. II. Conc. Germ. pag. 440.

Num. 66.

T. II. Conc. 409.

pag. 410.

foderatas a cingulo, vel circa ex parte anteriore fixas inferius & apertas. Deinde vero uſque ad feſtum omnium Sanctorum lineis togis ſuperpelliceis, ſive cottis abſque cappis, quod hactenus, ut accepimus, fieri conſuevit &c." In conc. *Aſchaffenburg.* provinc. an. 1292. c. 2. ſtatuitur: *Item quod ſacerdotes & campanarii, qui ſacerdotibus ad altare circa baptiſmum, deportationem olei ſacri, & corporis Domini ad infirmos exiſtunt, & iuxta quod eorum officium requirit, miniſtrant, ſuper veſtimenta ſua ſuppelliciis ſacerdotes, & campanarii camiſiis albis utantur, diſtricte præcipimus haberi.* In concilio *Mogunt.* an. 1310. titulus habetur *de ſuperpelliceis campanariorum*, ſtatuitur autem: *Super veſtimenta ſua ſuperpelliceis ſacerdotes & campanarii camiſiis utantur.* Iam antea nomen ſuperpelliceorum a primigenia ſignificatione degeneravit, ut ex laudata conſtitutione Nicolai III. colligitur, ubi etiam cottæ ſine cappis indulgentur, caputiis nempe, quæ etiamnum in ſuperpelliceis veri generis apparent, quorum loco bireta invaluerunt, quæ cum aliis capitis tegumentis in concilio *Salisburgenſi* anni 1386. recenſentur c. 5. *de habitu clericorum*: „Quoniam per decentiam habitus extrinſeci oportet clericos intrinſecam honeſtatem oſtendere, diſtricte prohibemus, ne aliqui clerici ſine caputio capitis, bireto, a) capello, vel pileo cooperto in eccleſia, ſeu alias in publico præſumant incedere &c." Pertinet etiam huc ſequens canon VI. eiusdem concilii, quo inhibetur: „Ne clerici in publico utantur vario, vel illud deferre præſumant, niſi in dignitatibus fuerint, vel canonici eccleſiarum cathedralium vel in gradu magiſterii ſcientiæ litterarum fuerint conſtituti." Canonem hunc refert cum aliis Ducangius voce *Vares*, *Varius.* *De collaribus* vero *clericorum tubulatis & planis* extat ſingularis differt. *Urb. Godof.* Siberii.

T. IV. Conc. Germ. p. 7.

T. XIV. Conc. edit. Ven. pag. 1492.

T. XV. p. 965.

Sacræ altaris veſtes.

III. De ſacris veſtibus ad miniſterium altaris amplior eſt diſquiſitio. Eſtque inter doctores diſputatio, an vel ipſe Chriſtus, vel apoſtoli ſaltem, aut primitiva eccleſia peculiari aliquo habitu, an vero veſtibus communibus Euchariſtiam celebraverint, quod poſt *Walafridum* Strabonem eruditiores critici tenent. Cum nomina ſacrarum veſtium, quæ hodieque obtinent, olim communia fuerint promiſcuo in uſu. Etſi dubitandum haud ſit, ut in reliquo Sacro apparatu, ornatui etiam ac munditiæ imprimis ſtuduiſſe Sacrorum præſides, dum licuit per temporum iniquitates, & eccleſiæ facultates. Quam in rem S. Hieronymus auctoritatem etiam ex veteri

a) Bireta inter pontificia ornamenta aliquando repoſita probat *Ioannes* Ciampini *Monum vet.* P. I. c. 26. p. 240.

Comment. in Ezech. lib. XIII. c. 44.

veteri teſtamento repetit. „Per quæ (inquit) diſcimus non quotidianis & quibuslibet pro uſu vitæ communis pollutis veſtibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum, ſed munda conſcientia, & mundis veſtibus tenere Domini Sacramenta.“ In antiquiſſimis, qui extant, libris liturgicis præſcribitur hic ſacer ornatus, & quidem in expoſitione antiquæ liturgiæ, quæ S. Germani *Pariſienſis* epiſcopi nomine edita habetur apud Martenium, ſingulariter cum aliis notatur *Veſtimentum parvolum, quod non ſit in alio uſu, niſi ad frequentandum Sacrificium.* In antiquiſſima noſtra inſtructione ordinis eccleſiaſtici, uti in aliis eius generis a laudatis Martenio & Muratorio editis, expreſſe habetur: *Primitus autem veſtiuntur ſe ſacerdotes unacum diaconibus veſtibus ſuis, & procedunt de Sacrario cum cereis vel turribulis &c.* Seu ut in alio ac in editis habetur: *Cum autem hora adpropinquaverit, ut miſſas introeant, ingrediuntur ſacerdotes & levitæ in ſacrarium, induent ſe veſtibus, cum quibus miſſas celebrare videntur.* Ordines *Romani* antiquiſſimi habent, Pontificem in ſecretario mutare veſtimenta ſua, & pontificalibus ornamentis indui, diaconos interim egredi e ſecretario, & mutare veſtimenta ſua. In conciliis eſt cautum canonibus, veluti iam in *Carthaginenſi* IV. an. 398. e. g. *ut diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis alba utatur.* Et in decreto Burchardi, quod ad nos attinet, ex concilio quodam *Remenſi* habetur peculiare caput: *Ut nullus presbyter absque veſtimentis ſacerdotalibus præſumat miſſam cantare.* Sic vero ſancitur: *Nullus presbyter ſine amictu, alba & ſtola, & fanone & caſula ullatenus miſſam celebrare præſumat. Et hæc ſacra veſtimenta mundiſſima ſint, & in nitido loco intra eccleſiam collocentur. Nec presbyter, cum his induitur, extra eccleſiam exeat, quia hoc lex divina prohibet.* Qua vero religione ſuſceptæ ſint ſacræ veſtes, preces indicant ad eas ſingulas dici ſolitæ, & ad communes exuendas, qualis etiam in miſſa Illyrici præſcribitur oratio: Quum ſe exuerit quotidianis veſtibus dicat: *Conſcinde ſaccum meum &c.* Cuiusmodi alia in ritu quotidianæ miſſæ eccleſiæ *Mutinenſis* a Muratorio edita habetur: *Exſue me Domine veterem hominem.* Quæ quidem in aliis plerisque ſimilibus deſiderantur, ubi tamen preces ad ſingulas veſtes dicendæ præſcribuntur, plerumque verbis potius, quam ſenſu inter ſe diſtinctæ, in Ratoldi codice verſibus etiam expreſſæ; alias vero cum illis, quæ hodieque in uſu ſunt, qualesque ex cod. *ſan-Gallenſi* edimus, fere congruunt.

T. V. Theſaur. novi anecd. p. 100.

T. II. Conc. Germ. pag. 454.

T. I. Lit. Rom. p. 87.

Singulari ritu ſolent benedici veſtes ſacræ, atque ad ſacrum uſum conſecrari, prout iam in antiquiſſimo ſacramentario *Gelaſiano*, & miſſali *Francorum præfatio linteaminum*, uti etiam *benedictio ad omnia in uſum eccleſiæ*, habetur; ſed alio referuntur, licet initio veſtium ſacerdotalium,

veteris

Digitized by Google

veteris ſcilicet teſtamenti, exemplum adducatur. In ſtatutis ſynodalibus eccleſiæ *Leodienſis* tit. V. de ſacramento altaris n. 1. præter benedictionis mentionem etiam forma decens ſacrarum veſtium præſcribitur, quod hic exſcribendum duximus: „Sacerdotes in veſtibus albis, mundis ſacerdotalibus & benedictis accedant ad miſſam celebrandam. Manipulus habeat in longitudine ſub brachio duos pedes, ſtola ad minus uſque ad paramentum albæ dependeat, vel prope extremitatem albæ. Alba & Caſula integra & non diſſuta obſervetur. Amictus ſæpe mundetur. Cingulum mundum & integrum & longum benedictum habeatur. Presbyteri ſub albis induti ſint ſuperpelliceis, vel tunica linea, quæ vulgariter *Saroth*, vel *Rochet* appellatur." *T. XIV. conc. edit. Venet. pag. 1118.*

IV. Nunc de ſingulis ſacris veſtibus aliqua diſtincte dicemus, ac primo de amictu, qui in miſſa *Illyriciana Ephot* dicitur, quod etiam in nonnullis Mſſ. *Alemannicis* deprehendi. Ord. I. *Rom.* nominat *Anagolaium id eſt amictum.* Anabolagium ſeu anaboladium græce ἀναβολάγιον, vel ἀναβολάδιον ab ἀναβάλλομαι. Ordo III. amabolagium, redundante uno apice, habet, id eſt amictum, quod dicitur humerale. Quo nomine hodie etiam venit, atque uſum hunc potiſſimum habet, ut collum & humeros tegat, licet ex ipſa oratione, dum induitur, palam ſit etiam ad caput tegendum eſſe: cuiusmodi nonnulla exempla affert De Vert & De Moleon in *itinere liturgico*, imprimis eccleſiæ *S. Mauricii Andegavenſis.* Et De Vert imaginem S. Firmini producit, quæ ad ſæculum VII. referatur, ſub altari maiori abbatiæ *S. Achillis* prope *Ambianum* repertam cum veſtibus ſacerdotalibus capite amictu obvoluto in forma ſtricti caputii, cui ſolent aptare amictum, qui caputia gerunt vel canonici, vel religioſi, quales laudatus De Vert exhibet. Atque hic paſſim ſenſum myſticum venantur ſcriptores medii ævi, adhucque ſcriptor ſæc. XV. *Alemannicus Gabriel* Biel: *Unde amictus, quo caput tegitur ſacerdotis, velamen ſignificat, quo perfidi Iudæi in domo* Caiphæ *Chriſti faciem velabant.* Amalarius tamen ad ſolum collum reſpicit: „Amictus (inquit) eſt primum veſtimentum noſtrum, quo collum undique cingimus: in collo namque vox eſt, ideoque per collum loquendi uſus exprimitur. Per amictum intelligimus cuſtodiam vocis." Rupertus *Tuitienſis* de amictu varium uſum notat: „Sacerdos in officio altaris, capitis ſui, ſcilicet Chriſti, cuius membrum eſt, perſonam gerit. Quidam amictu caput ſuum obnubit, donec ſuper os caſulæ illum revolvat, & velut caput, aut coronam illi coaptet." Ita exprimitur amictus monachorum veſtibus ſacerdotalibus indutorum S. Martini apud *Metas* ſub Carolo *Calvo*, ut habet

Amictus. — *Explic. T. II. p. 255.* — *p. 87.* — *Expoſit. canonis lect. XI.* — *De offic. eccleſ. lib. II. c. 17.* — *Lib. I. c. 19.*

Digitized by Google

habet Baluzius T. II. Capitul. p. 1276. *Io.* Ciampini Veter. monum. P. I. c. 26. p. 239. imaginem repræſentat ſedentis in tunica talari caſulaque ſuper induti: caput eius quodam integumento circumambitur, duos circulos ſive coronas referente: illud vero pro fanone habet, de quo mox plura. Defluit porro ex capite caputium, ſed, cum quo ex amictu reliquo cohæreat, definiri nequit. Confer mox dicta de *Cappis, Caputiis &c.*

Alba. V. Albæ caputium tribuit Durandus. Eſt vero linea corpori adſtricta, atque ad pedes uſque protenditur: cinguloque conſtringitur. Orationi, quæ adhibetur ad albam induendam, nonnunquam titulum præfixum reperi in mſſ. *Ad poderem*, & ita etiam apud ſcriptores medii ævi, qui nonnunquam S. Hieronymum citant: isque in epiſtola ad Fabiolam ſecundum veſtem ſacerdotalem tunicam ſeu poderem ex lino vocat. „Hæc autem (inquit) adhæret corpori, & tam arcta eſt, ſtrictis manicis, ut nulla omnino in veſte ſit ruga, & uſque ad crura deſcendat.“ Quod non omnino cum noſtris convenit, qualem etiam *Tullis* vidi, atque in Ruinarti *Itinere Alſatico* & *Lotharingico* notatur eadem in monaſterio S. Mansueti alba S. Gerardi ſæc. X. epiſcopi *Tullenſis*, noſtris fere ſimilis, niſi quod latiſſima eſt in inferiore parte, & ei aſſuta ſunt ad extremitates panni pretioſiſſimi fruſta quadratæ figuræ. Videtur etiam colligi ex S. Germani miſſæ expoſitione, manicas albæ aut non fuiſſe, aut non adeo ſtrictas, ut adhuc manualibus ſeu manicis *adinſtar armillarum* opus fuerit, ut iam ſupra recenſuimus *veſtimentum parvolum, quod non ſit in alio uſu, niſi ad frequentandum ſacrificium.* De quo mox: *Prohibet autem manica tonica, ne appareat vile veſtimentum, aut quocunque indignum tactum ſordium ſuper divina ſacrificia, quo manus immolantes diſcurrunt.* Sequitur: *Albas vero, quas Levitæ utuntur, ideo ſtatuerunt Patres, quia in veſtimento tincto non ſic apparet cito macula, quomodo in albo, & miniſter altaris ideo utitur, ut obſervet & caveat omnem maculam, & nullatenus veſtimenta miniſtrantium vel leviore tactu appareant ſordida, ſed candida ſint exterius veſte, interius mente. Sirico autem vellere fictur, quia Dominus ſacerdotibus ideo exinde habere indumenta mandavit, ut eorum veſtis ſpem reſurrectionis oſtenderet. Sirico enim de ligno per verme fictur. Vermis poſt mortem procedit in alate, & poſt occaſum & volatum figurans Chriſtum, qui ex ligno crucis quieſcens in ſepulchro tanquam vermis clauſus in ſacculo anguſto, ſurrexit de tumulo, & ad cœlos ſumſit volatum. Alterius vero velleris alba innocentiam tantum vitæ demonſtrat.* Hæc ideo exſcripſi, quod ſingularia ſint, quæ de ſerico & vellere interſeruntur; tunicisque potius vel ſuperpellicibus ſeu tunicis ſubtilibus miniſtrorum, quam noſtris albis conveniunt.

Ration. lib. III. c. 3. n. 3.

T. III. opp. poſthum. Mabill. p. 485.

T. V. Theſauri nov. anecd. p. 199. & 100.

VI.

VI. Ei rei lucem aliquam accendit, quod mox ſubditur in eadem expoſitione miſſæ, *Alba autem non conſtringitur cingulo, ſed ſuſpenſa tegit levitæ corpuſculum, quia omnis converſatio levitica in deſiderio cæleſtis patriæ a terrenis operibus debet eſſe ſuſpenſa, nec cingulo peccatorum conſtricta.* Aliis diſcutiendum relinquo, an hinc colligi poſſit aliud genus albæ miniſtrorum ritu *Gallicano*, quæ iuxta omnes veteres libros liturgicos cingulo ſeu zona præcingi ſolita eſt ritu etiam *Ambroſiano* & *Mozarabico*, cum quo vetus *Gallicanus* in multis congruit; eædem fere tamen orationes ad cingulum habentur ac in *Romanis* libris liturgicis etiam hodiernis. Zona vocatur in miſſa Illyrici, ubi mox ſequitur præcinctorium, alibi baltheum cum ſingulari prece. Cingulum.

VII. Manipulus, qui a miniſtris & presbyteris poſt cingulum ſumitur, olim, ut etiamnum in miſſa pontificali, ultimo loco ſumebatur poſt caſulam. Cuius rei cauſam commodam iuxta ſyſtema ſuum reddit De Vert, quod, cum caſula antiqua totum ambierit corpus, antea commodum uſum habere non potuerit, quam caſula complicata in brachiis fuerit, a) ſudarium iſtud ſeu mappula, quo nomine in ordinibus *Romanis* venit; apud Innocentium III. vero longe aliter ſumitur peculiari capite „de mappula, quæ portatur ſuper pontificem, quatuor baculis colligata. Propter quod (inquit) ipſi miniſtri mappularii nuncupantur.“ Quod in pontificali *Romano cremiale* vocatur, pontificibus ſedentibus ſuper genua poni ſolitum, mappulam etiam alicubi dici notat De Vert. Apud S. Gregorium mappulæ fit mentio, clericorum *Romanorum* ſingularis ornamenti, cum manipuli uſus promiſcuus fuerit etiamnum pueris chori communis in monaſterio *Cluniacenſi*, *S. Benigni Divionenſi*, & apud Lanfrancum, ut notat De Moleon in *itinere liturgico*, imo etiam ſanctimonialibus eius uſum fuiſſe obſervavit De Vert. In vita S. Gregorii Ioannes diaconus inſidias ſancto pontifici ſtructas memorans in publica proceſſione, „Cumque (inquit) magis ex planetatorum, mappulatorumque proceſſionibus magnum pontificem cognoviſſent, immiſſo dæmone tam fortiter eius equum vexari fecerunt, ut nunquam a ſeſſore, ſive a ſtratoribus teneri poſſe putaretur.“ Mappulæ nomen in miſſa Illyrici, & apud ſcriptores *Alemannicos* medii ævi reperitur, veluti apud Walafridum recenſetur dalmatica, alba, mappula, orarium, cingulum, ſandalia, caſula & pallium. Inter donaria pretioſa, quæ anno DCCCCVIII. Adelbero epiſcopus *Auguſtanus* unacum Meginberto *Sebonenſis* eccleſiæ antiſtite ad feſtum S. Galli accurrens in monaſterium eius nominis attulit, Anonymus apud Goldastum numerat *Palliolum etiam, caſulamque*

Mappula. Manipulus. T. III. p. 32. a Lib. II Myſter. miſſæ c. 7. T. IV. pag. 123. pag. 130. T. II. antiq. Aleman. p. 142.

a) Exemplum a *Cluniacenſibus* repetere potuit, qui, ut conſtat ex Miſſali an. 1733, non ita pridem communem hunc mutarunt uſum, nunc miſſæ pontificali proprium.

que pretioſi generis, *nec non & albam cum cingulo ſtolaque*, *ac mappula cunctis his auro perfectis*, *eidem applicuit aræ.* Solebant enim, ut etiamnum, eiusdem eſſe operis, ac caſula ſtolaque, ut ex noſtra antiqua mappula ſeu manipulo palam eſt, quem æri inciſum cum ſtola damus.
Lib. I. Rer. liturg. Unde eius figura antiqua apparet ſtrictior, ut etiam Card. Bona ex antiquis picturis notavit vix duos pollices excedentem cum fimbriis æqualiter defluentibus; ſunt vero in aliis duabus figuris noſtro more paululum latiores, prout intra Canonem ſacerdos in antiquiore noſtro ſacramentario ter repræſentatur, ac bis cum manipulo non in brachio, ſed inter digitos manus finiſtræ, unde veriſimiliter circa tempus communionis de-
T. II. Capitul. pag. 1277. poni conſueverunt. Apud Baluzium & De Vert monachi *S. Martini Metenſes* in habitu ſacerdotali repræſentantur cum manipulis eiusmodi, modo in dextra, modo in ſiniſtra, digitos inter, potiſſimum pollicem & indicem.

Fanon. VIII. In ordine precum peculiarium ſacerdotis ad miſſam, quem ex codice *San-Gallenſi* edimus, nihil de manipulo habetur, in alio autem codice poſt caſulam, *ad Fanonem* pariter, ac in ſimili ordine apud Mar-
De rit. eccl. in fol. T. I. p. 595. tenium ex codice circ. 700. annorum monaſterii S. Gregorii in valle *Gregoriana* diœceſis *Baſileenſis* præſcribitur hæc oratio: *Da mihi Domine ſenſum rectum*, *ut poſſim cantare laudem tuam*, in noſtro codice habetur, *ut poſſim implere laudem tuam.* Quæ oratio ad manipulum hoc loco ha-
De inſtitut. lib. I. c. 18. betur in *Salisburgenſi* Pontificali apud eundem Martenium. *Rhabano* Mauro quartum ſacerdotale indumentum eſt mappula ſive mantile, *quod vulgo Phanonem vocant*, *quod ob hoc tunc manibus tenetur*, *quando miſſæ officium agitur*, *ut paratos ad miniſterium menſæ Domini conſpiciat.* Quæ verba manipulum deſignant, uti etiam in admonitione ſynodali ſub nomine Leonis IV. *ut nullus cantet ſine amictu*, *alba*, *ſtola*, *fanone & ca-*
Geneal. dipl. T. I. p. 315. *ſula.* In actis monaſterii *Murenſis* apud P. Herrgott recenſentur LXX. albæ cum totidem humeralibus & cingulis, & decem ſtolæ cum favonibus, ſeu fanonibus, & adhuc XVI. favones ſine ſtolis. In ordine operis Dei mſc. ſæc. XII. de feſto Purificationis notatur: *In hac die neque fanones*, *neque cappæ alicui dantur*, *exceptis*, *qui in presbyterio famulantur*, *qui tantum infra miſſam fanonibus utuntur.* Fuit ergo alias alius etiam præter miniſterii altaris ſacerdotis & miniſtrorum altaris fanonum uſus, communis nempe omnium in quibusdam feſtivitatibus. Infra in eodem ordine de Dom. Palmarum: *Infra hanc miſſam fratres communiter albis induuntur*, *ſed absque fanonibus.* Paullo ante deſcripſimus fanonem capiti circumfuſum ex *Io.* Ciampinio, cui, omiſſis aliis explicationibus, fanon eſt velum variegatum, quo papa poſt albam ornatur, quando ſolemniter celebrat, & circa

ea collum, ac ſupra caput ad formam cuculli reflectitur, donec planeta
induatur. Affert de eo ornatu Innocentii III. lib. I. *de myſterio Miſſæ*
c. 13. teſtimonium, qui illud tamen *orale* vocat. Fanonis variam ſignifi-
cationem notavit Mabillonius in notis ad Eclogam Amalarii: „Ali- *T. II. Muſ.*
quando (inquit) pro ſudario, quod miniſtri ſacri gerebant, alii vocabant *It. p. 554.*
mappulas, quibus manipulus ſucceſſit. Aliquando pro velo, quod ſuper
pontificis caput ferebatur inſtar umbellæ ſupra p. 270. & pag. 281. ubi
mappa ſuper caput vocatur. Denique aliquando pro panno oblongo ad
offerendas recipiendasque oblationes, ut hoc loco.“ Nempe ubi dicitur:
„Cum fanonibus offerunt, quoniam legimus in paſſione Domini ſudarium
uſurpatum eſſe. Aliter quippe fanones de lino efficiuntur &c. In ord.
Rom. „Et offerunt cum fanonibus candidis primum maſculi &c.“ In ve-
teri expoſitione miſſæ apud Hittorpium: „Oblata denique corpus Chri- *P. II. p. 585.*
ſti deſignans non nudis manibus, ſed fanonibus multo labore ſtudiorum
candidis offertur.“ Idem etiam Muratorius de ritu *Ambroſiano* habet de *T. IV. an-*
ſenibus & anis decem offerre ſolitis. „Quum tempus (inquit) offertorii po- *tiq. Ital. p.*
ſcit, ex iis duo mares fanonibus, hoc eſt mappis candidis apte involuti acce- *854.*
dunt &c.“ In vita S. Wiboradæ *San-Gallenſis* apud Mabillonium ſæc.
V. Bened. hæc lego: „Fanonem, cum quo ſolita es offerre, omnia pura
& munda aqua lavare præcipias.“ Vocaturque in eadem vita *linteum ob-*
latitium. Huiusmodi *confanones* V. dictos puto, in laudatis actis *Muren-*
ſibus recenſitos cum II. offertoriolis. In expoſitione miſſæ apud Cassan- *In Liturg.*
drum aliter accipitur: „Quod autem diaconus calicem cum ſacerdote e- *p. 137.*
levans partem eius fanone tegit &c.“ Quod de manipulo accipi poteſt,
uti Martenius in *Itinere litter.* de eccleſia *Lugdunenſi* perhibet, ſubdiaco- *P. I. p. 238.*
num hodieque patenam nudam uſque ad orationem manipulo tenere, quod
apud nos velo fit, cui recte etiam fanonis nomen congruit, quod Cas- *Liturg. pag.*
sandro e *Germanico* ſumtum videtur, qui vela illa ex haſtilibus depen- *49.*
dentia ſeu ſypara, ut Tertullianus vocat, *Fahnen* appellant. Conſen-
tit Ducangius, atque ipſa forma fanonis, qualem T. I. *de Cantu & Mu-*
ſica ſacra ex rotulo bibl. *Barbarinæ* exhibemus Tab. III. hic Tab. VIII. n. 2.
ex collo ſeu humeris pendentem perſonæ, quæ ad dextrum papæ latus, vel-
ut agmen ducit fidelium oblationem facientium. Qua de re plura *de Can-*
tu & Muſ. ſac. lib. II. c. 2. p. 322. &c. Nota demum in ord. XIII. *Rom.*
p. 225. fanonem vocari *orale*, quod poſt cingulum ſumit ſummus pon-
tifex, velum ſupra caput reflectitur ad formam cuculli, donec induatur
planeta, qua induta replicatur ſuper humeros, & ante pectus. Obſerva ta-
men in ſequenti ord. XIV. auct. *I.* Gaietano nullam mentionem fieri fano-
nis inter veſtes pontificales ad celebrationem miſſæ, quæ recenſentur p.
293.

Digitized by Google

293. At in tit. decimo quinto *de comeſtione in Cœna Domini* pag. 487. *Et attende quod Papa, dum comedit, ſit paratus, ut dictum eſt ſupra, uſque ad dalmaticam incluſive, habens montum rubeum ad ſcapulas, fanonem ſive orale in capite & mitram aurifriſiatam ſuper fanonem, & anulum pretioſum non pontificalem in digito, & ſandalia in pedibus prout in miſſa demtis chirothecis, pallio & caſula.*

Orarium ſtola.

IX. Aliud eſt *orale*, quam *orarium*, quo ſtolam veteres deſignarunt. *Albertus* RUBENIUS lib. I. c. 13. de re veſtiaria vet. faſcias in ſtatuis togatis explicans humero ſiniſtro impoſitas, dextro ſubmiſſas, oraria exiſtimat, quibus olim ſenatores utebantur, quibusque oraria diaconorum ſimilia, quod ex conc. *Tolet.* IV. probat & HONORIO *Auguſtod.*, qui quidquid eſt rei, paucis explanat in *Gemma animæ* c. 204. de orario: *Primitus ſiniſtro humero imponitur, & trans cor in dextrum latus reflectitur.* Apud MACRUM in Hierolex. voce *Baculus* S. GREGORIUS M., & apud P. *Maurum* SARTI de veteri caſula diptycha p. 12. repræſentatur S. APOLLINARIS presbyter *Ravennatenſis* cum orario, ut videtur, quod ſuper caſulam utrique humero impoſitum, aliter ac ſacerdotes geſtant, ſcapulis non collo inſidet: quorum figuram, ornatum uſumque ſacrum & ſignificatum myſticum ex SIMEONE *Theſſalonicenſi* deſcribit BEVEREGIUS ad can. 22. conc. *Laodicenſis.* Quibus addi poſſunt Ephemerides *Græco-Moſchæ* æri inciſæ. *Latinorum* teſtimonia collegit *Hugo* MENARD. & *Ioannes* BONA. Unde palam fit, medii ævi ſcriptoribus mappulas fuiſſe: prout Io. Diaconus in vita S. GREGORII M. lib. II. c. 5. ſacerdotes planetatos & mappulatos appellat, paſſimque eo ornatu perinde ac diaconi in antiquis picturis & ſtatuis adumbrati cernuntur. *Rhabanus* MAURUS veſtimenta ſacerdotalia recenſens, „Quintum quoque eſt (inquit) quod orarium dicitur, licet hoc quidam ſtolam vocent. Hoc enim genere veſtis ſolummodo eis perſonis uti eſt conceſſum, quibus prædicandi officium delegatum. Bene etiam oratoribus Chriſti orarium habere convenit, quia cum indumentum eorum officio proprio concinat, & ipſi ſedulo ad verbi miniſterium cohortantur &c.“ *Walaf.* STRABO de rebus eccl. c. 10. *Primi ordines in eccleſia utuntur orariis, quia ad ipſos pertinet docendi officium.* Quo etiam auctor de divinis officiis ſub nomine ALCUINI, & alii alludunt; non inepte autem DE VERT ab ora derivat. Cardinalis BONA ſtolam a faſcia dictam putat, quæ veteris ſtolæ limbo aſſuta erat. Stola vero, ut poſt NONNIUM S. ISIDORUS advertit, veteribus dicta erat, quidquid corpus tegeret, eratque talaris veſtis. Sed hæc nihil ad nos. In expoſitione miſſæ *Gallicanæ S. Germani* apud MENARDUM

De inſtitut. Cler. lib. I. c. 19.

T. II. p. 325.

De Liturg. lib. I. c. 24.

T. V. Theſ. p. 100.

NARDUM

NARDUM ita habetur: „Stola autem, quam ſuper alba diaconus induit, ſignificat ſubtilitatis intelligentiam in divina myſteria, licet veteri (veteres) ſtola induentes gaudium ſolemnitatis ſe habere monſtrabant. Et pro hac cauſa in quadrageſima pro humiliatione non utetur. De MOLEON *pag. 92.* in *itinere liturgico* de eccleſia *S. Mauricii Andegavenſi* obſervat in miſſis quadrageſimæ dominicis & feriis diaconum ſupra ſtolam orarium habere, ſeu faſcem unius pedis latam, ut etiam apud nos mos eſt, ſed vice ſtolæ; ſiquidem hoc nomine ſtolam ab orario diſcriminare liceat. Sic legimus apud MABILLONIUM in vita S. LIVINI ep. & Mart., quem S. AUGUSTINUS *Anglorum* apoſtolus ſacerdotem conſecravit: *Eique caſulam purpuream auro gemmisque compoſite perornatam & ſtolam cum orario gemmis pretioſis auroque fulgido pertextam in ipſo die ordinationis ſuæ pro fœdere æternæ charitatis pius magiſter dilecto ſuo diſcipulo devoto amore contradidit.* Ubi notat MABILLONIUS: *Hic diſtinguit auctor inter ſtolam & orarium, quamquam utrumque apud ſcriptores eccleſiaſticos promiſue uſurpari ſolet.* Idem diſcrimen in hoc teſtimonio agnoſcit GEORGIUS, qui multa de orariis ac ſtolis erudite, ut alias, congerit. a)

Sac. II. Bened. p. 455.

X. Dum vero in veteribus monumentis occurrit mentio ſtolæ & manipuli cum tintinnabulis, ſeu campanulis argenteis; ea tintinnabula ſuo iudicio nihil aliud erant, quam filamenta illa argentea ſtolarum extremitatibus adſuta campanulæ inſtar, quæ hodie etiam in uſu ſunt. Sed aliquid amplius ac aliud teſtimonia illa præſeferunt: veluti quod ex vita S. MEINWERCI epiſcopi *Paderbornenſis* affertur, recenſenturque ſtolæ VII. monaſterio *Abdinghoffenſi* datæ, ex quibus una habuit XXVII. tintinnabula, alia XXI. In expoſitione brevi miſſæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM T. V. Theſ. Anecd. p. 99. myſtica etiam ratio tintinnabulorum in veſte ſacerdotali additur: *Palleum vero in paſcha cum tintinnabulis Euchariſtia velatus inſtar veteris teſtamenti, ubi tunica ſacerdotis plena tintinnabulis ſignans verba prædicationis oſtenditur. Leodii* in theſauro cathedralis eccleſiæ ſervantur adhuc caſulæ etiam & cappæ cum tintinabulis. Sed ad nos redeamus.

Cum tintinnabulis.

XI. In communi etiam uſu olim ſtolas ſeu oraria geſtata fuiſſe ſupra retulimus, videturque apud nos hoc presbyteris proprium fuiſſe iuxta canonem *Moguntinum* an. 813. *Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis*

Oraria habitu communi.

a) Singulare eſt, quod *Cluniacenſes* ſtolam collo demum aptarint, dum miniſter *Miſereatur &c.* poſt confeſſionem dicebat, ut ex præfat. cit. Miſſalis an. 1733. imp. conſtat. Confer mox dicta de *Fanone & Orario.*

Digitized by Google

riis propter differentiam ſacerdotii dignitatis. Quem etiam Burchardus ſuo decreto inſeruit cum alio eiusdem modi ex Conc. *Triburienſi*, quem ſupra recenſuimus. *De presbyteris, qui ſine orario occiduntur.* In *Hiſpania* eundem morem ſæc. VI. diaconis fuiſſe diſcimus ex conc. *Bracarenſi*: *Item placuit, ut quia in aliquantis huius provinciæ eccleſiis diacones abſconſis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre a ſubdiacono videantur: de cætero ſuperpoſito ſcapulæ (ſicut decet) utantur.* In conc. *Bracar.* an. 675. cavetur: *Ne ſacerdos ſine orario Miſſam audeat celebrare.* Forte hoc neglectum fuerat a ſacerdotibus, quod oraria etiam diaconis in communi eſſent habitu, ut hodie ſolis ſummis pontificibus. In degradatione Constantini P. accedens Maurianus ſubdiaconus orarium de eius collo abſtulit, ante pedes eius proiecit, & compages ipſius abſcidit.

Linea. Subtile.

XII. Inde vero videtur eſſe, quod in antiquiſſimis duobus ordinibus *Romanis* nulla ſtolæ vel orarii fiat mentio inter ſacras veſtes, quales hæ ordine (præter pallium & mappulam, quæ poſterius ſumuntur) recenſentur, dum præſcribitur quomodo *ſubdiaconi regionarii ſecundum ordinem ſuum accipiunt ipſa veſtimenta, alius lineam, alius cingulum, anagolagium, id eſt amictum, alius dalmaticam, & alius planetam, & ſic per ordinem induunt pontificem.* Editus ord. I. a Mabillonio habet lineam dalmaticam, uti etiam tertius, ubi primum orarium memoratur, atque linea dalmatica appellatur, quæ & alba. In quinto autem dalmatica minor nominatur, quæ apud auctores medii ævi tunica dicitur. Lineæ nomen ſimpliciter, ut in ordine a nobis edito habetur, occurrit in vita S. Cypriani a Pontio ſcripta: *Et cum ſe dalmatica exſpoliaſſet, & diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit.* Tunicæ autem uſum in ſacris S. Hieronymus indicat in epitaphio Nepotiani: *Apprehenſa avunculi manu, hanc* (inquit) *tunicam, qua utebar in myſterio Chriſti, mitte dilectiſſimo mihi ætate patri &c.* In Mſc. ordine operis Dei *S. Blaſii* ſæc. XIV. ſic habetur: *induitur ſacerdos alba de auro, & caſula ſimiliter, diaconus dalmatica, & duo ſubdiaconi tunicis.* In actis *Murenſibus*, apud P. Herrgott recenſentur X. caſulæ cum quinque dalmaticis, & ſeptem tunicæ ſubdiaconorum. Hæ alias ſubtiles ſunt vocatæ, atque de his intelligendus eſt Conradus in chronico *Moguntino* apud Urstisium: *Erat in caſulis, dalmaticis, ſubtilibus, & cappis ſericeis & purpureis auro & gemmis intertextis pretioſus & copioſus theſaurus.* Et apud Ekkehardum de caſibus S. Galli: „Præter caſulas ſericas, cappas & ſtolas alba eſt illa Philologiæ nuptiis auro inſignis: præter quæ dalmaticum & ſubtile pæne aures, quæ poſtmodum Immone abbate ſibi antiphonarium quendam

Script. Rer. Germ. pag. 567.

Gold. Rer. Alem. T. I, p. 43. *ad Senckenb. an.* 1730. *p.* 45. *a.*

dam petitum denegante, acutia ſua verſipelli reſumpſerat.“ Ekkehardus nimirum *Hadawigæ*, quæ prius donaverat, maritus iterum hæc abſtulit. Inter ſacras pontificales veſtes hæc tunicella, in miſſa Illyrici ſubtile appellatur. Et ita adhuc vocatur in pontificali *Moguntino* circ. 400. ann. ut a Martenio notatur: *Epiſcopus indutus dalmatica & ſubtili, vel tantum, ſi volet, alba &c.* De miniſtris vero cum ſacerdote in ordinario *Argentinenſi* apud eundem Martenium immutata una littera: *Et induantur albis indumentis caſulis dalmaticis, ſubſilibus.* Subtilis nomen paſſim in monumentis liturgicis reperi pro ſubdiaconorum ſacra ad altare veſte, a dalmatica diaconorum diſtincta. Utraque autem eſt etiam veſtis pontificalis. *Super hanc tunicam* (ſcilicet ſubtilem) *pontifex veſtit dalmaticam*, inquit Innoc. III. lib. I. de myſteriis miſſæ c. 40.

T. I. de rit. eccl. c. 22. p. 331. pag. 450.

XIII. De dalmaticarum origine in eccleſia inquirens P. Coustant. in decretum Eutychiano pontifici adſcriptum, ut quicunque fidelium martyrem ſepeliret, ſine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus ſepeliret, ex laudato Pontii in vita S. Cypriani loco ſibi perſuaſit uſum eius in eccleſia antiquiorem eſſe Damaso & Silvestro, cui hoc tribuit Anastasius, ut diaconi dalmaticis in eccleſia uterentur. Adducit antiquum auctorem quæſt. vet. & novi teſtam. apud Augustinum in append. T. III. c. 49. qui & dalmaticarum uſum epiſcoporum proprium eſſe, & a *Romanis* diaconis per arrogantiam uſurpatum eſſe notat, his verbis exprobrans: *Quaſi non hodie diaconi dalmaticis induantur ſicut epiſcopi. Walafridus* Strabo c. 24. de rebus eccleſ. perhibet, non ad omnes æque epiſcopos pertinuiſſe *Romani* pontificis indultum, cum ipſis hanc veſtem propriam conſtitueret. Refert deinde Coustantius, qua ratione ſub Symmacho, Gregorio M. & Zacharia pontificibus facultas induendi dalmaticas ſingulari privilegio indulta ſit aliarum quarundam eccleſiarum diaconis, quodque *novum non inconſulto & ſubito* permiſerit Gregorius M. Agit deinceps de colobiis, quorum loco Silvestrum P. dalmaticas induxiſſe etiam apud Cassandrum expoſitor ord. *Rom.* affirmet, quem ipſe Beroldum ſeu Bertholdum *Conſtantienſem* eſſe putat, ſic vero ille: „Pro candidiſſimo habitu Colobionem, quo vel apoſtoli vel apoſtolici uſi ſunt, cum culparetur a quibusdam nuditas brachiorum, conſtituit Silvester papa in eccleſiaſtico miniſterio ſacerdotes induere dalmaticas, id eſt tunicas manicatas & candidas, quales teſtatur Isidorus epiſcopus in Dalmatia primum contextas.“ Videtur huic rei illuſtrandæ facere, quod in expoſitione miſſæ S. Germani habetur apud Martenium de manualibus ſeu manicis ſacerdotum, ubi ait: *Probibet autem manica tu-*

Dalmaticæ. Rom. Pontif. epiſt. T. I. p. 300. ſeq.

Theſ. N. T. V. p. 99.

nica, ne appareat vile veſtimentum. Poterant ergo manicæ hæ colobiis manicarum inſtar eſſe uſu *Gallicano*, antequam promiſcuus eſſet dalmaticarum uſus „Colobia autem (inquit laudatus COUSTANTIUS) ſicut & dalmaticæ erant tunicæ talares. Hoc diſtabant dalmaticæ a tunicis & colobiis, quod dalmaticis amplæ erant manicæ, tunicis ſtrictæ, colobiis vel nullæ vel breves.“ RUBENIUS de re veſtiaria lib. I. c. 18. vult, diaconos anguſticlavias tunicas portaſſe ut equites & alii, presbyteros laticlavia colobia more ſenatorum, affertque HONORII *Auguſtod.* teſtimonium de miſſa lib. I. c. 232. Huiusmodi veſtitu etiam ſenatores uſi ſunt, ex quibus in eccleſiaſticum uſum transierunt. Iam antea c. 8. dalmaticas diaconorum in priſca eccleſia clavatas purpura fuiſſe, ex ISIDORO lib. XIX. Etym. c. 22. notaverat: quosque ISIDORUS clavos in dalmatica vocat, ab ALCUINO & REMIGIO virgulas, ab AMALARIO & HONORIO lineas, a IOANNE diacono Zonas, a RABANO tramites nominari, anguſtos ſcilicet clavos in dalmatica diaconorum, ut inferiores presbyteris cenſerentur, qui latum clavum portant. Quid vero latus, quid anguſtus clavus pluribus ediſſerit, quæ ad examen revocat laudatus *Maurus* SARTI monachorum *Camaldulenſium* decus *de veteri caſula diptycha.* Uſus dalmaticarum in *Alemannia* medio ævo ex dictis patet, tantum hic adhuc ex *Rhabano* MAURO earum deſcriptionem, quales ſuo tempore fuerint, afferre iuvat. „Hæc veſtis (inquit) in modum crucis facta, & paſſionis Domini indicium eſt. Habet quoque & purpureos tramites ipſa tunica, a ſummo uſque ad ima ante & retro deſcendens, nec non & per utramque manicam, ut admoneatur miniſter domini per habitus ſui ſpeciem, cuius muneris particeps eſt, ut per myſticam oblationem paſſionis dominicæ commemorationem agat, ut ipſe in eo fiat hoſtia Deo acceptabilis.“

pag. 101.

De inſtit. Cler. lib. I. c. 20.

Caſula. Planeta.

XIV. Sequitur Caſula ſeu Planeta, quo nomine præſertim in ordinibus *Romanis* venit, græce *phænolium*: unde diſputant, an pænula φαιλόνης S. PAULO memorata ad hoc genus veſtimenti pertineat. Pœnula prout apud RUBENIUM adumbratur de re veſtiaria lib. I. c. 6. p. 35. veſtis eſt ſcapularis, prout a nonnullis religioſis ordinibus uſu communi geſtatur, ſacro autem ſeu eccleſiaſtico a ſacrorum præſulibus: definit RUBENIUS ex SEDULIO: *Pœnula eſt lacerna in modum cucullæ.* Lacerna autem veſtimentum militare eſt, arcendis iniuriis cœli & tempeſtatum. Itaque pœnulæ erant, iuxta RUBENIUM, veſtes cucullatæ fuſci coloris cum clavis: lacernæ autem eadem forma erant, ſed ſine clavis, & varii coloris. Præterea hæc differentia fuiſſe videtur, quod pœnulæ ipſi cucullus adſutus erat, ſeparatus autem a lacerna. Nec abludunt iconiſmi pœnularum cum capitiis,

2. Tim. IV. 13.

pitiis, ad quos provocat ex Meursii hiſtoria *Metenſi Io. Bapt.* Donius in diſſertat. de utraque pœnula, ſacra nimirum & profana: eſtque illa eidem ſacrificalis cum *Græcorum* tum *Latinorum* habitus, quem Caſulam vocamus; græca autem appellatio ſatis reſpondet, tum etiam *Græcorum* opinio, quos inter Donius citat Ioannem *Chryſoſtomum* & Theophylactum, qui cum Hieronymo dial III. contra *Pelagianos* pœnulam Pauli intellexerunt vulgarem & communem eam pœnulam, quam adverſus pluviam & frigus olim geſtarunt. Cui quidem uſui longe accommodatiſſima veſtis illa eſſe potuit ea forma, qua adhuc hodieque apud *Græcos* conſpicitur, *rotunda ſcilicet*, ut verbis Donii utar, *æquatoque in ambitum gyro; non autem in duas ſemirotundas plagas, anteriorem ac poſteriorem diviſum; quam in ſpeciem paullatim degeneravit, dum ſacrificaturi onus illud brachiorum pertæſi & commoditati magis quam decori ſtudentes ſenſim ab utroque latere reſecant, donec cubito tenus pertingeret.*

Quod quidem uti alia fere, quæ deinceps in ſacro tantum uſu permanſerunt, olim commune fuerat veſtimentum, ut tamen ab antiquiſſimis temporibus ſingulari cultu & religione, quod ex dictis dicendisque patet, in ſacris fuerint adhibitæ veſtes. In expoſitione veteris liturgiæ *Gallicanæ* apud Martenium dicitur „caſula, quam amphibalum vocant, quod ſacerdos induetur tota unita, per Moysem legisferum inſtituta primitus demonſtratur. Iuſſit ergo Dominus fieri diſſimilatum veſtimentum, ut talem ſacerdos induerit, quale populus indui non auderetur.“ *Sulpitius* Severus de S. Martino narrat, in ſecretario ante miſſarum ſolemnia reſidentem pauperi propriam tunicam, quam ſub amphibalo induebat, donaſſe. In teſtamento S. Perpetuus, qui poſt ſæculum S. Martino in ſede *Turonenſi* ſucceſſerat, legat eccleſiæ de *Proillio* „ſimiliter calicem argenteum, & urceos argenteos, ſimiliter & Amalario ibidem presbytero capſulam unam communem de ſerico.“ Pro *caſulam*, ut vere legi debet, & emendat Ducangius, ſunt verba Georgii, qui ſubdit: „Quod autem huius teſtamenti verba præferunt, caſulam communem de ſerico, intelligo de planeta, quæ miniſtris eccleſiæ inferioribus epiſcopo inſerviebat; nam caſulæ epiſcoporum, præſertim in miſſa ſolemni, ornatiores erant, & in veteribus monumentis epiſcopales caſulæ nominantur.“ Quam in rem teſtamentum Riculphi epiſcopi *Helenenſis* an. 915. citat, qui reliquit eccleſiæ ſuæ caſulas epiſcopales optimas tres, unam dioprasiam, & alias duas de orodonas. S. Bonifacius *Germaniæ* apoſtolus ad Danielem epiſcopum ſcribit: „Parva munuſcula propter indicium puræ charitatis transmitto vobis, id eſt caſulam non holoſericam, ſed caprina lanugine mixtam, & villoſam ad tergendos pedes dilectionis veſtræ.“ Licet ergo

Theſaur. nov. Anecd. T. V. p. 99.

Dial. II. de vita S. Martini n. 1. & 2.

T. V. Spicil. p. 106.

De Lit. Rom. Pont. lib. I. c. 24.

Epiſt. 3.

ὁλοσηρικὴ, id eſt, tota ſerica non fuerit caſula, ex ſerico tamen etiam compoſita idonea eſſe poterat miniſterio ſacro, accommodata forte pro hyeme ad frigus pellendum, tegendosque pedes; ita enim legendum iam alii monuerunt, & aperta ratio ſuadet. Cæterum non nego tempore S. Bonifacii adhuc communi in uſu fuiſſe caſulas, ſed tamen perſonis Deo ſacratis. Sic enim in ſynodo *Germanica* ſub Carlomanno an. 742. congregata ex *Alemannicis* etiam epiſcopis, præſide S. Bonifacio archiepiſcopo, habetur: „Decernimus quoque, ut presbyteri, vel diaconi non ſagis laicorum more, ſed caſulis utantur, ritu ſervorum Dei.

Caſulæ antiqua forma paſſim ſervata. *An.* 1724. *p.* 153.

XV. In monaſterio *Stabulenſi*, ut in ſecundo *Itinere litterario* perhibet Martenius, adhuc ſervatur caſula, ſtola, manipulus, cappa, ſandalia, pecten & cuculla S. Remacli. Cucullam tabula ænea expreſſit laudatus Martenius, quæ ipſa formam habet caſularum antiquarum cum caputio, refertque quod apud Isidorum habetur in lib. Etymolog. *Caſula eſt veſtis cucullata per diminutionem a caſa, quod totum hominem tegat.* Et Theodemarus in epiſt. ad Carolum M. *Cucullam nos eſſe dicimus, quam alio nomine caſulam dicimus.* Animadvertit Donius in diſſert. de utraque pœnula, eius ſpeciem, quæ capitium adiectum habet in tabula tertia cœmeterii Pontiani apud Bosium in *Roma* ſubterranea, ubi B. Vincentii imago eam geſtantis conſpicitur. Pertinet quoque hoc capitis tegumentum ad argumentum Donii, uſumque capitii, ſeu cucullæ ad ventum, frigus, pluviamque arcendam, de quo Muratorius diſſert. XXV. T. II. antiq. *Ital.* medii ævi p. 425. &c. tam profano, quam etiam eccleſiaſtico extra eccleſiam, qualis apud monachos cucullatos perſeverat, de quo nobis nunc ſermo non eſt, ſed de ſacris tantum caſulis antiquis.

T. II. Explicat. des ceremon. pag. 342-344.

Lib. I. de inſtit. Cleric. c. 21.

Similem caſulam in theſauro eccleſiæ *Meldenſis* vidimus, de qua & aliis ſimilibus mentionem facit De Vert. Qui ibidem exempla profert de caſulis in uſu ſervorum Dei. In eo, quod de etymologia caſulæ ab eius forma ex Isidoro retulimus, conſentiunt ſcriptores liturgici medii ævi, atque inter hos *Rhabanus* Maurus, *Septimum*, ait, *ſacerdotale indumentum eſt, quam caſulam vocant, dicta eſt autem per diminutionem a Caſa, eoquod totum hominem tegat, quaſi minor caſa.* In indiculo ſuperſtitionum & paganiarum, qui ad capitulare II. Karlomanni, datum anno Chriſti DCCXLIII. apud Liptinas annectitur IV. eſt *De Caſulis id eſt fanis.* Quod non indumenti genus, ſed ipſum diminutivum caſæ pro fano exiſtimandum eſt. Eo pertinet, quod legitur in pœnitentiali S. Columbani: „Si quis autem laicus manducaverit iuxta fana, id eſt, poſtquam ſacerdos illi prædicavit, quod ſacrilegium hoc erat &c.“ Et Cumeanus: „Si quis ad fanum communicaverit.“

T. I. Capit. p. 150.

Cap 36.

Sed

Sed inſtitutum proſequor de noſtra in ſacro miniſterio caſula. Hæc iuxta mox laudatum RHABANUM ſupremum omnium indumentorum eſt, & cætera omnia per ſuum munimen tegit & ſervat. In expoſitione veteris liturgiæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM dicitur *tota unita.* Et additur: „Ideo ſine manicas, quia ſacerdos potius benedicit, quam miniſtrat. Ideo unita prinſecus, non ſciſſa, non aperta.“ Qua ratione autem uſui manuum coaptata ſit explicat INNOCENTIUS III. „Cum unica ſit & integra, extenſione manuum in anteriorem & poſteriorem partem quodammodo dividitur.“ Et HONORIUS *Auguſtodunenſis*: „Hæc veſtis planeta (quod error ſonat) vocatur, eoquod errabundus limbus eius utrinque in brachia ſublevatur. Hæc in duobus locis, ſcilicet in pectore, & inter humeros duplicatur: in duobus locis, videlicet in utroque brachio triplicatur.“ Hoc eſt, quod ordines *Romani* planetam appellant revolutam. Atque planetam ſeu caſulam cumprimis ſpectant illa verba: „Componant veſtimenta eius, ut bene ſedeat. Noviſſime autem, quem voluerit domnus pontifex de diaconibus, cui ipſe iuſſerit, ſumit de manu ſubdiaconi pallium, & induit ſuper pontificem, & configit eum cum acubus in planeta ante & retro.“ In hiſtoria *Antiſiodorenſium* epiſcoporum recenſetur apud DUCANGIUM „Caſula coloris ætherii, phrygio palmum habente, ſuperhumeralis & rationalis effigiem ad modum pallii archiepiſcopalis honorabiliter prætendebat.“ In *itinere litterario* MABILLONII & RUINARTI per *Alſatiam* & *Lotharingiam* memoratur eiusmodi caſula formæ antiquæ, id eſt plane rotunda. „Duplex eſt ab ea parte, quæ collo immittitur, ad infimum uſque faſcia acu facta, una ſcilicet ſupra pectus, altera vero in dorſo. In anteriore tribus circiter digitis lata, repræſentatur Chriſtus &c. Poſterior faſcia uno ſemidigito ſtrictior eſt. Hanc caſulam a LEONE IX. qui veterem baſilicam dedicaverat, monaſterio donatam fuiſſe traditione creditur. Altera eſt non minus antiqua & eiusdem formæ, quam a CAROLO *magno* datam fuiſſe ferunt.“ Plures eiusmodi caſulas antiquas adhuc ſuperſtites memorat MARTENIUS in *itinere litterario*, imprimis autem DE MOLEON in *itinere liturgico.* Et DE VERT adhuc innumeras ſupereſſe dicit, quarum figuram exhibet, noſque etiam ex noſtro *S. Blaſii* theſauro, in quibus ipſis complures ſunt imagines ſacerdotum & epiſcoporum caſulis indutorum, ſed ſine faſciis per modum *rationalis*, quem defectum aliunde ſupplevimus ectypo epiſcopi ad eccleſiæ dedicationem procedentis ex veteri libro liturgico: in imagine item papæ, quam ex opere *de Cantu & Muſica ſacra* huc etiam applicavimus; S. MARTINI item ex codice *Weingartenſi.* Alias eiusmodi caſularum iconas, quales in uſu erant mille ducentis abhinc annis, ut habetur apud GEORGIUM ex muſæo *Raven-*

Theſ. nov. Anecd. T. P. 99.

Myſter. Miſſæ lib. I. c. 42.

Gemma an. lib. I. c. 227.

Opp. Mabill. poſth. T. III. pag. 477.

pag. 95. 96. 173. 236. 378. 436. 449.

Explic. de cerem. T. II. p. 344.

Tabb. VI. & VII. n. I. T. VIII. n. 2. & 3.

De Liturg. ſum. Pont. lib. I. c. 24.

Ravennate, IUSTINIANO imperante in fornice aræ maximæ eccleſiæ *Ravennatis* S. VITALIS poſita, edidere *Hieronymus* RUBEUS in patria hiſtoria *Ravennate*, NICOLAUS *Alemannus* in notis ad hiſtoriam arcanam PROCOPII, & ex eo OCTAVIUS *Ferrarius* in Analectis de re veſtiaria, ac iterum CANGIUS in hiſtoria *Byzantina*, IOANNES *Ciampinus* Vet. Monument. muſiv. T. II. c. 9. tab. 22. ex pictura S. GREGORII, in monaſterio *S. Andreæ ad clivum Scauri* olim extante Cardinalis *Fred.* BORROMÆUS ſupra citatus, Cardinalis BARONIUS ad an. 604. & *Angelus* ROCCA in peculiari diſquiſitione de S. GREGORII eiusque parentum imaginibus. Extant etiam antiquiſſimæ laciniæ cum imaginibus epiſcoporum caſulæ *Veronenſis* incomparabile antiquitatis cimelium. Eam illuſtravit ſæpe laudatus abbas *Maurus* SARTI, neque tamen ſemper olim fuiſſe putat eandem integram circulatim ad pedes uſque demiſſam. „Refragantur enim (inquit c. 2.) quædam antiquæ imagines, ac præſertim illa IOANNIS XII. quæ olim teſſellato opere picta erat in *Lateranenſi* oratorio S. THOMÆ. Eam multi edidere, atque imprimis diligentiſſimus CIAMPINIUS de ſacris Ædif. a CONSTANTINO M. conſtructis p. 14. tab. IV. Cernuntur ibi plures ſacri miniſtri, pontificem induentes caſula gammadia, non equidem rotunda, ſed utrimque acuminata. In antiquo etiam muſivo *Ravennatenſis* eccleſiæ *S. Martini in cælo aureo*, ſeu *S. Apollinaris novi*, quod circa annum 570. concinnatum dicitur, quidam ſacri miniſtri cernuntur, caſulam utriusque ad latera acciſam induti, ad eum fere modum, quo nunc eſt in uſu, multo tamen longiorem, & inferne acuminatam. Tales etiam ſunt caſulæ, quibus induti ſunt apoſtolorum principes PETRUS & PAULUS, & S. LAURENTIUS in vitro antiquo apud BONAROTTIUM. Adde caſulam S. BONIFACII *Moguntini*, cuius pervetuſtam imaginem in antiquitatibus *Fuldenſibus* edidit BROWERUS. Ea eſt in ſigillo HENRICI abbatis *Fuldenſis* expreſſa, quod videre etiam licet in *Thuringia ſacra* p. 477. Caſulis vero brevioribus, quæque vix ad mediam tibiam defluunt, indutos *Ravennates* epiſcopos MAXIMIANUM &c. exhibent nobis muſiva integerrima in templo *S. Vitalis*, & noſtro *Claſſenſi*, quæ facta dicuntur haud multo poſt medium ſæculum VI.“ Hæc ille, cui nec caſula, in qua ibidem S. APOLLINAREM exhibet, tantæ longitudinis eſſe videtur, ut ad pedes uſque defluere potuerit; ſecus ac mihi pace viri amiciſſimi videtur, ex imaginibus veteribus non omnino rem decidi poſſe perinde ac ex veſtibus ipſis eiusmodi, quas paſſim reperi non uſquequaque talares, ſed quis prætenſam antiquitatem præſtet? Antiquior ex noſtris, ut coniicitur ex ſimpliciore mitræ epiſcopalis forma (de qua paullo poſt plurima dicemus) inter Sanctorum imagines S. UDALRICUM, qui anno 995. & S. CONRADUM, qui an. 1125. Sanctorum albo adſcri-

Vet. mon. muſiv. T. II. c. 9. tab. 22.

Digitized by Google

adſcriptus eſt, repræſentat; alteram eiusdem cum cappa operis & ætatis non excedere ſæc. XIII. ex ſcuti etiam gentilitii forma, quæ ibi comparet, colligere eſt. Inde vero nihil de earum pretio cadit, quin accedit potius, quod ſequiore etiam ævo tanti operis præſtantia fuerit, ac tam longo tempore vetus retenta ſit forma eadem omnino.

XVI. *Senis* ſervari caſulam eiusmodi teſtatur *De* Moleon S. Thomæ *Cantuarienſis* (qui vixit ſæc. XII.) qua in eius feſto miſſa celebretur. Et Martenius, cui Edmundi nomen, pro ſingulari gratia habuit potuiſſe ſe in feſto patroni ſui Antisiodori in caſula eiusmodi, quæ fuit S. Edmundi, miſſam celebrare, qui perhibet ſimiles caſulas in abbatia *Orvalenſi*, & in eccleſia *Bellovacenſi* in cæna Domini ad conſecrationem chryſmatis, & in Paraſceve uſitatas fuiſſe. Quod *De* Moleon refert fieri in eadem Paraſceve in eccleſia *S. Mauricii Andegavenſi*, ubi univerſim dicit caſulas adhuc amplas eſſe. Teſtatur porro genealogiam Chriſti ſolemniter cani in antiquis caſulis in Natali Domini, & Epiphania in eccleſia B. V. *Rothomagenſi*. Pariter dicit in ea eccleſia, uti nonnullis aliis etiam, tam amplas eſſe caſulas, ut brachia tegant presbyteri, adducitque ſtatutum Ritualis *Rothomagenſis*, quod referre operæ pretium eſt: *Sacrarum veſtium ea forma ſervetur, quam Patrum inſtitutio, & cathedralis eccleſiæ veneranda præſcribit antiquitas, videlicet ut caſulæ ſeu planetæ in tantam hinc inde amplitudinem extendantur, ut brachia tota ſaltem obtegant; ideoque ex commoda & plicabili materia fiant, ut facile per fimbrias levari poſſint, nec celebrantem impediant.* Hinc & in noſtris etiamnum miſſalibus rubrica: *Miniſter manu ſiniſtra elevat fimbrias poſteriores planetæ, ne ipſum celebrantem impediat in elevatione brachiorum.* In cerimoniali epiſcoporum præſcribitur diaconis & ſubdiaconis: *Induitur ab iisdem planeta, quæ hinc inde ſuper brachia aptatur, & revolvitur diligenter, ne illum impediat.* Notat Georgius de liturg. *Rom.* pont. lib. I. c. 24. in ſepulchralibus S. R. E. Cardinalium, & epiſcoporum imaginibus a XIV. ſæc. ad XVI. vita functorum, quæ in multis eccleſiis urbis viſuntur, plicas aliquot ad brachia apparere, ex quibus agnoſcitur, parumper planetas fuiſſe decurtatas. Id advertas in pontificali *Rom.* edito *Venetiis* apud *Iuntas* 1572. ſi ſpectas imagines ligno ſculptas. Caſula antiqua ex toto conſpicua eſt in fronte explicationis Miſſæ Hugonis Cardinalis impr. in *Oppenheym* per *Ioan.* Kobel 1515. In expoſitione Canonis *Gabr.* Biel, qui mortuus eſt 1495. Planetæ antiquo more deſcribuntur: *Planeta, qua corpus ſacerdotis contegitur.* Et paullo poſt: *Caſula hæc eſt unica, integra, undique clauſa:*

Quousque in uſu hodieque alicubi.

Voyage liturg. p. 173.

Voy. litter. P. I. p. 57. *P. II. p.* 149. *Ib. p.* 156. *p.* 378.

Lib. II. c. 8. §. 19.

Lect. XI. p. 60.

Lect. XII. p. 66.

Et poſtea: *Ultimum veſtimentum eſt planeta ſive caſula: quæ quia ſuprema, rotunda, lata, cætera omnia tegit, & manuum elevatione dividitur.* *Wilh.* LINDANUS, qui obiit 1588. & ex eo *Steph.* DURANTUS, qui circa finem eiusdem ſæculi de ritibus eccl. opus GREGORIO XIV. dedicavit, ab aliquot ſæculis decurtari queritur caſulas: *Sane noſtra ætate (inquit) ac ſuperioribus aliquot ſæculis caſula ab utraque parte conciſa ante & retro ſine errore ullo producitur uſque ad talos, adeoque acciſa eſt, atque aliam prope in ſpeciem deformata, ut ſi cum illa priſca, unde defluxit, atque degeneravit, componatur, vix ſuum tueatur nomen. Sine errore* dicit, quod, ut vidimus, planetam ab errore πλανήτην deduxerint. Citat LINDANUM *Maurus* SARTI, quem paullo ante audivimus non undequaque caſulas antiquas talares admiſiſſe, quales tamen formam ampliſſimam ut plurimum ſervaſſe largitur iis etiam ſæculis, quæ corruptiſſima ſolemus appellare. Iterum, de fatis immutationeque caſularum agens, addit, facile eſſe id ipſum cognoſcere ex picturis & ſanctorum epiſcoporum imaginibus ſuperiorum temporum, ac præſertim ſæculi XIV. XV. & XVI. inter ſe collatis, quæ paſſim occurrunt, quæque etiam oſtendunt, quibus veluti gradibus veteres caſulæ ampliſſimæ decreſcentes ad hanc noſtrorum temporum exiguitatem pervenerint.

Panopl. Evang. lib. IV. c. 56.

Cappa. Pluviale.

XVII. Supra mentionem fecimus de caſulis cum cappis ſeu caputiis. Aliqua item annotavimus de uſu eorum primigenio profano ad arcendam tempeſtatum intemperiem, unde etiam pluvialis appellationem ad nos uſque perſeveraſſe exiſtimem in cappa, quæ veterem formam talarem ſervat, uſui ſacro deputata, atque a caputio cappa appellata. Eſtque inſignis locus GREGORII *Turonenſis* de caſula S. NICETII epiſcopi *Lugdunenſis*, ubi de eius anteceſſore PRISCO ſic loquitur: „Et quia novimus PRISCUM epiſcopum huic fuiſſe adverſum, diacono cuidam huius caſulam tribuit. Erat autem valida, eoquod & ipſe vir Dei robuſto fuiſſet corpore. Cappa autem huius indumenti ita dilatata erat, atque conſuta, ut ſolent in illis candidis fieri, quæ per paſchalia feſta ſacerdotum humeris imponuntur.“ Ita locum hunc reſtituit in nova editione S. GREGORII *Turon.* RUINARTUS, cum in prioribus *capſa* legeretur, quam lectionem licet MABILLONIUS retinuerit, rem tamen agnovit: „Diaconus (inquit) cui PRISCUS epiſcopus dederat, ea promiſcue indutus abſque religione procedens, deciſo cucullo, tegumen ex illo pedibus aptavit. Erat proinde *capſa* illud genus indumenti, quod modo cappam appellamus: cuius pars poſterior ex humeris dependens pro cucullo quondam erat ad caput operiendum, qualis eſt cappa ſancti AUDOMARI epiſcopi, in ſancti *Bertini* mona-

Lib. de vitis PP. c. 8.

De liturg. Gall. lib I. c. 7. n. 2.

Digitized by Google

monaſterio hactenus aſſervata. Caſulam proceſſoriam vocat Cyprianus epiſcopus *Tolonenſis* in libro de Vita Cæsarii epiſcopi *Arelatenſis* num. 23. qui hanc caſulam albamque paſchalem pauperi cuidam largitus eſt.“ Atque hinc pluvialia dicta fuiſſe cappas eiuscemodi exiſtimo. In concilio *Trevirenſi* an. 1238. ſacerdotibus præcipitur: „Quando ad infirmos vadunt cum Euchariſtia ſimiliter camiſiam habeant, vel ſuperpellicium, vel cappam choralem, & ſi neceſſe fuerit, cooperiant ſe cappa pluviali non manicata, tamen ipſam deponant, cum venerint ad infirmum.“ Quod nomen occurrit in Vita S. Oddonis *Cluniac.* de S. Martino in *pallio pluviali* apparente; quod eſſe poterat ex clericali, vel etiam laicali, aut monaſtico uſu, qualem alibi Mabillonius diſtinguit, atque monachalem imprimis contra Peiratium & Cointium vindicat. Quo pertinet, quod in *Aquisgranenſi* conventu habetur: „Ut monachi cappas diſconſultas (*diſconſutas*) præter villoſas non habeant.“ Quo tamen haud referendum, quod in conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* apud P. Herrgott lib. II. cap. 50. habetur: „Si quælibet perſona cum proceſſione ſuſcipitur, fratres omnes induuntur albis, & niſi a domno abbate præcipiatur, nemo unquam, excepto rege, papa, & ipſo patre monaſterii in cappis ſuſcipitur.“ Cappæ hic eccleſiaſticæ intelliguntur, quarum erat ſemper frequens uſus tum in proceſſionibus cum reliquo etiam in officio divino, ac celebratione miſſæ in præcipuis feſtis, uti paſſim exempla proſtant apud laudatum P. Herrgott in *veteri diſciplina monaſtica*, atque etiamnum apud nos feſta quatuor capparum ſervantur præcipua, quibus invitatorium a quatuor cappa indutis canitur. Et in mſc. ordine operis Dei ſæc. XIV, qui adhuc ſæc. XVI. erat in uſu, id notatur quoad celebrationem miſſæ e. g. in feſto S. Ioannis Evang. ad miſſam *Seniores caſulis cæteri cappis induti* ſiſtuntur. Et Rupertus *Tuitienſis* abbas: „Cappas quoque (inquit) in maioribus feſtis ſuperinduimus, ut amplius in Domino gloriemur. . . Quæ cappæ bene ab inferiore parte patulæ ſunt, & omnino præter ſolam neceſſariam fibulam inconſutæ. . . . *Fimbriis* quoque ſubterornatæ ſunt.“ Illuſtravimus rem hanc in opere *de Cantu & Muſica ſacra* etiam ex ſupplemento Concilii *Germ.* T. IV. p. 641. ubi in actis Concilii *Trident.* anni 1336. *de regimine chori in ſolempnibus & feſtivis diebus cappitorum* fit mentio, id eſt *capatorum* a cappis choralibus. Formam antiquæ cappæ paris operis ac caſula eſt, damus, qualis in noſtro monaſterio ſervata cum caputio ſeu cappa, unde nomen inditum habet; qualesque De Moleon in *itinere liturgico* paſſim etiamnum uſitatas perhibet, velut in eccleſia *S. Mauricii Andegavis*, *S. Martini Turonis*, *S. Stephani Senis*, *B. V. Mariæ Rotomagi*. Vidi paſſim in monaſteriis *Galliæ* inſignem apparatum cap-

T. III. Conc. Germ. pag. 559.

Præfat. I. in ſæc. IV. Bened. n. 96.

T. II. Conc. Germ. p. 6.

De vet. diſc. monaſt. p. 538.

Lib. II. de div. offic. c. 24.

Tab. VIII. n. 1.

p. 80. 125. 162. 179.


Digitized by Google

parum veteri more in præcipuis feſtis præſertim cantorum, quorum hic ſemper fuit ornatus.

Sandalia. Pecten. Caligæ.

XVIII. Ordo nos ducit ad quædam etiam dicenda de pontificalibus ornamentis. Initium a ſandaliis ſeu calceis facimus, a *Græco* σανδάλιον ſumta denominatione ad ſingulare aliquod calceamenti genus, ornatui in eccleſiaſtico miniſterio deſervientis. Quale in iconiſmo damus, prout caſu in ædibus parochialibus *cellæ* inferioris in inſula *Augiæ divitis* reperimus. Ubi in medio abſidis ſepulchrum B. Eginonis epiſcopi *Veronenſis*, qui obiit an. 802. habetur, unde haud dubie extracta fuerunt. *Lib. XVIII. n. 62.* Uti alia etiam proſtant exempla, veluti in annalibus *Benedict.* apud Mabillonium in detectione corporis S. Cuthberti, ubi præter pallium dalmaticam ex purpura, & linteamina, quibus corpus involutum erat, invenerunt, ſicones ſeu calceamenta, pectinem eburneum, forcipes, altare argenteum, corporalia cum patena & calicem. Pecten S. Udalrici cum eius corpore repertus etiamnum ſervatur apud *S. Udalricum Auguſtæ.* De pectine in ſacro uſu aggregato lege ſis teſtimonia apud *Rob.* De Sala in lib. I. c. 25. *Rer. liturg.* Card. Bona T. II. p. 312. Monaſtic. *Angl.* T. III. p. 314. Sandalia (de quibus hic agitur) a nobis reperta, ærique incidi curata, componuntur uno ex corio abſque elevatiori ſolea, cuiusmodi nos calci pedum ſubiicimus, coriumque molle eſt, ubique ſibi ſimile, colore, uti videtur, puniceo. Tab. IX.

Conveniunt maiori ex parte calceis illis, qui inter opera editionis novæ S. Gregorii M. T. IV. p. 326. viſuntur S. Silveſtri I. S. Martini I. & Honorii I. apud Macrum in Hierolex. voce *Mitra* Gelasii II., qui cruce ſunt ſignati, ut hodieque mos eſt pontifici; ſic vero comparet etiam S. Apollinaris in effigie, quam æri inciſam ab abb. *Mauro* Sarti *de veteri caſula diptycha* paullo ante notavimus. Noſtra, quæ repræſentamus ſandalia, magis accedunt Honorii I. cum compagis ex eodem corio, qui quidem plures ac longiores ſunt in Honorii I. calceis quam in noſtro ſchemate, deſcriptionique reſpondent Honorii *Auguſtod.* de *gemma animæ* lib. I. c. 12. *Eſt autem genus calceamenti inciſi, quo pes partim tegitur, partim nudus cernitur.* Idem ſandalia hæc clericorum, quæ a compagis ſenatorum fluxerint, accurate deſcribit, ut iam Rubenius notavit etiam locum Amalarii lib. II. de officiis capp. 18. & 25. „Quia (inquit primo loco) usque ad pedes Beda pervenit diſſerendo de lineis veſtibus, congruum eſt, ut noſmetipſi abſolvamus de ſandaliis, ſive alio nomine compolis (l. compagis) qui ſuperſunt in pedibus.“ Compagi nominantur etiam in Ordine *Rom.* V. nam in prioribus ordinibus nihil de hoc pedum ornamento legitur.



Digitized by Google

tur. Amalarius & Honorius intrinſecus album, extrinſecus nigrum corium notant, quod illuſtrat Rubenius lib. II. c. 5. ex donatione Constantini, in qua id privilegii clericis *Romanis* tribuitur, ut calceis ſenatoriis utantur, candido linteamine illuſtratis. σανδάλια λευκὰ δι ὀθονίων, cuius rei nihil cernitur in noſtris. Carent etiam ſoleis: quæ olim etiam ex lineo erant, ut explicat Muratorius diſſert. XXV. T. II. antiq. *Ital.* unde ſocci dici poſſunt vernacula etiam noſtra dialecto. Apud Ducangium h. v. ex ordine S. Victoris *Paris.* notantur Calceamenta id eſt caligæ ſocci & ſubtalares, *Rhabano* Mauro etiam ſolci dicuntur, qui dum (Lib. I. de inſt. Cler. c. 22.) dicit (*ſicut enim ſandalia partem pedis inopertam relinquunt*) non de ea parte pedis loquitur, quam etiam caligæ in ſacro uſu tegunt ſeu tibialia, quæ uſu profano *Bainbergæ* dictæ in capitulari Dagoberti, (T. I. p. 37. apud Baluz.) Lindenbrogius ocreas, id eſt, arma crurum, Spelmannus munimenta tibialia vocat. In theſauro eccleſiæ *Moguntinæ* Conradus apud Urstissum ſcript. Rer. *Germ.* p. 568. notat *Caligas octo, & tot ſandalia.* Innocentius III. nomina diſtinguit, ac rem ipſam: *Inter hæc* (inquit) *pedes pontificis, in præparatione evangelii pacis caligis & ſandaliis calceantur.* Prius autem caligis induitur uſque ad genua protenſis, ibique conſtrictis. De ſandaliis ita iam antea expoſuerat, *ſandalia vero de ſubtus integram habent ſoleam, deſuper autem corium feneſtratum.* Et mox: *Quod autem ſandalia quibusdam locis aperta, quibusdam clauſa ſunt &c.* Quod etiam noſtris ſandaliis congruit, pariter ac illud, quod habet Rupertus *Tuitienſis*: *Per lingulas, quibus ipſa pedibus ſandalia conſtringuntur, id ipſum accipimus, quod Ioannes baptiſta per corrigiam calceamenti ſignaſſe probatur.* Et Amalarius. (De off. lib. II. c. 25.) *Epiſcopus habet ligaturam in ſuis ſandaliis, quam non habet presbyter. Epiſcopi eſt huc illucque diſcurrere per parochiam ad regendam plebem: ne forte cadant de pedibus, ligata ſunt.* Agit etiam deinceps de diaconorum & ſubdiaconorum ſandaliis. Apud laudatum Rubenium citatur Papias, cui *compagi calceamenti genus ſunt, quo utebantur diaconi Romani, vel quibus a pontifice conceſſum eſt.* Quo privilegio *Meſſinenſes* diaconos uſos ex S. Gregorii regeſto idem adnotat. Quod ceu ſingulare privilegium more *Romano* S. Adalberto archiepiſcopo *Magdeburgenſi* an. 968. a Ioanne XIII. P. indultum legitur: (T. II. Conc. Germ. pag. 642.) „Cæterum more *Romanæ* eccleſiæ, tuam duodecim presbyteros, & ſeptem diaconos, & viginti quatuor ſubdiaconos cardinales, qui ſandaliis & liſmis utantur habere volumus.“ In collectione Ansegisi abbatis & Benedicti Levitæ id (Lib. V. c. 371.) indiſcriminatim presbyteris etiam præcipitur: *Unus quisque presbyter miſſam ordine Romano cum ſandaliis celebret.* Nihil de ſandaliis habetur in miſſa Illyrici, in Mſc. autem *Salisburgenſi* apud Martenium hoc epi- (T. I. de rit. eccl. c. 4. a. 12. p. 554.)

 ſcopi

ſcopi proprium eſt ornamentum: *Poſtea ſe incipit ſandalia epiſcopus calciare, & dicit orationem hanc.* In editione ampliore eius operis in folio habetur ordo miſſæ pontificalis ab abbate celebratæ ex cod. ann. circiter 300. ubi inter ornamenta ſacerdotalia & pontificalia primo loco ſotulares & caligæ recenſentur. In abbatis ordinatione epiſcopum etiam antiquitus tradidiſſe baculum & pedules, ex THEODORI pœnitentiali & ordine *Romano* iam MABILLONIUS notavit Præf. I. in ſæc. VI. *ord. S. Ben.* n. 32. Non tulit WARMANNUS epiſcopus *Conſtantienſis* privilegium ferendorum ſandaliorum & aliorum ornamentorum pontificalium BERNONI *Augienſi* abbati, a IOANNE XIX. an. 1033. conceſſum, ut HERMANNUS *contractus* ad eum annum narrat. „BERN abbas *Augiæ*, miſſis *Romam* cœnobii ſui privilegiis a IOANNE papa item privilegium cum ſandaliis, ut epiſcopalibus indumentis miſſas ageret, accepit. Unde permoto a WARMANNO *Conſtantienſi* epiſcopo apud imperatorem CONRADUM, quaſi ſui pervaſor officii & honoris, accuſatus, eo uſque ab utrisque coartatur, donec idem cum ſandaliis privilegium ipſi epiſcopo traderet publice in ſynodo ſua, id eſt in cæna Domini, ſequentis anni incendendum.“ Hæc ad annum 1033. referuntur T. III. conc. *Germ.* p. 103. Sequenti ſæculo S. BERNARDUS epiſt. 42. ad HENRICUM *Senonenſem* archiepiſcopum eos inceſſit abbates, qui multo labore ac pretio apoſtolicis adeptis privilegiis per ipſa ſibi vindicant inſignia *pontificalia*. Cui adde PETRUM *Bleſſenſem* in epiſt. 90. ad GUILIELMUM abb.

T. I. p. 653. — *p. 1435.*

Chirothecæ. XIX. Ut ſandalia & caligæ pedes, ita chirothecæ manibus ornandis ſunt in miſſa pontificali. Miſſa ILLYRICI habet: *Ad induendas manus.* In pontificali *Salisburgenſi* 600. annorum apud MARTENIUM, dum ordinatur epiſcopus poſt orationem *Quando induitur ſandaliis*, ſequitur, *ad manicas*. Mixtus eſt is ordo ex *Gallicano* & *Romano*. In expoſitione liturgiæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM ſic habes: „Manualia vero, id eſt manicas induere ſacerdotibus mos eſt inſtar armillarum, quas regum vel ſacerdotum brachia conſtringebantur. Ideo autem ex quolibet pretioſo vellere non metalli duritia extant, vel ut omnes communiter ſacerdotes etiam minoris dignitatis in ſæculo facilius inveniant.“ Ex quibus colligitur manicarum uſum promiſcuum fuiſſe ſacerdotibus ex vellere ſeu pellibus compoſitarum, quas etiam INNOCENTIUS III. deſignat: *Chirothecæ ſunt* (inquit) *hædorum pelliculæ, quas Iacob manibus Rebecca circumdedit.* Nota porro in laudata mox expoſitione liturgiæ veteris *Gallicanæ*, præter manualia ſeu manicas, de quibus diximus, manicas tunicas, idque uſu peculiari ſacris chriſtianis fuiſſe. Iterum hic repetere iuvat verba:

De rit. eccl. T. II. c. 8. art. 11. pag. 404. — *Theſ. nov. Anecd. T. V. p. 99.* — *Myſter. miſſæ lib. I. c. 41. pag. 100.*

„Veſti-

„Veſtimentum parvolum, quod non ſit in alio uſo, niſi ad frequentandum ſacrificium, vel ſignificat, quod non graventur manus noſtræ honoribus ſæculi, ſed circumdentur ſubtilia exercitia mandatorum Dei. Prohibet autem manica tunica ne appareat vile veſtimentum, aut quocunque indignum tactum ſordium ſuper divina ſacrificia, quo manus immolantes diſcurrunt.“

XX. In theſauro *Moguntino*, quem deſcribit CONRADUS in chr apud **Annulus.**
URSTISIUM ſcript. Rer. *Germ.* p. 568. *chirothecæ valde bonæ XVI. annuli Pontificales boni & magni de robino unus, & impoſitis aliis gemmis minutis, de ſmaragdo unus, de ſapphiro unus, de Topazio unus.* Damus ectypon annuli paſtoralis ex theſauro noſtro, qui paullo poſt **Tab. V.**
ſcriptum chronicum CONRADI factus agnoſcitur anno Chriſti 1284. ut in **n. 3.**
orbe interiore ſculptum notatur cum hac voce *agia*, in exteriore autem circumſcriptum habetur *Tetragrammaton.* In lapide lazuli, inſculpta eſt imago S. BENEDICTI, ac in interiore parte ſimiliter annus 1284. Ex argento eſt deaurato, groſſus ac amplior, quam communis ferat hominis forma, inductis etiam manui chirothecis, niſi largæ fuerint & ſpiſſæ. Ad exuvias S. BIRINI epiſc. *Doriceſtrenſis*, qui obiit HONORIO I. pontifice *Romano*, inventus eſt annulus & crux plumbea, ut apud SURIUM legitur III. *Decemb.* §. 7. In conc. *Tolet.* IV. c. 27. ſtatuitur, ut epiſcopis gradu deiectis, dum reſtituuntur, annulus & baculus reddantur. Epiſcopo, dum conſecratur, dari annulum propter ſignum pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum teſtis eſt S. ISIDORUS *Hiſpalenſis.* Ea- **Lib. II. de**
dem verba leguntur in conc. *Aquisgran.* c. 9. ſilent vero AMALARIUS, *Ra-* **off. eccl. c. 5.**
banus MAURUS & auctor ſub nomine ALCUINI, tametſi de eius uſu epiſcopali ſub ſtirpe *Carolingica* ſatis conſtet, qui primum non adeo forte ſacer eſt habitus, aut ad ritum eccleſiaſticum relatus. Sæculo tamen nono, quo iſti auctores vixerunt, HINCMARUS archiepiſcopus *Remenſis* ad AVENTIUM *Metenſem* epiſc. ſolemnitates conſecrationis epiſcopalis referens, traditionem annuli recenſet, ut notavit *And.* SCHMIDT, qui *annulum paſtoralem* (perinde ac etiam *baculum paſtoralem*) quomodo ſucceſſu temporis ad abbates pervenit id paſtoralis curæ inſigne, egregie illuſtravit ſingulari diſſert. hiſt. eccleſ. *Helmſtadii* an. 1705. edita. Ex auctoribus, qui ad noſtrum inſtitutum pertinent, HONORIUS *Auguſtodunenſis* & DURANDUS materiam hanc attigerunt ſæc. XII. & XIII. Inter libros vero rituales *Germaniæ* noſtræ pontificale *Salisburgenſe* an. 600. apud MARTENIUM habet primo benedictionem annuli *Creator & conſervator &c.* Sequitur formula, quando datur annulus: *Accipe annulum diſcretionis & honoris*

ris fidei ſignum &c. Ad annulum digito imponendum: *Accipe annulum fidei ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei ſanctam videlicet eccleſiam intemerata fide ornatus illibate cuſtodias.* Alia: *accipe annulum pontificalis bonoris.* In pontificali miſſa ILLYRICI, Ad annulum. *Circumda Domine digitos meos virtute & decora ſacrificatione.* In graviſſimis ac diris noſtræ *Germaniæ* de inveſtitura controverſiis eccleſiam inter & imperium, maxime ſub HENRICO IV., potiſſimum de annulo & baculo res erat, ne profanis manibus per hæc ſacra eccleſiæ poteſtas tribueretur.

Baculus. Cambuta. *Ad an. 44. n. 88. 57. n. 11.*

XXI. Quemadmodum vero frequens fuit annulorum apud fideles uſus a prima eccleſiæ ætate (ut BARONIUS notat) antequam ſingulare fieret epiſcoporum ornamentum, ita etiam in ipſis ſacris chriſtianis communis fuit baculorum, quo chriſtiani uterentur ſuſtentaculo. „Quapropter (inquit AMALARIUS Ecloga in ordinem *Romanum*) quando ſacerdos orat, atque celebrat aliorum doctorum officia, baculos tenemus in manibus. Et quando ipſius Chriſti verba nobis loquuntur, baculos non tenemus in manibus." Nimirum ad ſacram evangelii lectionem baculi fuerunt depoſiti, ut idem iam innuerat, atque lib. II. de officiis eccleſ. c. 18. his adhuc expreſſius dicit verbis: *Uſque ad iſtud officium baculis ſuſtentabamur: modo, ut oportet ſervos ante Dominum ſtare, bumiliter ſtamus, deponentes baculos e manibus. Fuldenſes* monachi in libello ſupplici ad CAROLUM M. queruntur adverſus RATGARIUM abbatem, quod per eum *nec baculum pro ſuſtentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium, quod nos formulam dicimus, morando inhærere.* In libro de miraculis S. UDALRICI epiſcopi *Auguſtani*, ubi de baculis multiplicibus, qui ad eius ſepulchrum depoſiti fuerunt, nempe *ſuſtentacula eorum, qui gratia Dei concedente per merita* S. UDALRICI *a diverſis infirmitatibus ſunt liberati* porro perhibetur: *quicunque etiam de multitudine vulgi de apportatis baculis in manus ſuas acceperunt, ut inter ſacra myſteria ſe ſuper eos inclinarent, ut facilius finem myſterii expectarent, repentina invaſione febris quaſſati ſunt, compertaque cauſa eventus, reiectis baculis, eadem bora liberati ſunt.* RADULPHUS *Tungrenſis* refert: ZACHARIAS *vir apoſtolicus, in ordine nonageſimus tertius, conſtituit, ne ſacerdotes ad celebranda miſſarum ſolemnia cum baculo intrarent, nec velato capite altari adſtarent.* Quod apud GRATIANUM habetur ex concilio *Romano* ſub ZACHARIA iuxta correctionem *Romanam* ex Mſc. & quidem indiſcriminatim, *ut nullus epiſcopus, presbyter, aut diaconus ad ſolemnia miſſarum præſumat cum baculo introire.* Et in regula CHRODEGANGI interpolata cavetur, ne canonici incompoſite ingrediantur eccleſiam: *Nec cum baculis, aut cambutis, aut fuſtibue in choro*

Acta Ord. S. Bened. ſæc. V. p. 462.

De canon. obſerv. prop. XXIII.

De conſecr. diſt. I. c. 56.

Cap. 26.

Digitized by Google

choro, *exceptis debilibus*, *ſed religioſe illis ſtandum & pſallendum eſt.* Tab.V. n.
Cambutta baculus epiſcoporum iuxta gloſſas veteres Mſs. bibliothecæ *Cor-* 2. VIII.
beienſis apud MENARDUM notis in ſacramentarium S. GREGORII, ubi *Cam-* n. 3.
butta ſua epiſcopo in dedicatione eccleſiæ tribuitur. Eſtque etiam abba- *Not. 512.*
tum baculus inſigne, cuiusmodi ſpecimen alibi dedimus æri inciſum ex *Iter. Aleman. Tab. VI.*
cod. *San-Gallenſi* ſæc. X. exemplisque abbatum *San-Gallenſium* BURCHARDI
& NOTKERI apud BRUSCHIUM in chronologio monaſter. *Germaniæ* ad idem
ſæc. oſtenditur, altius autem repetit laudatus MENARDUS ex actis S. GALLI *Vid. Io. Ciampini*
abbatis. Nempe apud *Walafridum* STRABONEM in vita S. GALLI hoc nar- *vet. Monument. P. I.*
ratur: „Qui & baculum ipſius, quem vulgo cambottam vocant, per ma- *c. 15. p. 141.*
num diaconi transmiſerunt dicentes, ſanctum abbatem ante tranſitum
ſuum iuſſiſſe, ut per hoc notiſſimum pignus GALLUS abſolveretur.“ In-
terdixerat enim ei S. COLUMBANUS, quem ſequi in *Italiam* nolebat, miſ-
ſæ celebratione. Eſt cambuta baculus flexus, ſuſtentamen, iuxta PAPIAM
in vocabulario mſc. apud laudatum MENARDUM, *pedum* vel *crocia.* Virgæ
etiam inſignius fuit nomen non tamen confundendum cum virga, quæ in co-
ronatione regibus ultra ſceptrum præſentabatur iuxta ſacramentarium *Grego-
rianum.* Revocat hoc in memoriam, quod apud monachum *ſan-Gallenſem* in
vita CAROLI M. lib. I. c. 19. Quidam ex epiſcopis non contentus epi-
ſcopatu, quem in prima *Germaniæ* ſede retinet, ſceptrum noſtrum, quod
pro regiminis noſtri ſignificatione ferre ſolemus, pro baculo paſtorali
nobis ignorantibus ſibi vendicare voluit. „Auream virgam (vocat BERNEG-
GERUS orat. VI.) incomparabilis illius imperatoris CAROLI, quam ad ſtatu-
ræ ſuæ magnitudinem confectam, feſtis diebus ſolemniter geſtavit, ille pro
epiſcopali ferula, ſeu pedo paſtorali, cambotta, utpote nihilo brevio-
rem, neque minus ſibi aptam uſurpare, abſente rege, improbiuſcule af-
fectavit.“

Refert MABILLONIUS ſe in codice pervetuſto, qui vitam S. AMANDI *De curſu*
Traiectenſis epiſcopi continet, apud *Elnonem* aſſervato, vidiſſe epiſcopo- *Gall. p. 435.*
rum imagines, qui una manu pedum paſtorale geſtant, alia baculum in-
curvum, & quidem breviorem, quo ſe ipſi inter orandum ſuſtentabant.
Duplex genus pedi paſtoralis in figuris deprehenditur ſarcophagi *Remen-
ſis* in MENARDI *itinere litterario* incurvi ac longioris quidem, prout paſ- *P. II. p. 86.*
ſim in caſulis & cappa, quas ſculptas damus, comparent; deinde cum li-
gno transverſo in crucis formam, quod pedum archiepiſcopale eſſe vide-
tur iuxta primam ſuam originem ac nativam. *Trevirenſes* ſingulari reli-
gione baculum S. PETRI, ſed theca incluſum, colunt, manubrium orbi-
cularis inſtar pomi ex reliqua parte prominet, ut apud BROWERUM de-
ſcribitur, cum integra hiſtoria miſſi a S. PETRO ad EUCHARIUM baculi,

Myſt. miſſæ lib. I. c. 42.

quæ in ſua origine difficultatem patitur, & tamen hinc Innocentius III. rationem petit, quare *Romanus* pontifex paſtorali virga non utatur: „Pro eo (inquit) quod beatus Petrus apoſtolus baculum ſuum miſit Euchario primo epiſcopo *Treverorum*, quem unacum Valerio & Materno ad prædicandum evangelium genti *Teutonicæ* deſtinavit. Cui ſucceſſit in epiſcopatu Maternus, qui per baculum ſancti Petri de morte fuerat ſuſcitatus. Quem baculum uſque hodie cum magna veneratione *Treverenſis* ſervat eccleſia.“ Lege ſis etiam eam hiſtoriam in rhythmo *theotiſco* de S. Annone *Colonienſi* archiepiſcopo apud Shilterum in calce T. I. theſauri antiq. *Teuton.* p. 23. Sed hoc nihil iam ad nos examinare. Tangit eam rem Macrus in Hierolexico, & *Ioannes* Ciampini, qui peculiari capite 15. P. I. de antiquo baculorum, quem modo explicavimus, promiſcuo etiam fidelium uſu copioſe agit, ad rem vero præſentem citat Macrum, qui repræſentat Gregorium M. cum baculo in dextera manu, in infima ſua parte acuto, in ſuperiore vero cruce ſuppoſita inſigni. Aliam Gelasii II. imaginem idem exhibet v. *mitra* cum baculo in ſiniſtra, in cuius apice globus. In oriente baculus etiam paſtoralis crucis figuram refert. Noſtrum pedum incurvum cum lituo *Romanorum* augurum ſimilitudinem habet; atque inde etiam deducit *Tob.* Eckardus in diſſertat. hiſtor. critica de pedo epiſcopali occaſione baculi ſacri, quod in ſecretario templi ad D. Servatii inter antiquitatis monumenta *Quedlinburgæ* aſſervatur. Tab. V. n. 2. Ex codice *Rhenaugienſi* ſiſtimus imaginem epiſcopi in pontificalibus, qualis in litera initiali conſpicua eſt, ad ritum dedicationis eccleſiæ, dum pedo ſuo januam eccleſiæ dedicandæ pro more pulſat.

Crux pectoralis.

Vid. Card. Bona cum commentar. Rob Sala lib. I. c. 24.

XXII. De cruce pectorali nihil occurrit in antiquis libris liturgicis; quæ vero proferuntur exempla, privatum tantum oſtendunt uſum S. Crucis cum ſacris reliquiis, aut etiam veræ S. Crucis particulis. Ad exuvias S. Birini epiſcopi, qui obiit tempore Honorii I. papæ, inventus eſt annulus & crux plumbea ad pectus, ut legitur apud Surium III. *Dec.* Silent auctores, qui de hac materia ſcripſerunt medio ſæc. Rupertus *Tuitienſis* quidem ſingulare caput 26. lib. I. inſcripſit: „Quod ſigno crucis aurea lamina ceſſit,“ videturque hoc ſingulare ornamentum facere. Sed vide, quo delabitur: „Crux igitur (ait) aurea lamina ſacratius ornamentum. Nec ſtatim occurrat, decus hoc ideo non eſſe pontificis, quia cum illo toti quoque commune eſt plebi. Nam illa dignitas habet in hoc aliquid, quod nec inferioris ordinis ſacerdotibus commune ſit. Sic enim in fronte ſua chriſticolarum ſignifer hoc vexillum baiulat, ut in ſubiectæ plebis frontibus ſoli ſibi ſacro chriſmate pingere liceat.“

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Videtur hic etiam crucis quandam figuram deſignare in fronte epiſcopi, qua ſcilicet mitram, crucis quandam imaginem in antiquis figuris habentem, geſtat, cuius originem paſſim ab aurea lamina repeti legas, quam POLYCRATES apud EUSEBIUM, & S. HIERONYMUS de Script. eccl. teſtantur S. IOANNEM, & EPIPHANIUS ex teſtimonio CLEMENTIS *Alexandrini*, ipſiusque EUSEBII IACOBUM apoſtolum geſtaſſe. Sed hæc nihil nunc ad nos. Mitra, inquit MACRUS in hierol. ab orientalibus; ſed a *Latinis* Vitta dicebatur: qui alia explicat nomina ad rem etiam præſentem, formam item declarat rotundam mitræ SILVESTRI primi, cuius pars anterior exhibetur T. IV. opp. S. GREGORII M. p. 826. quæ in acumine abit ab ea, quam nos repræſentamus tabula iam notata, penitus autem ab ea, quam ipſe MACRUS ſiſtit in capite GELASII II. obſervavit vero *Ioſephus* GARAMPIUS amicus meus, pontifices *Romanos* diu etiam, poſtquam mitræ uſus frequentior eſſe cœperat, capite plerumque nudo pingi conſueviſſe. Diadema GELASII II. lunatum, quale eſt pontificum veteris teſtamenti, cum mitris eius ævi ſæc. XII. ſcilicet non congruit. Non abludit ab hac forma diadema in capite perſonæ habitu pontificali cum mitra & baculo, prout eam ex rotulo *Barberino* exhibemus, ad latus papæ ſiniſtrum ſtantem: ubi papæ caput prorſus diſſimili mitra coniformi ſc. ornatur, ea fere forma, qua in capite GREGORII M. cernitur in fronte huius operis vittæ quidem ſpecies cum tenia, utrinque tamen pone caput diffluente faſcia, ut hodieque in mitris ſervatur. Quadrum illud, quod pone caput S. GREGORII M apud MACRUM in hierolex. v. *Baculus*, erectum conſpicitur, idem videtur eſſe aſſumentum neſcio quod quadratum, quod ex caſula rectum aſſurgit in bina figura, quam ex rotulo bibl. *Caſanatenſis Romæ* repræſentamus. Adhærere autem veſti ſacræ, atque adeo capiti inde dignoſcitur, quod ad perſonæ ſacræ caput, ſeſe inclinantis ad actum baptiſmi, reclinum appareat. Mitra dici nequit, cum caput nudum relinquat, quidquid ſit.

Mitra, infula. — *Lib. III. hiſt. c. 31.* — *De nummo argenteo Benedicti VIII. c. 5. n. 5. p. 120.* — Tab. VIII. n. 2. — Tab. VII. n. 3.

In *itinerario* MARTENII habes figuram mitræ veteris in ſarcophago iam laudato, nihil ſimile habentis cum mitris hodiernis, quæ etiam ab aliquot ſæculis eminentiorem formam acceperunt, quam habuerint antea, quales paſſim in caſulis & cappa a nobis editis conſpicuæ ſunt, excepta caſula vetuſtiore, in qua mitræ ſimiles ſunt illis, quas in MARTENII *itinere litter.* notavimus, qualemque ex mſc. *Rhenaugienſi* exhibemus. Caſula noſtra eadem etiam in capite S. MAURITII comparet, qui miles fuit. De illis ſilent porro veteres libri liturgici & ſcriptores plerique. Cave autem, ne huc trahas, quod in miſſa ILLYRICI habetur: *Poſtquam infulatus fuerit, dicat hanc orationem.* Nempe poſtquam toto ornatu pontificali veſtitus fuerit, ornatum enim ſacerdotalem ſignificat, ac potius caſulam

Digitized by Google

ſeu planetam, ut apud Ducangium hac voce notare licet. Teſtimoniis ab eo adductis addi poteſt auctor vitæ Ludovici *Pii*: „Cui etiam obviam Hildebaldum archicapellanum ſacri palatii, Theodoulphum epiſcopum *Aurelianenſem*, Ioannem *Arelatenſem*, aliorumque miniſtrorum eccleſiæ copiam procedere iuſſit, infulis indutos ſacerdotalibus. Statutum *Senenſe* haud adeo antiquum an. ſc. 1517. apud De Moleon *Itinere liturg.* p. 173. huc facit: „Quando archiepiſcopus celebrat in annualibus, debent aſſiſtere ſibi 12. presbyteri Cardinales induti ſacerdotalibus indumentis, ac etiam fer. V. in Cœna Domini cum 12. decanis, indutis ſacerdotalibus ſeu infulis.“ De origine mitræ agit Mabillonius Præfat. II. in ſæc. IV. *Bened.* nec exiſtimat Menardus ante annum milleſimum mitræ uſum fuiſſe in eccleſia. In theſauro eccleſiæ *Mogunt.* deſcripto apud Urstisium a Conrado, qui vixit ſæc. XIII. recenſentur infulæ vel thiaræ XVIII. auriphrigiatæ. Ubi nota infulam mitræ ſynonimam. Examinent alii, an nonnulla apud Ducangium loca huc trahi queant. In ſynodo *Colonienſi* an. 1281. qua habentur ſtatuta Sifridi archiepiſcopi, abbates intrare iubentur cum albis ſtolis & cappis choralibus, deſuper de ſerico vel ſamitto, cum baculis & mitris, prout hoc eorum congruit dignitati &c.

Not. 947. in Sacram. S. Greg.
Script. rer. Germ. pag. 568.
T. III. conc. Germ. p. 658.

Pallium. Rationale.

XXIV. In miſſa Illyrici ante id, quod mox retulimus, habetur oratiuncula *ad rationale* eiuſcemodi: *Da nobis, Domine, veritatem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ digne aperire.* Quæ conveniunt illis, quæ S. Bonifacius *fratri, archiepiſcopatus infula ſublimato, Coepiſcopo* Cudberto inculcat quoad uſum pallii, archiepiſcopalis dignitatis ſingulare inſigne, circulus nimirum ex ſubtili candidiſſimaque ovina lana quatuor aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ propendent faſciæ, ita ut, cum circulus humeris antiſtitis fuerit impoſitus, duæ faſciolæ a pectore & a tergo dependeant. Unde quidem ad curam ovium præcipuam admonentur primores hi paſtores. „Maior (inquit) enim nobis ſollicitudo eccleſiarum & cura populorum propter Pallia credita & recepta, quam cæteris epiſcopis, qui proprias tantum procurant parochias, incumbit.“ Subdit deinde: „Decrevimus autem in noſtro ſynodali conventu & confeſſi ſumus fidem catholicam & unitatem & ſubiectionem *Romanæ* eccleſiæ, finetenus vitæ noſtræ velle ſervare: ſancto Petro, & vicario eius velle ſubiici: ſynodos per omnes annos congregare: metropolitanos pallia ab illa ſede quærere: & per omnia præcepta Petri canonice ſequi deſiderare: ut inter oves ſibi commendatas numeremur.“ *Io Georgius* Pertsch diſſert. III. de origine uſu & auctoritate pallii archiepiſcopalis, *Helmſtadii* an. 1747. imp. S. Bonifacium ſuaſorem ac veluti

Epiſt. 105.

uti

Digitized by Google

uti primum auctorem exiſtimat, ut metropolitani pallia a ſede *Romana* peterent. Diſſertatione vero quarta eodem adhuc anno edita longe altius aſſurgit, ductu *Petri* de Marca & aliorum, qui antiquitatem & cauſſas, cur a ſede apoſtolica peterentur pallia, exponunt. Rationem hanc reddit Rupertus *Tuitienſis*: „Initium ergo fidei habentes ab apoſtolica ſede regulam hanc metropolitanæ obſervant eccleſiæ, ut neminem habeant pontificem, niſi ab eadem ſede miſſum, a qua primus illis prædicator fidei miſſus eſt. Illa autem miſſio ſupradicti Pallii largitio eſt, quod, ut dictum eſt, a collo dependens, humilitatem Domini ſignificat, dicentis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*“ In expoſitione liturgiæ *Gallicanæ* apud Martenium amplior habetur deſcriptio: *Palleum vero, quod circa collo uſque ad pectus venit, rationale vocabatur in vetere teſtamento, ſcilicet ſignum ſanctitatis ſuper memoriam pectoris, dicente propheta ex perſona Domini, Spiritus Domini ſuper me &c. Quod autem collo cingit, antiquæ conſuetudinis eſt, quia reges & ſacerdotes circumdati erant palleo veſte fulgente, quod gratia præſignabat. Quod autem fimbriis veſtimenta ſacerdotalia adnectuntur &c.* In ordinibus *Romanis* ritus habetur induendi pallium: *Noviſſime autem, quem voluerit Romanus pontifex de diaconibus vel ſubdiaconibus, cui ipſe iuſſerit, ſumit de manu ſubdiaconi ſequentis pallium, & induit ſupra pontificem, & configit eum cum acubus in planeta retro.* Idque ſedulo *Romani* pontifices inculcarunt pallium mittendo, ne niſi intra miſſarum ſolemnia certis ac præcipuis feſtis adhiberetur. Ita Nicolaus P. S. Anschario indulſit: *Et quia te chariſſime fili Ansgari, divina clementia nova in ſede primum diſpoſuit eſſe archiepiſcopum, noſque pallium tibi ad miſſarum ſolemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis uti & eccleſiæ tuæ perpetuo ſtatu manentibus privilegiis uti largimur.* Leo VII. epiſt. ad Gebhardum *Laureacenſem* archiepiſcopum feſta deſignat, quibus uti liceat palliis, quod in ſecretario more *Romano* induere debeat, *& ita ad miſſarum ſolemnia proficiſci.* Innoc. II. in ſynodo *Rom.* an. 1133. *Paderbornenſi* epiſcopo conceſſit uſum Rationalis in celebrando ſacrificio certis ac præcipuis feſtis, in conſecrationibus eccleſiarum & ordinationibus clericorum, ſed in proprio tantum epiſcopatu. Eſt autem, annotante Schatenio, Rationale λόγιον opus ex auro ſerico & gemmis forma quadrangula contextum, quod inſertum collo humeros & pectus tegit, dependentibus a tergo quatuor faſciis limbisque, haud multum diſſimile epomidi, unde & ſuperhumerale dicitur aliis. Apud Ducangium v. *Rationale* ex hiſtoria epiſcoporum *Altiſiodorenſium* deſcribitur caſula quædam pretioſa in hunc modum: „Caſula autem coloris ætherei, phrygio palmum habente ſu-

Lib I. de off. c. 27.

Theſ. nov. Anecd. T. V. p. 99.

T. II. Conc. Germ. p. 172.

Ib. p. 607.

T. III. Conc. Germ. p. 326.

perhumeralis & rationalis effigiem, ad modum pallii archiepiſcopalis honorabiliter prætendebat. Affert hunc locum, ut hinc ſtatuat, tali forma fuiſſe veteres caſulas, qualis hic deſcripta eſt, atque plures hodiedum haberi in ſecretariis maiorum eccleſiarum veteres caſulas, in quibus circa collum limbus alterius coloris, ante & retro pendulus affixus conſpicitur. Sed vereor (addit ſæpe laudatus abb. Sarti) ne magnus iſte antiquitatis promuſcondus, non ſatis intellexerit, cuiuſcemodi figuræ fuerit auriphrygium, quo nobilis illa caſula ornata erat. Si enim ſuperhumeralis & rationalis effigiem ad modum pallii arhiepiſcopalis referebat, non limbus erat circa collum caſulæ affixus, ſed latiore ambitu per humeros in pectus, & dorſum defluebat, vel fortaſſe humeros ipſos complectebatur." Animadvertit poſtea ex Ratholdi miſſa apud Martene (in qua ſacerdoti ſacra facturo poſt caſulam imponitur *rationale cohærens iunctum ſuperhumerali*) duo quædam ornamenta fuiſſe ſuperhumerale, & rationale, caſulis ſacerdotum adiungi ſolita: quæ duo certe apertiſſime diſtinguuntur loco etiam in figura pontificali, quam ex codice *Rhenaugienſi* ſiſtimus, ubi ſuperhumerale crucibus interſtitum arctius collo adhæret; rationale autem ſeu pallium clavum circa collum & in pectus dependentem habet cum crucibus. Rationale autem, quo papa, ut ex rotulo bibl. *Barberinæ* repræſentamus, ornatur, non crucibus, ſed pretioſis lapidibus diſtinctum eſt. Ruinartus in diſſert. de pallio archiepiſcopali, duplex diſtinguit pallium *Romanum* ſcilicet & *Gallicanum*: *Gallicanum* autem idem cenſet eſſe cum Rationali.

De vet. Caſ. dipt. c. 3.

Tab. V. n. 2.

Tab. VIII. n. 2.

T. II. opp. poſth. Mabill. p. 452.

XXV. *Walafridus* Strabo in libro de Exordiis & Incrementis rerum eccleſiaſticarum capite vigeſimo quarto de Veſtibus ſacris inquirens: „Addiderunt (inquit) in veſtibus ſacris alii alia: vel ad imitationem eorum, quibus veteres utebantur ſacerdotes, vel ad myſticæ ſignificationis expreſſionem. Quid enim ſingula deſignent, quibus utimur nunc, a prioribus noſtris ſatis expoſitum eſt. Numero autem ſuo antiquis reſpondent: quia ſicut ibi tunica, ſuperhumeralis linea, ſuperhumerale, rationale balteus, feminalia, tiara & lamina, ſic hic dalmatica, alba, mappula, orarium, cingulum, ſandalia, caſula & pallium. Unde ſicut illorum extremo ſoli pontifices, ſic horum ultimo ſummi tantum paſtores utuntur." In ornatu pontificali obſervatu dignum eſt, quod quemadmodum ab epiſcopo ordines conferuntur, ita is unus præter ſuas proprias, aliorum ordinum omnium veſtes induat. Id tamen notare licet in Ord. *Rom.* V. (ubi præmittitur recenſio veſtimentorum ſingularis tam pontificalium, cum presbyterorum ac miniſtrorum) presbyteris *Romanis* etiam more epiſcoporum dalma-

Uſus ſacrarum veſtium pro ſuis ordinibus.

pag. 64.

Digitized by Google

dalmaticam minorem & maiorem & planetam, calciamenta item ſicut pontifici in uſu fuiſſe; quod laudatus *Walafridus* Strabo nec quidem omnibus epiſcopis indultum dicit, quoad caſulam unacum dalmatica. „Ipſos tamen (inquit) pontifices eis uti debere, ex eo clarum eſt, quod Gregorius, vel alii *Romanorum* præſules aliis epiſcopis earum uſum permiſerunt, aliis interdixerunt. Ubi intelligitur, non omnibus tunc fuiſſe conceſſum, quod nunc pene omnes epiſcopi, & nonnulli presbyterorum ſibi licere exiſtimant, id eſt, ut ſub caſula dalmatica uterentur.“ Ex dictis autem patet, ad diaconos ipſos pertinuiſſe iſtam facultatem, a *Romano* pontifice conceſſam, induendi dalmaticam; ad hodiernum vero uſque diem tempora quædam excipiuntur adventus alicubi & paſſim Quadrageſimæ, ut ſuo loco dicemus, quibus hoc fas non eſt. *Dalmaticam*, loquitur de diacono Rupertus *Tuitienſis*, *non niſi feſtis diebus inducit.* Et poſtea quæſtionem inſtituens, cur in Adventu non utantur conſuetis veſtimentis ſacris diaconus & ſubdiaconus: „Ex tunc (inquit) uſque ad ſacram dominici natalis noctem diaconus & ſubdiaconus imminuti procedunt. Nam neque diaconus dalmaticam, neque ſubdiaconus induit tunicam.“ Caſulis utuntur, quæ hodieque ob veterem earum formam in anteriore parte ante pectus per plicas conſui ſolent. Qua in re id etiam, quod ſubdit Rupertus notandum eſt. „Utuntur autem interdum caſulis, quam veſtem ſacerdotis eſſe diximus, cum de habitu eius loqueremur. Quod neminem movere debet. Non enim ſic utuntur caſulis ſubdiaconus aut diaconus, ut in ipſis legant vel miniſtrent, ſed lecturi aut miniſtraturi illas exuunt, manifeſte profitentes, illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum ordinem ſibi deberi, ſed propter dominicæ vel alicuius feſti reverentiam ſe accipere accommodatam, ut inopem atque indecentem conſolentur expoliationem.“ Caſularum promiſcuum uſum in ſacrificio in monaſticis congregationibus præter miniſterium altaris ſupra indicavi, eoque pertinet ordo *Romanus* VI. hic peropportunus ob recenſionem veſtitus ſacri in miniſterio ſacrificii ſolemnis, quo præter alios miniſtros etiam presbyteri aderant more antiquiſſimo, ut paullo poſt dicemus. Sic autem habet: „Cum tintinnabulum ad tertiam ſonuerit, omnes ſimul fratres in chorum convenire debent humeralibus & albis, apud quoſdam autem caſulis induti. Sed proceſſionem coram epiſcopo acturis a cuſtode eccleſiæ in ſacrario ornamenta præbenda ſunt, presbyteris duobus, qui epiſcopum ducturi ſunt, cappæ, diaconibus ſtolæ & dalmaticæ, ſubdiaconibus vero ſibi congruæ veſtes, quæ apud quoſdam ſubdiaconales nominantur, & mappulæ in ſiniſtra manu ferendæ; acolythis candelabra, & thuribula portaturis caſulæ.“ Nota hic acolythos caſula indutos, quibus apud Ioannem *Ab-* rin-

De rebus eccl. c. 24.

Lib. I. de off. div. c. 36. lib. II. c. 2.


pag. 70.

pag. 12.

rincenſem albæ tantum aſſignantur: „Sacerdos in veſtiario, cæterique miniſtri ſanctis veſtibus iuxta ordinem induantur, ſcilicet alba ſtola & dalmatica diaconus: alba & tunica & manipulo ſubdiaconus: reliqui tantum albis, ſcilicet duo acolythi, unus qui cantet graduale & deferat candelabrum, alter qui alleluia, & ferat thuribulum.“ Dalmaticæ diaconorum & tunicæ ſubdiaconorum diſcrimen apud nos hodie obſolevit, quod olim fuit tam quoad formam quam materiem veſtis, quæ linea fuit in tunica ſubdiaconorum, hincque *Subtilem*, ut ſupra memoravimus, dictam
Gemma animæ, ſeu ſacrament. c. 25. colligere eſt ex Honorio *Auguſtodunenſi*, ubi notat ſacerdotes in divinis indui lineis, in quotidianis negotiis laneis, ſubditque: *lineæ veſtes ſunt ſubtiles orationes ad Deum: laneæ vero groſſa locutio ad Deum.* Horum atque aliorum etiam miniſtrorum ſeu ordinum eccleſiaſticorum in
P. I. p. 153. veſtitu ſacro diſcrimen ad oculum exhibent figuræ, quas Martenius in *itinere litterario* depictas ſculptasque dedit ex antiquo ſacramentario *Au-*
Tab. X. *guſtodunenſi*, nosque utpote, quæ omnia ſimul uno exhibeant obtutu, recudi hic commodum duximus, ob eccleſiæ *Auguſtodunenſis* coniunctionem olim cum noſtra *Alemannica* regno *Burgundico* ad hos uſque protenſo.

Earum ornatus ac pretium. XXVI. De inſigni autem pretio, magnificentia ſacrarum veſtium longum foret dicere, cum iam ſupra notaverimus ipſas etiam albas auro intertextas fuiſſe. Atque de theſauro *Moguntinæ* eccleſiæ antiquo Con-
Script. rer. Mogunt. p. 567. radus in chronico apud Urstisium memorat: „Erant pallæ altarium auro intextæ pretioſæ. Inter quas tres erant præcipuæ, quarum una æſtimabatur poſſe valere marcas C. alia LX., atque aliæ non minoris vel parum minoris poterant æſtimari. Erat in caſulis, dalmaticis, ſubtilibus, & cappis ſericeis & purpureis, auro gemmisque intextis pretioſus & copioſus theſaurus. Inter quæ ſex cappæ præcipuæ erant, quarum una æſtimata eſt ad LX. marcas (ſic enim & obligari poterat) aliæ quinque minoris erant æſtimationis: ex iis duas ego vidi, quarum una vetuſtate fuit ſic conſumpta & attrita, quod alicui uſui non valebat: data ergo eſt igni, & reddebat tres marcas auri cum dimidia. Alia quæ adhuc recentior videbatur, vendita eſt cum una palla altaris: quid pro his acceptum fuerit, vel quo devenerit venditum acceptum penitus ignoratur. Deplorat nimirum iacturam & oppreſſionem, qua annis iam centum cœpit ruere eccleſia *Moguntinenſis*:“ produxit autem chronicon ſuum ad medium ſæculum decimum tertium. Unde patet, quo pertineat hæc re-
pag. 567. cenſio, quam perſæpe ſuis locis indicavimus, isque feciſſe mox in exordio ea de cauſa teſtatur: *Ut eius miſerabilior calamitas, quam patitur,*

&


Sub diacoñ
Lector
Exorō. S
Ostiar̄
acholiŧ

Digitized by Google

& flebilior eluceſcat, prius quibus honoribus claruit, quibus divitiis & ornatibus referta fuerit, ſuccincte & breviter diſſeremus. Ex illis autem, quæ huius nunc ſunt loci, memorari adhuc meretur caſula, qualem etiam anonymus de miraculis S. HUGONIS *Cluniacenſis* in bibl. *Cluniac.* pag. 453. memorat: „Regina planetam plane digniſſimam mittente, & accipientibus, quia ſic rigidam, ut plicari non poſſet.“ De *Moguntinenſi* vero CONRADUS ita diſſerit: „Una inter cæteras erat caſulas ante paucos dies violacea latis & magnis aurifrigiis, longa & larga, aureis lunulis & ſideribus inſertis, quæ tanti erat ponderis propter aurum, ut triplicari non poſſet, & in ipſa vix aliquis poterat, niſi valde robuſtus, divina myſteria celebrare. Veſtiebantur tamen illa pontifices & prælati feſtis præcipuis cantaturi. Sed poſt evangelium cantato offertorio factis oblationibus, illam deponentes flexibiliorem ſumentes in illa divina perfecerunt.“ Caſulam hanc dicere licet *veſtem de fundato*, quales apud ANASTASIUM occurrunt auro intextæ ſuper fundum holoſericum. Cum vero caſula illa fuerit violacei coloris, forte erat ex illo genere, quas violacei ſeu purpurei, ſed obſcurioris coloris papaveratas dicebant, ſeu de papavere, cuiusmodi dalmaticas & cappas in antiqua charta ad calcem chronici *Upſalenſis Joan.* SCHEFFER memorant auctores novi tractatus diplomatici TOUSTAIN & TASSIN ex Congregatione *S. Mauri.* *pag. 468.* *T. II. p. 96.*

XXVII. Miſſis his, ad ſingularem ornatum ac ſplendorem veſtium, ut vocantur, effigiatarum me converto, quales inſignes ſunt caſulæ duæ, a) una *Veſtes effigiatæ.*

a) Caſula I. Tab. VI. repræſentata exhibet primo Salvatorem mundi throno inſidentem cum quatuor animalibus myſticis: aliqua item myſteria ſc. annuntiationem B. V. M. nativitatem Chriſti, oblationem Magorum, baptiſmum Chriſti, proditionem in horto, flagellationem denique, ac mortem in cruce: ſecundæ ex hiſce figuris addita eſt inſcriptio: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum.*

Cernuntur etiam ſecundum SS. Librorum ordinem diverſæ veteris teſtamenti figuræ, creatio nempe ADAMI & EVÆ: ABEL a fratre CAIN occiſus: MELCHISEDECH panem & vinum proferens; AARON agnum aut hœdum immolans: ABRAHAM tres Angelos excipiens hoſpitio: paratus item immolare ISAAC filium ſuum: IOSEPH in ciſterna detentus: Virga AARON germinans: IOB cum inſc. *Scio quod redemtor meus vivit*: Et BALAAM, adiectis hiſce verbis: *Orietur ſtella ex Iacob*: IOSUE & JUDAS, *Machabæus* ſc.: Mater SAMSONIS MANUE cum inſc. *Pariet filium, qui erit Nazaræus Dei*: MOISES cum ELISÆO, *Sunamitidis* filium reſuſcitante: NAAMAN iuſſu ELISÆI ſe lavans, a lepra mundatus: DAVID cum hocce vaticinio: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent*: Item: *Dominus tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*: Et SALOMON, cum inſc. *Aſcendam in palmam, apprehendam fructus eius.*

Occurrunt item quatuor Prophetæ maiores, ISAIAS ac HIEREMIAS cum ſequentibus eorum vaticiniis: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium: Sicut ovis ad oc-*

Tab. VI. VII. VIII. num. 1. una cum ſtola & manipulo: cappa item magna, quam vulgo pluviale vo-

ciſionem ducetur: Faciet Dominus novum ſuper terram, femina circumdabit virum. &: *Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Sequitur EZECHIEL cum DANIELE. Inſc. *Converti me ad viam portæ orientalis & erit clauſa:* item: *cum venerit ſanctus ſanctorum, ceſſabit unctio.*

Quarto loco viſuntur præcipui monaſterii huius Patroni, additis cuivis figuræ nominibus Sanctorum, qui repræſentantur. Sunt autem ſequentes: NICOLAUS & BLASIUS, BENEDICTUS & GALLUS, LAURENTIUS, STEPHANUS, & VINCENTIUS, SEBASTIANUS, & GEORGIUS, REGULA, & FELIX, UDALRICUS & CONRADUS, OSWALDUS & MAURITIUS, PANTALEON, & ERASMUS, VERENA, & AGNES, CÆCILIA, & GREGORIUS.

Conſpicuæ ſunt porro Apoſtolorum, Prophetarum minorum &c. figuræ, quas infimus planetæ circulus comprehendit. Ponuntur autem hoc ordine: MATTHIAS, PETRUS, IACOBUS, ANDREAS, IOANNES, THOMAS, IACOBUS, MARCUS cum initio ſui Evangelii, LUCAS pariter cum primis evangelii ſui verbis, OTTO I. Imp. HELENA, CONSTANTINUS Imp. Prophetis ſequentes adduntur inſcriptiones: MALACHIÆ: *Ecce veniet ad templum ſanctum ſuum;* AGGÆO: *Veniet deſideratus:* ABACUC: *Cornua in manibus:* IONÆ: *Erat Ionas in ventre ceti:* ABDIÆ: *Sicut feciſti fiet tibi.* OSEÆ: *Vivificabit nos.* IOELI: *Parce Domine parce populo tuo:* AMOS: *Quærite bonum & non malum.* MICHÆÆ: *Ex te Bethlehem egredietur dominator Iſrael.* NAHUM: *Non iudicabit D. B.* quæ verba non reperiuntur in eius prophetia. SOPHONIÆ: *Expecta me dicit Dominus:* ZACHARIÆ: *Percute paſtorem & diſpergentur oves.* ELISABETH: *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini?* ZACCHARIÆ: *Benedictus Dominus.* Reliquorum, IOSIÆ nempe, EZECHIÆ, HESTER, IUDÆ, SIMONIS, MATHÆI, BARTHOLOMÆI, PHILIPPI, & PAULI nomina figuris adponuntur abſque inſcriptione alia. Continet autem hæc caſula univerſim figuras 69. hucusque deſcriptas.

Figuris 47. repræſentat caſula altera Tab. VII. adumbrata 1) vitam S. NICOLAI, 2) quatuor prophetas maiores. 3) quatuor Evangeliſtas, ac 4) myſteria incarnationis ac paſſionis Domini.

Vita S. NICOLAI 28. figuris exhibita verſibus quoque dilucidatur: ac

α. quidem *Nativitas* S. NICOLAI exhibetur.

β. S. Puer a Patre in ſcholam deductus: inſc: *Cælitus inſtructus capit iſte ſcholæ bene fructus.*

γ. Pauper civis tres filias turpiter proſtituere meditans: inſc: *Ut faciant quæſtum mittit natas inhoneſtum.*

δ. S. NICOLAUS clam pecunias in domum egeni Patris iniiciens: inſc: *Aurum donavit clam patrem lætificavit.*

ε. Tres filiæ a S. NICOLAO dotatæ, & connubio locatæ: inſc: *Coniugio gratas facit auri copia natas.*

ζ. S. NICOLAUS præſul divinitus promulgatus: *Vox Chriſti prodit, quem dignum præſule novit.*

η. S. NICOLAUS in præſulem electus: *Eſt declaratus præſul pater iſte beatus.*

ϑ ac conſecratus: *Cælitus hic tanto datur unctio debita ſancto.*

ι. S. NICOLAUS liberans oppreſſum a dæmone: *Liberat oppreſſum Nicolaus dæmone feſſum.*

κ. Uxori CEDRONIS ſterili ſuis precibus obtinens prolem: *Uxor* CEDRONIS *ditatur munere prolis.* Octodecim ſequentes figuræ hisce illuſtrantur verſibus:

Nequitiæ teſtis ſatanæ ſit ſplendida veſtis.
Vix lapis attactus ad ſtructuram fuit aptus.
Redditur ægroto virtus languore remoto.
Arbore ſucciſa fuerant præſtigia viſa.
Ad menſæ munus multis panis fuit unus.
Quem mors involvit morti ſua debita ſolvit.
Mundo defunctus cæleſtibus eſt modo iunctus.

S. NICOLAE ora pro nobis.

Te mihi Patronum faciat præſens rogo donum.

Digitized by Google

... [illegible] utrisque inscriptione sua. Continet autem hæc caſula univerſim figuras 69. hucusque deſcriptas.

S. NICOLAE ora pro nobis.
Te mihi Patronum faciat præſens rogi[illegible] donum.

vocant, a) e noſtris cymeliis typis æneis expreſſæ, auro, argento, variisque ex ſerico coloribus textæ, aut acu pictæ, id enim harum etiam rerum periti, qui examinarunt, in dubium vocarunt. Agitata inter eruditos haud pridem fuit hac de re quæſtio, ad quam occaſionem præbuit præcipue locus quidam S. ALDHELMI in libro *de laudibus virginitatis* de arte plumaria

Hos ſub ſpe vana vult lædere ſæva Diana.
Spurcitia plenum nolite tenere venenum.
Adiutor fortis fugat ecce pericula mortis.
Barbarus hic ſancto ſua comiſit NICOLAO.
Ne ſis ingratus quia novit adeſſe vocatus.
Carpit iniquorum conſilia facta latronum.
Reddit colentem ſic viſa pecunia mentem.
Quid deceat cerne tu turpia munera ſperne.
Ut fons mundetur, dæmon procul ire iubetur.

Prophetis maioribus adiunguntur verba vaticinii cuiusdam: EZECHIELI: *Porta erit clauſa.* DANIELI: *Cum venerit Sanctus.* HIEREMIÆ: *Femina circumdabit virum.* Et ISAIÆ: *Ecce virgo concipiet.*

Cuique ex quatuor Evangeliſtis adſcriptum legitur initium ſui Evangelii.

Agnus apocalypticus adparet ſine inſcriptione: Annuntiatio vero B. V. M. Nativitas Chriſti, oblatio trium magorum, baptiſmus eiusdem, flagellatio, coronatio, crucifixio, ſepultura, ac reſurrectio & deſcenſus ad inferos celebrantur hisce verſibus:

Angelus inquit ave quod mundum liberat a væ.
Supra naturam profert virgo genituram.
Myſtica famoſa tria ſunt munera pretioſa.
Chriſtus fœcundas tactu proprio facit undas.
Verberibus cæſus ſanat ignea vulnera læſus.
Spina caput pungit, quod Sanctos cœlitus ungit.
Ut ſemper plangas volo flens mea vulnera tangas.
Exequias Chriſti celebrant feliciter iſti.
Ecce reſurrexit quem moles ſaxea texit.
Fortior hic fortem ligat & ſubdit ſibi mortem.

a) Magna hæc cappa, ſeu, ut vocant, pluviale a ſummo deorſum aperta, duas habet alas, caputium inſuper duorum epiſcoporum figuris ſine inſcriptione decoratum: Ala dextra continet vitam S. BLASII Ep. M. ſiniſtra vitam S. VINCENTII Levitæ & M.

Vitam S. BLASII 23. figuris repræſentatam ſequentes adumbrant verſus:

Ecce Deo gratus fit rector pontificatus.
Curat læſarum ſancta prece membra ferarum.
Quærunt inſontem cingunt indagine montem.
De latebra tractus vincitur ut hoſtia factus.
Clareſcit ſignis Blaſius factisque benignis.
Hic ope divina trahitur de gutture ſpina.
Quis non miretur quod reddere prædo tenetur.
Iudex horrendus non eſt iuſto metuendus.
Fuſtibus atteritur famulus Chriſti quia ſcitur.
Carcere ſervatur, cui iudex dira minatur.
Femina devota fit iuſto ſedula tota.
Neſcia mens flecti conſtans ſtat in ordine recti.
Hoſtia fit grata caro pectinibus lacerata.
Doctorem verum ſequitur cætus mulierum.
Caduntur dira mulieres præſidis ira.
Ecce cruor fuſus dulces cœli capit uſus.
Mente manet tutus duro cuſtode ſolutus.
Hic non terretur, nec verba ſuperba veretur.
Per vitam mundam premit ut Petrus maris undam.
Quod petis implebo rata ſint tua vota iubebo.
Eſt decollatus charis pueris comitatus.
Hic victor fortis recubat poſt debita mortis.
Has pro te Chriſte pœnas lætus tulit iſte.

S. VINCENTII vita itidem 23. figuris totidemque verſibus illuſtrata exhibetur, & quandoque fit mentio de S. VALERIO Ep. & M.

Ordine Levita ſua perficit omnia rite.
Per vim ducuntur ſancti ſimul & rapiuntur.

plumaria opereque textrino, quem locum Fontaninus de diſco veterum Chriſtianorum diſcutiens, artem plumariam nihil aliud fuiſſe putat, quam artem ornandi, ope ſcilicet acus & diſtinguendi variis imaginibus aliisque florum, fructuum &c. telam iam contextam, ipſamque interdum coloribus variatam. Eundem locum Muratorius examinat, ubi ex profeſſo de arte acu pingendi texendique agit, variasque de arte plumaria affert ſententias. Ad rem vero præſentem imprimis facit quæſtio, quam ad Anastasium agitat, qui in vitis pontificum toties vela picta, veſtes pictas memorat, recte autem exiſtimat non pictoris manu, ſed ope textrinæ, aut fortaſſis etiam phrygio opere hiſtorias eiusmodi fuiſſe telis ac pannis contextas ſive intextas. Ita etiam abbas Sarti ſentit, artis plumariæ nomine ſequiorem ætatem appellaſſe utramque artem & acu pingendi & texendi, veterem caſulam diptycham verſuns ſic appellatam, quod in ea epiſcoporum *Veronenſium*, Sanctorum item imagines ſint expreſſæ, quorum nomina in eccleſia *Veronenſi* ſacris diptychis inſerta publiceque in ſacrificio miſſæ perlecta fuerunt. „In ea igitur (verbis Sarti utor) opere phrygio pictæ erant, in totidem orbiculis, ſingulæ imagines, quæ eam caſulam ornabant, epiſcoporum ſcilicet *Veronenſium* quinque & triginta; tum SS. Firmi & Rustici martyrum eius eccleſiæ; dein SS. Archangelorum Michaelis & Gabrielis. Quæ quidem angelorum nomina haud ſcio an unquam ad diptycha ſint relata, aut quomodo inter vivos vel mortuos referri potuerint.“ Sed id nunc nobis non agitur, qui de veſtibus imaginatis tractamus, quas inter certe principem locum caſula habet illa *Claſſenſis*, cuius hodie laciniæ tantum quædam ſuperſunt, integram vero adhuc deſcribit *Hieronymus* Rubeus in Hiſtor. *Ravennat.* ad an. 515. eamque e ſerico textam eſſe teſtatur, in cuius anteriori parte intra duas lineas ſurſum, ac deorſum recta deductas, deſcripta opere *phrygio* in circulis habet hæc nomina Sigibertus &c. At olim imagines etiam intextas artificioſe fuiſ-

T. II. antiq. Ital. diſſert. 25.

De vet. caſula dipt. c. 4.

Lib. III. pag. 136. apud laud. Sarti p. 3.

ſe

Intrepidi perſtant fidei robur quoque præſtant.
Ecce catenati ſunt ſed non mente ligati.
Carcere clauduntur iuſti, ferroque premuntur.
Hi non terrentur dum te pie Chriſte fatentur.
Redditur hic exul pro Chriſti nomine præſul. (S. Valerius Ep.)
Hic male tractatus crudeliter eſt laceratus.
Subditur inſignis martyr cruciatibus ignis.
Ut ſic aſſatus velut aurum nempe probatus.
Suſtinet hic teſtas ut cogit iniqua poteſtas.
Nuncius e cælis mentem levat ecce fidelis.
Martyr ſacrandus deportatur medicandus.
Hic victor fortis perſolvit debita mortis.
Dicunt tortores divini teſtis honores.
Defendit corvus ne lædat bellua corpus.
Mergitur in flumen ſed adeſt Chriſti ſibi lumen.
Femina quæ credit voci monitoris obedit.
Quæ facit aptari lituſque ſibi famulari.
Vir non curavit vaga ſomnia, qui dubitavit
Martyrio pulchrum ſanctus capit iſte ſepulchrum.
Claudus curari properat membriſque levari.
Hunc credentes puerum ducere parentes.

ſe conſtat, in Oriente præſertim (unde qua ratione ea ars ad nos derivata ſit, oſtendit laudatus MURATORIUS) ut videre eſt apud *Ioannem* CIAMPINI, qui duo apud veteres diſtinguit texendi genera, unum ſedendo ac deorſum, id eſt tramam ad inferiorem partem ſpata (a ſimilitudine gladii ſic dicta) loco pectinis nunc uſitati, trudendo, unamque ſimplicem telam tantummodo abſolvebant, ut videre eſt in Tab. XXXV. fig. 2. apud eundem. Alterum vero quod apud nos in deſuetudinem abiit, antiquis tamen uſitatiſſimum erat hoc: illi, qui texebant, ſtabant, telamque producebant ab uno latere ad aliud, tramam ſurſum, id eſt ab inferioribus ad ſuperiora ducendo. Agit ibidem de gammadiis, quarum veſtium ſæpius meminit ANASTASIUS, quæ ex ſententia *Benedicti* MELLINI CHRISTINÆ reginæ *Suecorum* nihil aliud erant, quam crucium figuræ ex quatuor gammatis compoſitæ videlicet ┘└ ┐┌ tam in profanis, quam in ſacris veſtibus textæ, ut etiam hodie in ſuis caſulis habent *Græci* atque etiam quadantenus in antiquiore noſtra caſula cernuntur.

Vet. monim. P. I. c. 13. p. 93. Ib. p. 104.

Qua de re quidquid ſit, quod CIAMPINI examinat, veſtes eiuſmodi *Stauracinæ* vocari ſolent, in quibus cruces intertextæ uſu præſertim in Oriente frequentiſſimo. Talem ſtolam duplo, quam ſint noſtræ, ampliorem in noſtro theſauro poſſedimus, ex Orientis partibus olim allatam: quæ ita eſt conformata, ut apud nos diaconi geſtare ſolent ex ſcapula per transverſum pendentem. In actis Concilii *Nicæni* II. adverſus *iconoclaſtas* imaginum fit mentio in ſacris vaſis & veſtibus, atque edictum ſeu epiſtola memoratur IZIDIS *Saracenorum* Caliphæ: *qua omnem imaginem & picturam, ſive ea in tabulis ſive in opere muſaico in parietibus, ſive in vaſis ſacris, aut indumentis & altaribus ſit, & quæcumque in chriſtianorum eccleſiis reperitur, deleri, expungi & ex toto ſubverti* mandavit. Decernunt autem Patres, divinitus inſpiratum ſanctorum patrum magiſterium & catholicæ eccleſiæ traditionem ſequentes, proponendas venerabiles ac ſanctas imagines, tam quæ coloribus & teſſellis, quam quæ ex alia materia congruenter in ſanctis Dei eccleſiis & ſacris vaſis, & veſtibus &c. exprimuntur. Apud ANASTASIUM paſſim eiuſmodi, ut diximus, veſtes ſacræ memorantur, a diverſis *Rom.* pontificibus ſuppeditatæ ad ornatum *Romanæ* eccleſiæ. Supraque mentionem fecimus caſulæ a LEONE IX. *Metis*, baſilicæ *S. Arnulphi*, quam dedicaverat, donatæ, quam deſcripſit RUINARTUS in itinere *Alſatico* & *Lotharingico*: circa collum acu depictæ ſunt undecim figuræ totidem circulis incluſæ, auro & gemmis ornatæ. Duplex eſt ab ea parte, quæ collo immittitur, ad infimum uſque faſcia acu pariter facta, una ſcilicet ſupra pectus, altera vero in dorſo. In anteriore tribus digitis lata repræſentatur Chriſtus Dominus throno

Act. V. T. VIII. conc. ed. Ven. pag. 1206.

T. III. opp. poſthum. Mabill. pag. 477.

no inſidens cum his litteris A Ω. Inferius extat S. Petri figura cum his litteris S. Petrus. Tum Seraphim cum hac voce: *Seraphym.* Deinde ſanctus Paulus, & tandem alter ſeraphim cum ſuis inſcriptionibus. Poſterior faſcia uno demidigito ſtrictior, in ſuprema eius parte hæc legitur inſcriptio litteris *Romanis*, duas in lineas diviſa acu exarata. ✠ *S. Ungrorum R. E.* Gisla *dilecta ſibi coniunx mittunt hæc munera domno apoſtolico* Ioanni. Infra hanc inſcriptionem decem ſunt apoſtolorum figuræ cum eorum nominibus. Ii ſunt SS. Petrus, Paulus, Andreas, Iacobus, Thomas, Thaddæus, Simon, Iacobus, Mathias, & alius, cuius nomen legi nequit. Huc pertinent caſulæ, quas Ekkehardus ab Immone abbate fieri curatas memorat: „ Unam in qua aſcenſio Domini auro intexta eſt, & alteram, quæ diverſas figuras deſuper in medio & in imagine ſimili modo præfert intextas: quam tamen, ut adhuc videre eſt, immatura morte præventus, non perfecit.“ *Domin.* Georgius lib. II. de Liturgia ſumm. pontif. c. 8. de veſtibus effigiatis pluribus agit, in quibus tum veteris cum novi teſtamenti hiſtoriæ Chriſti, Deiparæ & Sanctorum imagines, facta, & hiſtoriæ imo etiam animalium ac planetarum variæ ſpecies exprimi tum in veſtibus cum aulæis conſueverunt.

De caſibus S. Galli apud Gold. T. I Rer. Alem. p. 43. & 62.

Color ſacrarum veſtium.

XXVIII. Poſtremo aliqua etiam mentio iniicienda eſt diverſi in ſacris veſtibus coloris. De quibus ita habes in chronico *Moguntino* Conradi epiſcopi. „ Inter caſulas autem ſic de quolibet colore duo paria: duæ nigræ aurifrigiatæ, & eiusdem operis duæ dalmaticæ & duo ſubtilia, latis aurifrigiis ornata: & hæc omnia valde bona. Item duæ caſulæ de ſamito albo, & eiusdem fili dalmaticæ duæ: Subtilia duo cum auro ornata: omnia valde bona. Item duæ caſulæ de viridi ſamito & tot Dalmaticæ & ſubtilia aurifrigiata valde bona. Item duæ caſulæ de croceo ſamito, tot dalmaticæ, & ſubtilia valde bona.“ Nihil hic de violaceo colore. Paullo quidem poſt recenſentur: *Item multæ tunicæ diverſorum colorum videlicet rubei, viridis & violacei coloris, virgulatæ, crocei, albi, quibus utebantur miniſtri altarium & acolythi & chriſmatis portatores.* Ne hæc de tunicis ſubdiaconorum ſumeremus prohibet *ſubtilium* hoc nomine recenſio eo ſignificatu: cum tamen nec caſula ulla aut dalmatica violacei coloris nominetur; indicium eſt colorem hunc in eccleſia *Moguntina*, quæ metropolis eſt maioris *Alemanniæ* partis in uſu tunc haud fuiſſe, qui teſte Georgio coniunctus adeo fuit antiquitus cum colore nigro, ut pro uno eodemque ab eccleſia *Romana* ſumeretur in divinis officiis, ut alterutrius idem eſſet uſus, diebus mæſtitiæ & pœnitentiæ præſtitutis. Sed potius ad hunc uſum puto fuiſſe

De liturg. Rom. Pont. lib. II. c. 12.

veſtes

veſtes ſacras, quas Conradus nominat *de croceo colore*, de quo vix in veteribus monumentis fit mentio, rarius etiam viridis, quem cum nuſpiam memorari dixiſſet Vicecomes lib. I. de miſſæ apparatu c. 12., inter alia in contrarium monumenta Georgius etiam viridem dalmaticam S. Pirminii epiſcopi *Metenſis*, ut opinio eſt a Gregorio II. ordinati, memorat ex *Andrea* Saussaio in panoplia Cleric. P. II. lib. IV. act. 3. potuiſſetque etiam Conradi noſtri adducere teſtimonium, quod alibi non omittit. Cum Conrado convenit Innocentius III. *Quatuor autem* (inquit) *ſunt principales colores, quibus ſecundum proprietatem dierum ſacras veſtes eccleſia Romana diſtinguit, albus, rubeus, niger & viridis.* Et poſtquam expoſuit, quibus quilibet color feſtis in uſu ſit in eccleſia, ſubdit: *Ad hos quatuor cæteri referuntur. Ad rubeum color coccineus, ad nigrum violaceus, ad viridem croceus. Quamvis nonnulli roſas ad martyres, crocum ad confeſſores, lilium ad virgines referant.* Solertiſſimus abbas *Maurus* Sarti colorum in ſacris veſtibus uſitatorum varietatem in caſula ſua diptycha diſtinguit: Michaelis *archangeli rubea eſt veſtis. Sancti martyris* Firmi *viridis, atque hanc colorum alternationem cernere licet in veſtibus cæterorum, qui in noſtris laciniis ſuperſunt. Unus eſt* Innocentius *caſula violacea indutus.* Inceſſit etiam Vicecomitem, quod nullam viridis coloris mentionem in antiquis monumentis eccleſiaſticis reperiri ſcripſit. Remque concludit inſigni Bachiarii monachi loco, ex quo eluceſcit, quæ fuerit exiſtimatio de eorum myſtica ſignificatione inde a quarto Chriſti ſæculo. Sic vero ille in extremo libro *de reparatione lapſi* ad Ianuarium: „Et tu ergo lava ſtolam tuam in fonte lacrimarum: fortaſſe poteris byſſum caſtitatis imitari. Quid ſi donaverit tibi (Deus) purpuram, & ut pro nomine eius ſuccum tui cruoris effundas! Coccum autem abundare tibi poterit, ſi erubueris in iis, quæ antea geſſiſti. Nec deerit tibi hyacinthus, ſi livore obcalueris corpus tuum, & in ſervitutem redegeris. Ac ſic cum his coloribus fortaſſe poteris in tabernaculum Domini miſceri quandoque.“

De liturg. Rom. Pont. lib. II. c. 13.

Myſteriorum Miſſæ lib. I. c. 65.

De vet. caſula dipt. c. 5. p. 41. ſeq.

DIS-

DISQUISITIO IV.

DE CELEBRATIONE SACRIFICII MISSÆ.

CAPUT I.

De Miſſarum generibus, ritibus, lingua, hora.

I.

De miſſæ nomine

RABANO *Mauro* teſte: „Miſſa eſt tempore ſacrificii, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: *Si quis catechumenus remanſit, exeat foras*: & inde miſſa, quia ſacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur.“ Sunt quidem, qui vocem miſſæ derivent ab hebræa voce מעשה, quæ *opus* ſignificat, ut reſpondeat vocabulo græco λειτουργία, qua κατ' ἐξοχὴν apud *Græcos* ſacrificium miſſæ denotatur τελεία λειτουργία dictum, ſeu perfectum ſacrificium a miſſa præſanctificatorum diſtinctum. Sed recte miſſæ originatio ſtatuitur dimiſſio ἀπόλυσις.

De inſtitut. Cleric. c. 32.

Lib. VI. orig. c. 16.

Miſſa (inquit S. ISIDORUS *Hiſpalenſis*) *tempore ſacrificii eſt, quando catechumeni foras mittuntur, clamante levita: ſi quis catechumenus remanſit, exeat foras, & inde miſſa eſt.* Sic S. AUGUSTINUS ſerm. 297. *Ecce* (inquit) *poſt ſermonem, ſit miſſa catechumenis, manebunt fideles, venitur ad locum orationis*: Sic miſſa catechumenorum & miſſa fidelium, ut poſt-

ea

ea dicemus, diſtinguitur a dimiſſione ſcilicet catechumenorum vel fidelium, quemadmodum ex adverſo etiam *collecta* συνάξις fuit dicta a colligendo.

Hinc congruit miſſarum & collectarum nomen, item collectam facere vel collectas, prout in actis MM. & in breviculo collationis cum *Donatiſtis* apud S. AUGUSTINUM habetur, & miſſam ſeu miſſas facere vel celebrare græce συνάξεις ποιεῖν. [Collat. diei III. n. 32.] In libris liturgicis dicitur quandoque *collecta populi* ad S. ANASTASIAM e. c. [n. 35.] *Collecta fit*, ut habet ordo BENEDICTI Canonici, *ſecunda feria*, *quarta*, & *ſexta*, & *ſabbato per totam quadrageſimam.* Iuxta Micrologum ſpecialiter quidem prima oratio in miſſa collecta dicitur cap. 3. at etiam aliæ orationes collectiones ſeu collectæ, uti etiam miſſæ ſunt dictæ in quavis ſynaxi. Sic in concilio *Agathenſi*: [Can. 30.] *in concluſione matutinarum vel veſpertinarum miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dici & plebem collecta oratione ad veſperam cum benedictione dimitti.* In capitularibus regum *Francorum* paſſim miſſæ nomen occurrit pro ipſo feſto die. E. g. Miſſa S. IOANNIS, S. ANDREÆ, S. IULIANI, S. MARTINI, S. REMIGII &c. In decret. precum quarumdam epiſcop. pro rege ſæc. VIII. [Capitul. T. I. p. 206.] *Hæc omnia ſi Deo placuerit pro domno rege & pro exercitu Francorum, & præſente tribulatione Miſſa* S. IOANNIS *ſint completa.* Quæ miſſa paſſim in Capitularibus memoratur. In Capitul. LUDOVICI *Pii: ut* (pontes) *ad miſſam* S. ANDREÆ *reſtaurati fiant.* [T. I. Capit. 639. c. 39.] In Capitulari CAROLI *Calvi* an. 864. „ut ab ipſa miſſa S. MARTINI per omne regnum noſtrum non niſi iſtius noſtræ novæ monetæ meri & bene penſantes denarii accipiantur.“ [T. II. Capit. p. 178. c. 10.] Et poſtea: „Ut nullus deinceps in regno noſtro mixturam auri vel argenti ad vendendum facere, vel conſentire præſumat. [T. II. Capit. p. 185. c. 23.] Et nullus a miſſa S. REMIGII, id eſt a proximis Kalendis *Octobris*, aurum vel argentum ad vendendum vel emendum niſi purificatum proferat.“ Iterum: „Qui lucrum de vineis in illis partibus promeruerit, [pag. 189. c. 31.] octo dies poſt miſſam S. REMIGII in iſtas partes iam ſit perventus, & ſibi in iſtis partibus in futurum provideat, & ſuo ſeniori ſerviat. Et ſi neceſſe illi fuerit, ad miſſam S. MARTINI ad ſuum conductum in illas partes redeat.“ Antiquæ conſuetud. *Germanniæ* Mſſ. apud MARTENIUM n. 30. ita decernunt: *Diebus dominicis, & feſtis ab ipſis calendis Octobris uſque in miſſam* S. MARTINI e. c. In concilio *Salegunſtad.* an. 1022. ſtatuitur: [T. III. Conc. Germ. p. 57.] ut *miſſa* S. UDALRICI *confeſſoris ſolempniter celebretur.* Viſum eſt *Gabr.* ALBASPINÆO miſſam dici a nomine *Meſs*, *quod apud gentes ſeptentrionales ſignificat feſtum ſeu congregationem.* [Lib. II. de Sacr. euch. c. 3.]

Solent hodieque apud nos celebriores nundinæ hoc nomine venire, ratione congruentiori, quam iam VADIANUS annotavit: *Quia multis in* [De vet. Ger. monaſt. L. I.]

 locis

locis ſtatæ & annuæ nundinæ feſtis diebus annectuntur, idque ob populi frequentiam ad miſſas celebriores confluentis. Itaque dicendum eſt, ſucceſſu temporis poſthabitum fuiſſe, quod fuerat præcipuum, locumque dederat huic denominationi. Unde adhucdum vulgo dicitur *Francfurter-Meſs*, *Strasburger-Meſs*, *Zurzacher-Meſs*, præcipuis aliquibus feſtis Domini vel Sanctorum veluti Paſchæ, Pentecoſtes, S. VERENÆ nundinis eiuſcemodi affigi ſolitis, indeque fluxit uſus, ut ipſæ eiuſcemodi nundinæ ſeu mercatus miſſæ *Meſs* dicerentur, quod alii a vernaculo *Meſs*, menſura in metiendis mercibus, gratis derivant. Antiquiſſimis iam temporibus in Orientali etiam eccleſia ſtatis diebus feſtis conventibusque ſacris nundinas fuiſſe ſociatas, ſed improbatas, palam fit ex regulis fuſius tractatis S. BASILII, a) reſponſione nimirum ad interrogationem XL. *de nundinis, quæ fiunt in conventibus*, in hanc probe notandam ſententiam: „Verum enim vero, nec eas quidem nundinationes, quæ in locis, ubi martyres coluntur, fiunt, nobis convenire oſtendit ſcriptura. Non enim alius cuiusquam rei gratia in martyriis aut locis adiacentibus decet Chriſtianos reperiri, quam orandi cauſa, & ut Sanctorum conſtantiam, qui pro pietate ad mortem uſque decertarunt, in memoriam revocantes, ad ſimilem æmulationem incitentur, meminerintque perquam horrendæ iræ Domini, qui cum & ſemper & ubique mitis eſſet & humilis corde, uti ſcriptum eſt, in eos ſolos, qui circum templum vendebant, emebantque, flagellum intendit, tanquam ſi mercatura precationis domum in latronum ſpeluncam transmutaſſet. Neque vero, quoniam alii iam eam, quæ apud ſanctos obtinebat, conſuetudinem violavere, qui cum pro ſe invicem orare debuiſſent, & una cum pluribus Deum adorare, & cum lacrymis implorare, ipſumque pro peccatis propitium reddere, gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis ſeſe ædificare (quod adhuc noſtra etiam memoria uſitatum & obſervatum fuiſſe novimus) pro his omnibus forum, nundinasque, ac commune emporium & tempus illud & locum afficiunt, continuo nos etiam hos imitari par eſt, eiusque rei participatione abſurda & inepta confirmare: ſed nobis eos conventus ad imitandum proponere debemus, qui de Domino noſtro in evangeliis narrantur, apoſtolicaque mandata, tanquam quæ ad hanc agendi rationem conducant, perficere. Ita autem ſcribit: *cum convenitis, unusquisque veſtrum*

a) Regulas has unaque breviores vindicat S. BASILIO P. *Iulianus* GARNIER, ex Congregatione *S. Mauri* in nov. edit. cum pauci quidem fuerint, qui fuſiores has ei abiudicarint, plures qui breviores: in quibus vero Interrogatione CIII. ad illas provocatur T. II. p. 451. his verbis: *De his enucleate dictum eſt in latiore reſponſione.* Habeturque ad rem reſponſio ſupra ad Interrogationem XXVII. inter regulas fuſius tractatas p. 371.

ſtrum pſalmum habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant."

II. In concilio *Chalcedon.* Act. XI. BASSIANUS referens, quomodo ſede ſua *Epheſina* ſit detruſus: *Craſtina* (inquit) *die, miſſas celebravimus omnes ſimul* [illegible] *poſt miſſas manus iniecerunt in me.* Idque acerbius tulit de STEPHANO in eius locum intruſo: STEPHANUS *presbyter meus fuit*, inquit, *quatuor annis miſſas mecum celebrabat, mecum communicabat.* Conſuetudinem hanc adhuc in eccleſia *Græca* perſeverare *Robert.* DE SALA in lib. I. c. 18. Rer. lit. Card. BONA probat. Ex antiquis canonibus diſcimus, ad præcipua quædam feſta ruralem quoque clerum concurrere in civitatem debuiſſe, veluti ad principem eccleſiam, & ad pontificalem miſſam clerus civitatenſis conveniebat. Additione IV. Capitul. apud BALUZIUM habetur titulus c. 92. *ut presbyteri ad tractanda eorum miniſteria ad civitatem veniant. Ut presbyteri ſingillatim ſub diſpoſitione epiſcopi in civitatibus veniant ad tractanda miniſteria.* Quod exemplô *Romanæ* eccleſiæ ſolemni olim pompa & celebritate eſt factum. „Mos eſt (inquit AMALARIUS) *Romanæ* eccleſiæ, ut in confectione immolationis Chriſti adſint presbyteri, & ſimul cum pontifice verbis & manibus conficiant." Quæſtionem inſtituit INNOCENTIUS III. de diverſis ſaccerdotibus ſuper eandem oblatam conſecrantibus. *Cum autem interdum* (inquit) *uni pontifici multi ſacerdotes concelebrent, ſi forte non omnes ſimul conſecratoria verba pronuntient, quæritur an ille ſolus conficiat, qui primus pronuntiat?* Putat autem probabiliter reſponderi poſſe, quod ſive prius ſive poſterius eadem proferant ſacerdotes, referri debeat eorum intentio ad inſtans prolationis epiſcopi, cui principaliter celebranti concelebrant, & tunc omnes ſimul conſecrant, & conficiunt. In exemplum adducit miſſam papalem: *Conſueverunt autem presbyteri Cardinales Romanum circumſtare pontificem, & cum eo pariter celebrare; quumque conſummatum eſt ſacrificium de manu eius communionem accipere.* Idem circa id temporis teſtatur *Iacobus* de VITRIACO: *Conſueverunt presbyteri Cardinales ſummo pontifici in ſacramento altaris aſſiſtere, & cum eo pariter celebrare.* In appendice ad ord. I. *Rom.* ſic in hanc rem habetur: „In diebus feſtis, id eſt, Paſchæ, Pentecoſtes, S. PETRI, Nativitatis Domini, per has quatuor ſolemnitates habent colligendas presbyteri Cardinales, unusquisque tenens corporalem in manu ſua: & venit archidiaconus & porrigit unicuique eorum oblatas tres. Et accedente pontifice ad altare, dextra lævaque circumdant altare, & ſimul cum illo canonem dicunt, tenentes oblatas in manibus, non ſuper altare, ut vox pontificis valentius audiatur, & ſimul

Miſſa ſolemnis cum Symmiſtis.

Lib. I. de off. eccl. c. 12.

Lib. IV. Myſter. miſſæ c. 25.

Hiſt. occident. c. 38.

pag. 29.

conſecrant corpus & ſanguinem domini; ſed tantum pontifex facit ſuper altare crucem dextra lævaque.“ Eſt hic ipſiſſimus ordo, qui etiamnum in ordinatione ſacra presbyterorum ſolet teneri, præterquam quod presbyteri Cardinales ſingillatim ſuas oblatas teneant & quidem tres. Unam pro ſua communione, alias duas pro fermento ſacro reſervaſſe conjectat MABILLONIUS præfat. in T. II. Muſæi *Ital.* ubi ex [illegible] loco retractat, quæ commentario in ord. *Rom.* p. LIII. circa hanc rem dixerat: „Ex hoc inſigni loco (inquit) qui nobis ſuo loco exciderat, colligimus, presbyteros illos conſecraſſe tres illas, quas in manibus habebant hoſtias: tametſi eas non ipſi, ſed ſolus pontifex cruce ſignabat. An vero etiam ſanguinem ſeorſim conſecrarent, iudicet lector ex proxime ſubiunctis verbis: *cum acolythi acceperint hoſtias ab archidiacono de altare, vadunt ad presbyteros accipientes calices tres, qui priores ſunt.* Etſi enim de calicibus miniſterialibus explicari poteſt hic locus: congruentius tamen de calicibus conſecrandis fortaſſe exponi poterit, quod aliorum iudicio ſubiicimus.“

T. II. Conc. Germ. p. 642. Alia paullo ante occaſione retuli privilegium, quod IOANNES XIII. S. ADALBERTO, primo *Magdeburgenſium* archiepiſcopo conceſſit: Cæterum more *Romanæ* eccleſiæ eccleſiam tuam duodecim presbyteros, & viginti quatuor ſubdiaconos Cardinales, qui ſandaliis & liſinis utantur, habere volumus: ſuper hoc vero eisdem presbyteris & abbatibus eccleſiæ *S. Ioannis Baptiſtæ* in ſuburbio eiusdem civitatis conſtructæ, tunicis uti concedimus. Quibus exceptis, & epiſcopis ſuper altare in honorem beati *Mauritii* dedicatum miſſam celebrare aliquis nullo modo præſumat.“ Vetus eſt obſervantia, de qua etiam in pontificali *Moguntino* apud MENARDUM: *T. I. de Rit. eccl. p. 567.* „Quod ſuper altare, ubi epiſcopus in privato vel ſolemniter miſſam dicit, illa die nullus presbyter ſimplex deſuper celebrare debet, nec conſuevit.“ Quæ forte originem ſuam duxit ex illo veteri more concelebrandi in miſſa pontificali, qui licet in laudato privilegio IOANNIS XIII. non exprimatur, videtur tamen ſubintelligi. Quod apertius EUGENIUS III. anno 1151. ARNOLDO archiepiſcopo *Colonienſi* conceſſit: „Ut ſeptem idonei presbyteri Cardinales in prædicta eccleſia ordinentur, qui induti dalmaticis & mitris ornati, ad principalia duo altaria eiusdem eccleſiæ cum totidem diaconibus & ſubdiaconibus, quibus ſandaliorum uſum concedimus, miſſarum ſolemnia in feſtivis diebus tantummodo adminiſtrent.“

Exempla plura eiusmodi in *Galliis* notata ſunt apud DE MOLEON in *pag. 17.* *Itinere liturgico*: e. g. de eccleſia *S. Mauricii Viennæ* ſex presbyteros ſuburbanos non ita pridem recitaſſe Canonem cum epiſcopo, atque etiam ſimul ritus feciſſe, ut habetur ex ordinario anno 1524. „Suburbani ſigna

faciant

faciant durante miſſa ad modum epiſcopi; & ſic in omnibus aliis maioribus feſtivitatibus. Nimirum hæc notantur ad feſtum Nativitatis Domini: in qua, uti & in paſchate ac pentecoſte obſervat De Moleon *Lugduni* *pag.* 47.
in eccleſia *S. Ioannis* archiepiſcopum habere ſex ſymmiſtas, qui ſimul celebrent. De eccleſia *S. Stephani Senis* iam ſupra memoravi duodecim aſſiſtere presbyteros in annualibus feſtis ac die Cœnæ dominicæ, quando non *pag.* 172.
ſolum verba conſecrationis cum Canone pronunciant, ſed etiam cerimonias ac ſigna crucis ſimul faciunt, ſub una tamen tantum communicant ſpecie. In eccleſia vero *Aurelianenſi* totidem presbyteri aſſiſtentes ſunt, *pag.* 181.
functiones tamen nullas obeunt. Eiusmodi miſſæ ſolemnis ritus habetur in miſſa Illyrici, comitantibus presbyteris cum miniſtris & clero archie- *T. V. Theſ.*
piſcopum in Pallio celebrantem. Miſſæ *Gallicanæ* archiepiſcopalis expo- *N. p.* 97.
ſitio eſt apud Martenium ep. I. *In qua ſolemnis ordo brevi declaratus oſtenditur, quatenus in ſecutura epiſtola de commune officio, donante Domino pluribus pandatur.* Ibi pallii fit mentio. In concilio *Matisconenſi* ſcilicet ſtatuitur canone 6. *Archiepiſcopus ſine pallio miſſas non celebret.* Gregorius III. S. Bonifacio indulget pallium, quando miſſam celebrat.

III. Quales nos habemus miſſæ ordines ex codicibus *San-Blaſiano* 800. *Miſſa publica.*
& *San-Gallenſi* 700. annorum, minus ſolemnes ſunt, nec tanto etiam precum privatarum ſacerdotis conſtant apparatu; illis ſimiles, quos Menar- *T. I. p.* 86.
dus cum ſacramentario *Gregoriano*, Martenius de Ritibus eccleſiæ, & Muratorius de Liturgia *Romana* edidit ritus miſſæ quotidianæ, publicæ ſcilicet, quamque Strabo legitimam vocat. „Quamvis autem (inquit) *De rebus*
cum ſoli ſacerdotes miſſas celebrant, intelligi poſſit illos eiusdem actionis *eccl. c.* 22.
eſſe cooperatores, pro quibus tunc ipſa celebrantur officia, & quorum perſonam in quibusdam reſponſionibus ſacerdos exequitur; tamen fatendum eſt, illam eſſe legitimam miſſam, cui interſunt ſacerdoti reſpondentes, offerentes atque communicantes, ſicut ipſa compoſitio precum evidenti ratione demonſtrat. „Verum (inquit *Steph.* Durantus) quæ ſint miſſæ *L. II. de*
publicæ, quæ item privatæ non omnes conveniunt. Nonnulli, quos *rit. eccl.*
Lutherani ſequuntur, commenti ſunt miſſam publicam eam eſſe, in qua populus communicat. Privatam vero, in qua nullus præter ſacerdotem communicat, eamque reiiciendam eſſe, quaſi veteribus & priſcis patribus incognitam.“ Quam dum confutaſſet ſententiam, recte dupliciter miſſam publicam diſtinguit: „Quandoque (inquit) quia totius eccleſiæ nomine a miniſtro publico celebratur, eoque nomine omnis miſſa publica eſt, & commune ſacerdotis & plebis chriſtianæ ſacrificium, quod & Canon miſſæ aperte indicat: *Memento Domine omnium circumſtantium.* Et poſtea:

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, hoc eſt eccleſiæ. Rurſus: *Unde & memores nos ſervi tui & plebs tua.* Quandoque miſſa publica dicitur, quia fit in publico loco, & populi conventu, & tum ſecernitur a peculiaribus & ſolitariis.“ Non igitur locus ſolus miſſam publicam facit, ſed chriſtiani populi conventus. Quod temporibus perſecutionum etiam in cryptis ac privatis domibus uſuvenit. Sic
pag. 413. apud RUINARTUM in actis S. SATURNINI & ſociorum martyrum *Abitinenſium* de S. DATIVO refertur: „Cum interrogatus, utrum in collecta fuiſſet, profitebatur, cum collecta fuiſſet, ſe ſuperveniſſe, & dominicum cum fratribus congrua religionis devotione celebraſſe. Deprehenſi fuerant celebrantes dominicum . . . SATURNINUS presbyter cum filiis quatuor, id eſt SATURNINO iuniore & FELICE lectoribus, MARIA ſanctimoniali, HILARIONE infante.“

In miniſterio altaris, uti alias ſemper cautum fuit, ita etiam in capitularibus regum *Francorum* ſtatuitur: *Quod non oporteat mulieres ad altare ingredi*, ut refertur in collect. ANSEGISI lib. I. cap. 17. ex Capitul. I. an. 789. citaturque concilium *Laodicenum.* Amplius vero in Capitulari AHYTONIS, epiſcopi *Baſileenſis* interdicitur, ut nec oblationes ad altare
T. II Conc. Germ. p. 19. deferant, quod alias indultum fuit, hodieque ritu *Ambroſiano* ſervatur. „Sexto decimo, ut unuſquiſque hoc provideat, ut mulieres ad altare non accedant, nec ipſæ Deo dicatæ in nullo miniſterio altaris intermiſceantur. Quodſi pallæ altaris lavandæ ſunt, a clericis abſtrahantur, & ad cancellos feminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter & presbyteri, cum oblata ab eisdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, & ad altare de-
Lib. IV. ep. 43. ferantur.“ Hoc præcipue ſpectavit S. GREGORIUS M. epiſt. ad CASTORIUM epiſcopum *Ariminenſem* prohibens in monaſteriis miſſas publicas fieri: „Ne in ſervorum Dei receſſibus occaſio præbeatur popularibus conventibus, ſimpliciores ex hoc animas plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat
Can. 81. frequentior quoque mulierum introitus.“ Quod in concilio *Lateranenſi*
L. VII. ep. 3. ſub CALIXTO II. repetitum eſt. Laudatus vero S. GREGORIUS epiſcopo *Neapolitano* præcipit, ut oratorium in monaſterio ædificet abſque miſſis publicis, quod & alibi ab eodem cavetur.

Nomen miſſæ publicæ in concilio *Agathenſi* & aliis occurrit, ex quibus unum hic recentius *Trevirenſe* an. 1549. memoro, ubi & *ſumma* dicitur,
T. XIX. Conc. nov. ed. Ven. p. 1446. uti in vernacula noſtra appellare ſolemus *das Hoch-Amt*, officium ſummum: „In miſſa publica & ſumma Præfatio, & oratio dominica non debent privatim dici, aut abrumpi. Ita & ſymbolum, & epiſtola & evangelium integre, diſtincte & clare cantari debent. Neque ferendum eſt, ut chorus verba ſacerdotis vel ſubdiaconi mox in ipſo lectionis veſtibulo interrum-

Digitized by Google

rumpens auſpicetur graduale, tractum, vel *Alleluia*, quaſi ſcilicet hoc ſatis, ſi adſtantes ſciant, cuius ſit lectio aut epiſtola."

Hic demum notandum eſt diſcrimen miſſæ matutinæ ac publicæ ritu monaſtico, ubique tum alibi, tum in noſtra *Alemannia* percrebreſcens, ut tam edita, quam manuſcripta monumenta innumera teſtantur. Unum affero ex vita S. Udalrici epiſc. *Auguſtani* ob id ſingulare, quod uno die S. Ioannis *Baptiſtæ*, quo, ut videbimus, alias id ſolemne fuit, tres fuerint celebratæ miſſæ ab eodem S. Pontifice iam morti proximo. *Nihilominus miſſam, quam anniverſariis ſolemnitatibus mane diluculo conſueverat cantare, potenter & caute explevit, illaque finita ſtatim publicam miſſam iniit, & devotiſſime Deo iuvante in finem ſtando glorioſe peregit.* (*Sec. V. Ord. S. Bened. p. 454.*) Ex libro miraculorum S. Columbani c. 2. conſtat poſt matutinos fuiſſe primam celebratam (*Sec. II. p. 44.*), alias vero poſt *Primam*, ut in Mſc. ordinis Dei ſæc. XIV. præſcribitur, & poſt *Tertiam* ſecunda publica.

Miſſa privata, aut etiam plures per diem.

IV. Miſſæ publicæ privata ſeu ſecreta opponitur. In concilio *Lambethenſi* an. 1282. peculiares ſeu familiares alio ſenſu dicuntur (*Can. 2.*), quam in concilio *Salengunſtadienſi* an. 1022. in quo cohibentur, qui *Miſſas peculiares, hoc eſt de S. Trinitate, aut de S. Michaele quotidie audiebant pro aliqua divinatione.* (*Can. 10.*) Diſcrimen hic facit luculentum capitulare eccleſiaſtici ordinis, quod inter monumenta liturgica ex cod. circ. ann. 1000. edimus. „In cœnobiis ſive in civitatibus vel in vicis, aut ubicumque ſacerdos miſſas celebravit, ſive dominicis, ſive cottidianis diebus, vel in aliis ſolemnitatibus tam Sanctorum, quam & reliquorum martyrum, ſive cum clero publice vel etiam cum duobus aut unum miniſtrum vel etiam ſi ſingulorum ſacrificium Deo obtulerit."

Quoad miſſas quidem privatas antiquioribus temporibus ex libris liturgicis palam eſt, non fuiſſe eandem tunc ac hodie rationem, cum omnia fere in variis libris fuerint diſperſa, collectæ, lectiones, cantus pro ſacerdote, miniſtris & choro, quæ ab uno ſacerdote in altari variis ex libris ſecundum ordinem commode tranſigi vix potuerunt. Fuerunt nihilominus antiquiſſimis temporibus miſſæ privatæ non raro in privatis etiam domibus, ut apud Card. Bonam videre eſt (*De reb. lit. L. I. c. 14.*), in canon. *Neocæſarienſi*, *Arvernenſi*, & capitul. Caroli M. a 789. vetitæ, quatenus officium ſeu miſſam publicam præſertim diebus dominicis impediebant. Apud Burchardum ceu ex dictis Augustini refertur: *Miſſæ peculiares in publico non ſunt celebrandæ per feſtos dies: ut per eas populus a publicis miſſarum ſolemnitatibus abſtrahatur, quia peſſimus uſus eſt apud quoſdam in dominicis diebus & aliis feſtivitatibus mox miſſam celebrare, quam quis* (*Lib. II. apud Caniſ. T. III. P. I. p. 397.*)

etſi

etſi pro defunctis ſit, cum audierit, diſcedat. Admonendus eſt populus, ut ante publicum peractumque officium canonice hora tertia celebrandum, ad cibum non accedat: ſed ad publicam miſſam, prædicationem auditurus conveniat. Additur in Capitulari incerti loci T. XI. Conc. *Venet.* p. 1388. *Et ſacerdotes per oratoria nequaquam miſſas, niſi tam caute ante ſecundam horam celebrent, ut populus a publicis ſolemnibus non abſtrahatur, ſed diverſi ſacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe ſunt, ſive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam miſſarum celebrationem convenient, exceptis Deo ſacratis fœminis, quibus mos eſt ad publicum non egredi, ſed clauſtris monaſterii contineri.*

Lib. III. c. 68. Apud eundem Burchardum ex concilio *Nanetenſi* c. 30. refertur: „Ut nullus presbyter ſolus præſumat miſſam cantare. Cui enim dicit: *Dominus vobiscum*, aut *ſurſum corda*, aut *gratias agamus Domino Deo noſtro*, cum nullus ſit, qui reſpondeat? aut in Canone, *& omnium circumſtantium*, quum nemo ſit? aut quem invitat ad orationem cum dicit: *Oremus*, quum nullus ſit, qui ſecum oret? aut ergo iſta penitus reticenda ſunt, & non erit perfectum ſacrificium, verum etiam incurret, quisquis ille eſt, illam terribilem ſententiam, *ſi quis tulerit de hoc, tollat Deus partem eius de libro vitæ*: aut ſi hæc muris & parietibus inſuſurraverit, ridiculoſum erit. Quapropter illa ridiculoſa ſuperſtitio maxime a monaſteriis monachorum exterminanda eſt. Prævideant autem prælati, ut presbyteri in cœnobiis & in aliis eccleſiis cooperatores habeant in celebratione miſſarum." Solitariæ omnino non privatæ hic prohibentur miſſæ, ut iisdem verbis contractius & præciſius in conc. *Mogunt.* an. 813. cavetur. „Nullus presbyter, ut nobis videtur, ſolus miſſam cantare valet recte. Quomodo enim dicit: *Dominus vobiscum*, vel *ſurſum corda* admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cum alius nemo cum eo ſit?" In concilio provinc. *Aſchaffenburgenſi* an. 1292. adhuc cavetur: *Verum quia plerumque & maxime in parochiis ruralibus hoc contigit, ut propter clericorum defectum ſacerdotes ſolos oporteat celebrare contra canonicas ſanctiones, inhibemus, ne presbyter ſine miniſtri ſuffragio divina officia & maxime miſſarum ſolempnia præſumat celebrare &c.* Ex paullo ante relato *Walafridi* Strabonis loco videtur poſſe colligi, id aliquando uſurpatum a nonnemine fuiſſe, ut ſolitariæ celebrarentur miſſæ: quæ, ut monuimus, a privatis ſunt diſtinguendæ, ac a ſecretis, quæ etiam *baſſæ* vocantur, ab *altis* diſtinctæ, quod ſine cantu, voce ſecreta ſeu baſſa leguntur, quod tamen etiam *cantare* nominabant medio ævo, ut oſtendi *de cantu & muſica eccleſiaſtica*, atque ad rem eſt, quod in Conſtitut. *Hirſaug.* habetur: *Sacerdos ſi privatam miſſam cantare voluerit,*

T. IV. Conc. Germ. p. 8.

T. I. p. 326.

Lib. I. c. 86.

rit,

rit, innuit converſo cum ſigno crucis, quod eſt ſignum cantandæ miſſæ. Plura ad rem præſentem habes apud P. HERRGOTT *de veteri diſciplina monaſtica.*

Frequentior, uti ex mox dictis colligere licet, iam eſſe cœperat miſſæ privatæ uſus, publicis etiam quandoque interdictis, partim ob frequentiam concurrentium populorum, partim ob cleri penuriam; illud enim privatarum miſſarum genus, quæ *baſſæ* vocantur, in eccleſiis ruralibus non poterat non obtinere. Ad miſſas tamen eiuſcemodi privatas unus ſaltem olim requirebatur clericus: ſic in Inquiſitione de his, quæ epiſcopus inquirere debeat per vicos, pagos, atque parochias ſuæ diœceſeos, hæc leguntur apud REGINONEM n. 26. *Si clericum habeat, qui legat epiſtolam, vel lectionem, & qui ad miſſam reſpondeat, & cum eo pſalmos cantet.* Apud BURCHARDUM & REGINONEM præſcribitur ex Capitulari THEODULPHI: *Unuſquisque presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui cantet, & epiſtolam & lectionem legat, & qui poſſit ſcholam tenere.* In ſermone ſynodali ſimilia habentur, ſed præter clericum etiam peritus ſæcularis admittitur: *Nullus extra eccleſiam per domos, aut in locis non cameratis miſſam cantet. Omnis presbyter clericum habeat aut ſæcularem, qui epiſtolam vel lectionem legat, & ad miſſam reſpondeat, & cum quo pſalmos cantet. Nullus ſolus miſſam cantet.* In concilio *Moguntino* an. 1310. cavetur: *Ne ſacerdotes in rure ſine miniſtro litterato celebrent aliquatenus divina.* Alibi defectus notatur, qui in ruralibus præſertim eccleſiis poteſt contingere: *Verum quia in parochiis ruralibus plurimum & maxime hoc contingit, quod propter defectum Clericorum ſacerdotes ſolos oporteat celebrare contra canonicas ſanctiones, inhibemus, ne presbyter ſine miniſtri ſuffragio divina officia & maxime miſſarum ſolemnia celebrare præſumat:* Ut modo ex conc. *Aſchaffenburg.* audivimus. Provocatur ibidem ad *Toletanum* canonem, pariter ac in concilio *Colonienſi* an. 1536. ob alias etiam cautelas hic neceſſarias, atque in laudato ante Conc. *Treverenſi* II. an. 1549. tactas. In concilio autem *Moguntino* eiusdem anni alia habetur cautio: *Ne deinceps concionis tempore aut ſub ſolemni miſſa, aliæ ſpeciales miſſæ celebrentur; ſed aut concionem & ſolemne ſacrum præcedant, aut in aliud tempus differantur, ne populus in diverſa diſtractus nulli ſacro aut concioni ſatis intendat.* Haud abs re erit, quæ apud CASSANDRUM ex epiſtola S. FRANCISCI ad ſacerdotes ſui ordinis referuntur, hic exſcribere: „Moneo præterea & exhortor vos in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum celebretur miſſa in die ſecundum formam *S. Romanæ* eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint ſacerdotes, ſic ſit per

T. II. Conc. Germ. pag. 439. — *Ibid. p. 471.* — *lib. II. c. 56.* — *T. XI. Conc. pag. 1076.* — *T. XIV. Conc. ed. Ven. pag. 1492.* — *T. XIX. Conc. ed. Ven. pag. 1228.* — *Ib. p. 1446.* — *Ib. p. 1420.* — *Liturgic. p. 85.*

amorem charitatis alter contentus audire celebrationem ſacerdotis alterius.“

Fuit hic antiquus cœnobiorum uſus, etiam poſtquam ſacerdotum numerus fuit auctus, ut certus ſaltem deſtinaretur numerus ad miſſas quasdam privatas legendas præter conventualem, & publicam. In capitulis monachorum ad *Augiam* directis habetur: *Tertio ut ſunt equidem cottidie ſex per brevem deputati Fratres ſacram offerentes oblationem, incipientes ab abbate omnes per ordinem, ſicut & nos aliquando fecimus.* Me haud refragante hæc ad oblationem ſymbolorum in miſſa publica ſeu ſolemni referri queant.

Laudantur tamen exempla monachorum ſacerdotum quotidie miſſam celebrantium, veluti in vita S. Goaris conf. *Erat ei ſolemnis conſuetudo, ut omni die miſſarum ſolemnia celebrans ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini pro ſtatu eccleſiæ offerret.* Et de S. Meinrado eremita pariter in eius vita: *Ipſe vero ſolitis orationibus incubans Miſſarum devote ſolemnia libabat creatori.* Quod ideo refero, ut pateat, miſſarum ſolemnia non ſtatim publicam miſſam deſignare, quam S. Meinradus in eremo utique celebrare haud potuit. Tantus autem fuit in hac re ardor, ut nec ægroti ab hoc more ceſſarent, quod in vita S. Wunebaldi narratur: „Et tunc poſt hoc non fuit longum, quod ille venerandus vir tam valde infirmus fuit, quod iam eccleſiam adire non poterat, ſed in uno latere Canimate (*Caminatæ*) eius iuſſit altare componere, & ibi, quando pro infirmitate poterat, ſacra miſſarum ſolemnia celebravit, qui prius, quando ægritudo illa non fuerat impedimentum, aut raro aut nunquam dies tranſiit, quin Miſſam non faceret.“ Et in vita S. Udalrici epiſc. *Auguſtani*, dum ægrotaret, refertur: *Poſt expletionem ſalutaris hoſtiæ, quam quotidie per ſe, quamvis viribus corporis valde deſtitutus eſſet, Deo perſolvere ſatagebat.*

Sæc. II. Ord. S. Bened. p. 282.
Sæc. IV. O. S. B. P. II. p. 67.
Apud Caniſ. T. II. P. I. p. 130.
Act. O.S.B. ſæc. V. p. 451.

De eodem autem ſano in eadem vita: *Miſſas autem tres, vel duas aut unam ſecundum ſpacium temporis cantare quotidie non deſiit, ſi infirmitas corporis, aut aliquod ſtudium bonum ei non ſubtraxit.* Nondum id ubique vetitum fuerat, atque conc. *Salegunſtadienſe* a. 1022. decrevit tantum, ut unusquisque presbyter in die non plures, quam tres miſſas celebrare præſumat. *Walafridus* Strabo ſingulari capite 21. de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum inquirit: *Utrum ſemel vel ſæpius in die offerre conveniat, & communicare?* Inter alia vero, „Revera (inquit) non eſſe abſurdum crediderim, ſi dum plures in una die faciendæ ſunt miſſæ, unus ſacerdos duas vel tres neceſſitate vel voluntate perſuadente celebret potius, quam quasdam dimittat. Ad hoc accedit, quod totius

pag. 426.
Can. 5. T. III. Conc. Germ. p. 56.

uſus

uſus eccleſiæ habet, ſæpius miſſas agere pro vivis, pro defunctis, pro eleemoſynis, & aliis diverſis cauſis, quod etiam officia his attributa teſtantur. In diebus itaque publica celebritate conſpicuis, aut illæ diverſarum rerum neceſſitates ſunt intermittendæ, aut concurrentibus ſibimet publica obſervatione & privata neceſſitate utriusque expletio ſuis eſt diſcernenda officiis, vel (quod ſuperius commemoravimus) una oblatione diverſæ cauſæ ſunt explendæ. Fidelium relatione virorum in noſtram uſque pervenit notitiam, Leonem P. III. (ſicut ipſe fatebatur) una die VII. aut IX. miſſarum ſolemnia ſæpius celebraſſe: Bonifacium vero archiepiſcopum & martyrem ſemel tantum per diem miſſas feciſſe: qui & non longe ante noſtra fuerunt tempora, & ambo tam ſcientia quam gradu præcipui.“ Apud Gratianum De Conſecr. diſt. 1. c. 53. refertur decretum Alexandri II. a. 1073. *ſufficit ſacerdoti unam miſſam in die una celebrare.* Notabilis eſt canon 7. Conc. *Herbipolenſis* a. 1287. de bina celebratione miſſarum. „Ad noſtrum pervenit auditum, quod nonnulli presbyteri, ignari quanti terroris exiſtat illicite tractare divina, quæ ſicut gloriam digne ſumta, ſic & indigne præſumta pœnam promittunt æternam, in eadem eccleſia, nulla neceſſitate urgente, ſed ad ſolum quæſtum, miſſam celebrant bis in die. Quod deteſtantes omnino ſub atteſtatione tremendi iudicii, in quo ab eis, ſi contra fecerint, requiratur, hac edictali conſtitutione ſingulis presbyteris inhibemus, ut niſi unam, aut duas in caſibus a iure conceſſis, in die cantare aut legere cum ſacrificii celebratione præſumant, & ſi ſecus fecerint ordinarii arbitrio acriter puniantur.“ Idem in aliis conciliis haud raro fuit decretum.

Subinde apud nonnullos abuſus inolevit miſſarum bifaciatarum, trifaciatarum, quadrifaciatarum: videlicet cum plures miſſæ diverſæ uſque ad Offertorium iterarentur, uno dein canone concluſæ, contra quas *Petrus* Cantor ſcribit in *verbo abbreviato.* Econtra miſſæ *ſiccæ* dicuntur, dum privatim preces miſſales dicuntur ex aliqua devotione ritibus ac conſecratione omiſſa. De qua ſacerdotale *Romanum Venetiis* ſæpe cum approbatione pontificia editum auctore P. *Alberto* Castellano: „Sunt & alii ſacerdotes, qui in Quadrageſima, vel aliis diebus, in quibus duæ miſſæ ſpeciales habentur, videlicet una de feſto, & alia de dominica vel feria, celebrata altera earum aliam pro devotione ſua legunt absque conſecratione, quod fieri licet hoc ordine. Data benedictione poſt miſſam celebratam & evangelio S. Ioannis lecto, celebrans deponat caſulam, & omnibus aliis paramentis retentis ſtans in cornu epiſtolæ verſus ad altare detecto capite legat abſolute ex miſſali Introitum alterius miſſæ, *Gloria in*

 excelſis,

excelſis, ſi illud in prima miſſa non dixit, & ſecundæ miſſæ conveniat &c.“ Agit deinde peculiariter de eadem miſſa ſicca in mari & fluminibus, item coram infirmo, vel alia perſona celebrari ſolita.

De miſſæ ritibus. V. Idem quoad ſubſtantiam publicæ ac privatæ miſſæ eſt ordo ac ritus, a quibus etiam, utpote nunquam non adhiberi ſolitis, ipſa ſacra noſtra nomen habuerunt antiquiſſimis temporibus. Veluti in actis S. SATURNINI & ſociorum DIOCLETIANI & MAXIMIANI edictum memoratur, *ut ritus ſacros, cœtusque ſanctiſſimos celebrari Domino prohiberet.* Studuitque ſemper eccleſia Θεῖον, ſeu divinum illud, quod in ſacris chriſtianis celebratur, auguſtis ritibus ornare. „Antiſtitum (inquit EUSEBIUS) abſolutiſſimæ (erant) cærimoniæ, & accurata ſacrificia ſacerdotum, & divini quidam auguſtique eccleſiæ ritus. Hinc pſalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auſcultantium, illinc divina & arcana obeuntium miniſteria.“ Agit is l. c. de eccleſia ex perſecutionibus emergente, LICINIO & MAXIMINO e medio ſublatis, quum mirum in modum cultus divinus excreſceret ſanctiſſimo utique inſtituto, & pro conditione humanæ naturæ neceſſario, quo ex corpore pariter ac anima conſtantes externis etiam indiciis obſervantiam noſtram in Deum, cultumque in divinis officiis declarare, ac ſupplices Deo fieri nos oportet. „Nam & orantes (inquit S. AUGUSTINUS) de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt: quamvis eorum inviſibilis voluntas & cordis intentio Deo nota ſit: nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; ſed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius atque ferventius. Et neſcio, quomodo, cum hi motus corporis fieri, niſi motu animi præcedente, non poſſint, eisdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: & per hoc cordis affectus, qui ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.“ Diſcimus ex antiquiſſimis monumentis, quantum circa huiusmodi exterioris cultus ſigna curatum fuerit in prima eccleſiæ ætate, E. g. de orantium ſitu ad Orientem, ne diebus dominicis de genibus, id eſt, a genuflexis fieret publica ſupplicatio. e. c.

Act. ſincera p. 409.

Hiſt. eccl. lib. X. c. 3.

De Cura pro mortuis c. 5.

Singulariter id etiam cautum, ut uniformis eſſet ſacrorum rituum ratio. Qua de re imprimis in antiquis canonibus præcipitur, ut metropoliticis conformarentur aliarum eccleſiarum ritus. Ad nos hic pertinet *Epaonenſis* concilii canon 27. ſub SIGISMUNDO *Burgundionum* rege: *Ad celebrandum divina officia ordinem, quem metropolitani tenent, provinciales*

les obſervare debebunt. In decreto Burchardi habetur ſimilis *Geranden-ſis* concilii canon. 6. *Ut inſtitutiones miſſarum ſicut in metropolitana ec-* Lib. III. *cleſia ſiunt, ita in Dei nomine in omnibus comprovincialibus eccleſiis tam* c. 66. *ipſius Miſſæ ordo, quam pſallendi vel miniſtrandi conſuetudo ſervetur.*

Pluribus ac prolixioribus partibus, quam hodie tunc conſtabat litur-gia, utpote quæ duas aut tres exigebat horas, ut ex Cæsario *Arelatenſi* notat Mabillonius quoad *Gallicanam*, quoad *Romanam* vero ex S. Gregorio M. ad Eulogium epiſc. *Alexandrinum* ita ſcribente: *Ecce enim* Lib. VIII. *iam biennium pene expletur, quo lectulo teneor: tantisque podagræ dolori-* ep. 35. *bus affligor, ut vix in diebus feſtis uſque ad horarum trium ſpacium ſur-gere valeam, miſſarum ſolemnia celebrare.* Huius quidem prolixitatis cau-ſam notat Mabillonius homiliarum uſum, quæ etiam *Romæ* ſtatim poſt evangelium ad miſſam fiebant, prout teſtatur idem Gregorius in præ-fatione ad homilias XL. ſed antiquiſſimi *Romani* ordines, aliique, quos ad eam formam exactos in *Alemannia* noſtra edimus, declarant etiam ceri-moniarum apparatum, de quibus in antiquis ſacramentariis parum aut ni-hil occurrit, iisque ſolis precationibus ſolemnibus conſtant, de quibus S. Augustinus illud apoſtoli interpretatur: „Obſecro igitur primum om-nium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus. Sed eligo (inquit idem ad Paulinum ſcribens) in his verbis Epiſt. 149. hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat eccleſia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramento-rum, antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: ora-tiones cum benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminui-tur, quam totam petitionem fere omnis eccleſia dominica oratione con-cludit.“ Pluribus hæc deinceps illuſtrat S. Doctor, exhibetque nobis for-mam antiquiorum ſacramentariorum (cuiusmodi duo edimus) quam Innocentius III. ad S. Petrum uſque primumque liturgiæ ordinem revo-cat prologo in libros VI. myſteriorum evangelicæ legis ac ſacramenti Euchariſtiæ. Qua de re quidquid ſit, antiquiſſima certe, quæ ætatem tulerunt, ſic ſunt conformata ſacramentaria. a)

In

a) „Primus ergo beatus Petrus apoſtolus (ſunt Innocentii verba) miſſam *Antiochiæ* dicitur celebraſſe, in qua tres tantum orationes in primordio naſcentis eccleſiæ dicebantur. Cætera vero diverſis temporibus, & a diverſis perſonis leguntur adiecta, prout chriſtianæ religionis cultu creſcente viſa ſunt decentius convenire. Hoc enim officium tam provida reperitur ordinatione eſſe diſpoſitum, ut quæ per Chriſtum geſta ſunt, & in Chriſtum, ex magna parte contineat, ex quo Chriſtus de cœlo deſcendit, uſque dum aſcendit in cœlum: & ea tam verbis, quam ſignis admirabili quadam ſpecie repræſentat. Ipſum autem officium conſiſtit in quatuor,

In iiſdem explicandis plurimum elaborarunt auctores medii ævi, ad exceſſum uſque conſectandis undique myſteriis, pio tamen ſtudio, inſudantes. Hos inter Amalarius in proœmio libri III. de officiis ita loquitur de ſuo inſtituto: „In quo diſcamus de officio Miſſæ, quid rationis in ſe contineat diverſitas illa, quæ ibi agitur: cum ſatis eſſet ſine cantoribus & lectoribus & cæteris, quæ ibi aguntur, ſola benedictio epiſcoporum aut presbyterorum ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur populus ad animarum ſalutem: ſicut primævis temporibus fiebat apud apoſtolos.“ Noſtris temporibus curatius ſagaciusque in rituum quorumvis fontes & origines eſt indagatum, pariter ad exceſſum uſque, qualis in De Vertio notatur, de quo *Petrus* Bælius deriſor ille non ſolum religionis, ſed etiam providentiæ, antequam prodiret, ſcripſerat, præparari opus, quod deiiceret Durandos, Bielios, & Innocentios, eorumque diſcipulos, qui ſcripſerunt de myſteriis miſſæ a) ſacrorum autem præſules, quidquid inter eruditos agatur, recte poſteriori etiam ætate populis rudibus quæ potiſſimum exponi debeant, in conciliis declararunt. *Docendus populus generatim*, ut habet concilium *Colonienſe* a. 1536. *quid agatur in miſſa, & quibus partibus conſtet.* Quæ ibi ſingillatim explicantur. Concilium *Moguntinum* a. 1549. etiam ſingulariter, quo corporis geſtu reverentia exhiberi debeat, docet eo conſilio, *ut ad ea, quæ ibi aguntur, animum intendere videantur.*

T. XIX. Conc. edit. Ven. c. 25. p. 1262. Can. 59. p. 1420.

Lingua.

VI. Eo magis rudes indigent hac explicatione, quod liturgia ignota lingua, latina ſcilicet transigatur. Optandum ſane foret, ut, quod in *Galliis* fieri novimus, apud nos quoque obtineret, & in manibus fidelium frequentius eſſent orationes ſolemnes, ac lectiones etiam aliæ, lingua vernacula expreſſæ, quemadmodum pericopæ evangelicæ publice prælegi ſolent, & e ſuggeſtu explicari. Maximam ſpirant pietatem ſanctitatemque liturgicæ ſolemnes preces, quæ ut a fidelibus etiam ſummo profectu ſciantur e re foret, quin idcirco aliquid in ipſa liturgia mutandum ſit, prout a concilio *Tridentino* eſt agnitum: *Etſi miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari lingua paſſim celebraretur.* Anathematis pœna ibidem decernitur contrarium ſentientibus: *Si quis dixerit, lingua tantum vulgari miſſam celebrari*

Seſſ. XXII. c. 8.

Can. 9.

ſcilicet in perſonis, operibus, verbis & rebus. Tres autem ſunt ordines perſonarum, celebrantes, miniſtrantes, & circumſtantes. Tres operum ſpecies, ſcilicet geſtus, actus, & motus. Tres diverſitates verborum, videlicet orationes, modulationes, & lectiones. Tres rerum materies, ſcilicet ornamenta, inſtrumenta, & elementa.“

a) „Qui feroit tomber les Durands, les Biels, les Innocents, & leurs diſciples, qui ont ecrit touchant les myſteres de la Meſſe.“

ri debere, *anathema ſit.* Iam ſupra hac de re egimus contra Proteſtantes, qui hic maxime inſurgunt; cum tamen eadem conſtanter fuerit obſervantia. Contrarium equidem aliquando *Sclavis* fuit indultum ſub IOANNE VIII, at non multo poſt ob incommoda varia iterum mutatum eſt decretum ſub ALEXANDRO II. & GREGORIO VII. cuius in eam rem extat lib. VII. *Regeſti* epiſtola 11. ad URATISLAUM *Bohemorum* ducem. Eſt tamen conſtans apud *Bohemos* traditio in monte *Strahof* Canon. Reg. S. AUGUSTINI lectum fuiſſe Sacrum lingua *Illyrica* uſque ad ſæculi XVII. initium. A quo certe tempore maxime agentibus ſummis pontificibus uniformis ſecundum *Romanum* ritum ratio inducta fuit in liturgia.

Apud nos quidem aliquando in monaſteriis noſtri Ordinis, veluti ex veteribus liturgiis monaſteriorum *S. Galli*, *Einſidlenſi*, *Rhenaugienſi*, *Zwifaltenſi*, *Weingartenſi*, & noſtro *S. Blaſii* intelligimus, græce cantari ſolebant doxologia, ac ſymbolum, prout in ordine miſſæ ex codice noſtro 8000. annorum edimus, atque etiam in codice *San-Gallenſi Sanctus Agios* ita reperire eſt, quotannis autem in Paraſceve altera doxologia græce cani ſolet. Varia eiusmodi exempla affert *Petrus* RODOTA lib. I. de Ritu *græco* in *Italia*, præſertim in *Sicilia* & *Neapoli*, inter alia etiam teſtimonium ex vita S. ATHANASII, *Neapolitanæ* eccleſiæ antiſtitis: „In qua laici ſimul cum clericis aſſidue græce latineque communi prece pſallunt Deo.“ Uſum, de quo diximus, *Benedictinum* inde etiam ex monaſterio *Caſſinenſi* ad nos veniſſe puto. Ritu uſuque antiquiſſimo *Romæ* in miſſa pontificali, ut ex ordinibus *Romanis* antiphonarioque S. GREGORII patet, adeſt ſimul *græcus* ſubdiaconus ad lectionem, uti *latinus*, veluti in ordine *Romano* XI. BENEDICTI notatur. *Lib. I. c.* 1.

Sunt, qui ex nonnullis hebraicis & græcis vocabulis, quæ communi uſu ubique recepta fuere, alludant ad titulum crucis, ut eccleſia quacunque ætate in Sacris perficiendis uſa duntaxat ſit hebraica, græca & latina lingua, quæ in crucis titulo deſcriptæ fuerunt, idque noviſſime pluribus agit HONORATUS *a S. Maria* Animadverſ. in regulas & uſum critices. Apud nos vero ſynodus *Auguſtenſis* a. 1548. poſtquam ſtatuiſſet, ut divinus cultus obſervetur peragaturque his modis & ritibus, qui per manus ſanctorum Patrum, & per maiores noſtros in ſacrificio altaris &c. obſervatus fuit, mox ſubdit in eandem rem: „Lingua latina, cui veluti divino inſtrumento in ipſa crucis ara ſacris uſibus dedicato eccleſia occidentalis religionem chriſtianam fert acceptam, in Sacramentorum adminiſtratione, aliisque eccleſiaſticis officiis per totam noſtram diœceſim retineatur, & excluſa revocetur. Quæ vero *germanica* lingua ſecundum antiquas legendas pronunciari conſueverunt, mutare fas non ſit, ſed & ipſa quoque conſerventur.“ *Lib. V. diſſ. IV. art. 2. T. XIX. Conc. ed. Ven. pag. 1307. n. 14.*

VII.

Hora. VII. Supereſt, ut univerſim adhuc aliquid de hora celebrandi ſacrificii dicamus. Qua de re paſſim auctores medii ævi, qui res liturgicas expoſuerunt, proferunt, quod in libro pontificali, ceu a TELESPHORO P. conſtitutum traditur: „ Ut in Natali Domini noctu miſſa celebretur: cum omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret miſſam celebrare.“ In inquiſitione de his, quæ epiſcopus inquirere debet per vicos, pagos, atque parochias ſuæ diœceſis, quæ habetur ex REGINONE in editione noviſſima conciliorum *Germaniæ*, quæſtio 33. eſt de vita & converſatione presbyteri: „ Si tempore ſtatuto, id eſt, circa horam tertiam diei miſſam celebret, & poſt hæc ad medium diei ieiunet, ut hoſpitibus, atque peregre venientibus, ſi neceſſe fuerit, poſſit miſſam cantare?“ Unde imprimis patet, curate hanc rem etiam per vicos & pagos, ſeu in parochiis ruralibus requiſitam; ut tamen integrum fuerit ſacerdoti, imo iniunctum poſt hæc ad meridiem ieiunare, ut hoſpitibus atque peregre venientibus, ſi neceſſe fuerit, poſſet miſſam celebrare.

T. II. p. 439.

Mentionem paullo ante fecimus de miſſa matutinali in ſummis etiam feſtis celebrari ſolita; qualem primum, ac deinde publicam, prout ad diſtinctionem vocari ſolebat, S. UDALRICUM cantaſſe, in eius vita GERARDUS memorat, tempus conſuetum pro utraque deſignans. „ Deſideratiſſimo atque ſanctiſſimo paſchali die adveniente poſt *Primam* intravit eccleſiam S. AMBROSII, ubi die Paraſceve Corpus Chriſti ſuperpoſito lapide collocavit, ibique cum paucis clericis miſſam de ſancta Trinitate explevit. Expleta autem miſſa clerum interim congregatum in ſcena iuxta eandem eccleſiam ſita ſolemniſſimis veſtibus indutum anteceſſit, ſecum portato corpore Chriſti, & evangelio & cereis & incenſo & cum congrua ſalutatione verſuum a pueris decantata, per atrium perrexit ad eccleſiam *S. Ioannis Baptiſtæ*, ibique *Tertiam* decantavit; indeque cum antiphonis ad honorem diei congruentiſſime compoſitis ad tuomum formoſiſſima proceſſione binis & binis ſecundum ordinem ſimul ambulantibus miſſam celebraturus advenit.“ In concilio *Aurel.* III. c. 29. ſacrificia matutina miſſarum, & veſpertina memorantur. Quæ veſpertina in concilio *Matiſconenſi* celebrari dicuntur ordine quadrageſimali. *Walafridus* STRABO cum aliis diſtinguit miſſas, quæ ad *Nonam* & ad *Veſperas* agantur.

Cap. 4. n. 23.

Id olim præciſe ſervabatur, donec uſus ieiunii ſolvendi circa meridiem, & cænulam ſumendi ſub noctem inolevit. Quem quidem ab eccleſia tolerari, non approbari dicit BELLARMINUS; ſaltem horæ canonicæ ita diebus ieiunii accommodantur: quo factum eſſe Card. BONA obſervat, ut non prorſus veneranda vetuſtas interierit, dum ordo a ſanctis patribus

Lib. I. Rer. lit. c. 21.

bus præſcriptus ſaltem in publica officiorum recitatione retinetur, quamvis legitimus horarum punctus nullo modo attendatur. Sæc. XIV. adhuc Radulphus *Tungrenſis* teſtatur ex antiquitate ſervari, *ut diebus ieiuniorum miſſa in nona dicatur, & aliis diebus ad tertiam.* Ad finem vero ſequentis ſæculi *Gabriel* Biel teſtatur: „In ieiuniis profeſtorum *nonæ* in multis eccleſiis leguntur ſtatim poſt miſſam, tamen ante meridiem & prandii horam. In quadrageſima vero *nonæ* ante miſſam leguntur, & veſperæ ſtatim poſt miſſam ante meridiem dicuntur: & hora refectionis ultra meridiem non differtur.“ *De Canon. obſerv. prop. 23.* *Lect. XIV. in Canon.*

CAPUT II.

De ordine Miſſæ uſque ad Offertorium.

I.

De præparatione ad ſacratiſſimum miſſæ ſacrificium acturis, verbum ſaltem iniiciendum eſt de quibusdam avitæ pietatis veſtigiis: qualis e. c. in Oriente, ac alicubi etiam in Occidente ſacer ſeceſſus notatur, uti de Moleon ex ſtatutis eccleſiæ S. Stephani *Senenſis* obſervat, hebdomadarium divini officii per totam ſeptimanam in ſeceſſu ſacro fuiſſe, *quia*, ut habent ſtatuta, *medius eſt & ſequeſter inter Deum & populum.* Et Martenius de eccleſia S. Claudii refert, hebdomadarium ſacerdotem cibis quadrageſimalibus uti, dum alii carnibus veſcuntur. *De præparatione ad miſſam varia.* *Voyage lit. p. 171.174.* *Voyage litt. P. I. p. 176.*

Quod in rubricis miſſalis *Romani* legitur de præmittendo matutino ſeu nocturno officio ceu præparatione, in pluribus conciliis ſtatutum habetur; idemque de aliis horis canonicis publice præſertim immediate præmitti ſolitis, dici poteſt, quibus paſſim ſolemne eſt ſacerdotem cum miniſtris in albis aſſiſtere, ac officium etiam hebdomadarii facere. In concilio *Monaſterienſi* an. 1279. ſtatuitur, ut *nullus ſacerdos miſſam dicat de die niſi unam, & prius ſuas matutinas & Primam dixerit.* Et quidem in concilio *Colon.* an. 1281. prohibetur *ſub pœna excommunicationis, ne aliquis ſacerdos miſſam celebrare audeat, niſi prius dixerit matutinas & Primam de die.* In conc. *Herbipol.* an. 1298. *Nullus ante-* *Vid. De Vert. T. V. p. 32.* *T. III. Conc. Germ. pag. 646.* *Ib. p. 667.* *T. IV. p. 25.*

Digitized by Google

quam matutinas canonicas, Primam, & Tertiam dixerit, miſſas celebrare præſumat, præter aliquam neceſſitatem.

Non ita frequenter in noſtris antiquis ſacramentariis ſeu liturgiis, uti in Orientalibus, preces ad præparationem præmittuntur. Quales quidem ad calcem *ſan-Blaſiani* noſtri antiquioris annectuntur, ſed alia paullo recentiori manu. Quædam item orationes præparatoriæ poſt ipſum miſſæ ordinem habentur, prout nimirum pro privata ſacerdotis devotione dicuntur. Unde in veteri miſſa ex codice Ratoldi *Corbeienſis* apud Menardum ſic præmittitur: „Primo antequam epiſcopus miſſam celebret, ingredietur quoddam oratorium & ſecundum cordis compunctionem ſeipſum libamine orationis Deo offerat. Dicat hanc orationem *Via Sanctorum &c..*" Miſſa Illyrici ſic orditur: „Incipit ordo ſacramentorum. Inprimis quomodo ſacerdos apologetica celebrare debeat, antequam ad miſſarum celebrationem accedat. Mox antequam ſacerdotalibus induatur veſtimentis, ſi locus acciderit, vel tempus permiſerit, flexis genibus coram altari cantet VII. pſalmos pœnitentiales cum letania, qua finita dicat *Pater noſter, qui es in cœlis &c. Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Poſt has preces *Exurge Domine &c.* Sequuntur autem plures verſiculi cum Reſp. His autem precibus finitis dicat ſacerdos. *Dominus vobiſcum. Oremus, Omnipotens mitiſſime Deus &c.* Sequuntur nonnullæ orationes diverſæ ab illis, quæ hodie ad acceſſum altaris notantur.

Lotio manuum. II. „Poſtea ſurgens ad induendum ſe veſtimentis ſacerdotalibus primo dicat: *Intervenientibus pro nobis &c.* Tunc lavet manus hunc verſum dicendo: *Lavabo inter innocentes. Oremus. Largire ſenſibus noſtris.*" In ordine precum ad miſſam lotio manuum primum poſt ſumtam ſtolam ante caſulam præſcribitur, ab ea vero miſſa vetus ex codice *Tiliano* orditur, quæ ante orationem apud Chriſtianos fuit antiquiſſimis temporibus adhibita, ut ex Tertulliano patet lib. *de Oratione* ſingulari capite 13. *de lavatione manuum.* Ubi improbat munditias, quas plerique ſuperſtitioſe curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam ſumentes. Ad atrium templi poſitorum fontium paſſim S. Chrysostomus & alii mentionem faciunt. Et S. Paulinus in epiſtola ad Severum:

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat.

Huius rei veſtigium ſupereſt in aſperſione aquæ benedictæ: ſacerdotes autem manuum lotionem adhibent, dum ſe ad celebrationem miſſæ accingunt.

Eadem-

Eademque oratio, quam ex miſſa ILLYRICI notavimus, etiam in *Mozarabico*, ac in omnibus ordinibus precum ad miſſam ponitur.

III. Sequitur in miſſa ILLYRICI: „Cum ſe exuerit cottidianis veſtibus dicat: *Conſcinde*. Hos pſalmos interim dum paratur epiſcopus, circumſtantes clerici cantent: *Quam dilecta tabernacula tua.*“ Orationes ad ſacras veſtes præcedunt in codice *Chiſiano* apud Cardinalem BONA hos pſalmos, a ſacerdote etiam dicendos: „Deinde cantet cum circumſtantibus clericis hos pſalmos: *Quam amabilia &c.*“ Prout habet verſio *Italica*, olim *Romanæ* eccleſiæ propria. Et in miſſa *Tiliana*: „Deinde cantet cum circumſtantibus clericis hos pſalmos *Quam dilecta &c.*“ ut hodieque in miſſa pontificali obſervatur. Noſtri autem, quos edimus, ordines precum ad celebrationem miſſæ ita præſcribunt: „Epiſcopus vel presbyter, cum ſe ad miſſam parat, cantet hos pſalmos *Quam dilecta &c.*“ Notatur in *San-Blaſiano* antiquiori quoque pſalmus *De profundis*, ſecus ac in *San-Gallenſi*, ac plerisque aliis antiquioribus, ubi nonnunqnam eius loco habetur pſal. *Memento Domine David.* Necdum etiam a RADULPHO *Tungrenſi* notatur. Noſter autem congruit cum INNOCENTII III. decreto: „Celebraturus epiſcopus miſſarum ſolemnia quosdam pſalmos præmittit ſecundum exhortationem pſalmiſtæ: *Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei.* Dicit autem hos quinque pſalmos: *Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina. Credidi. De profundis.*“ Forte autem alibi omiſſus fuit ultimus pſalmus, quod inter pſalmos pœnitentiales præierit, ut ex miſſa ILLYRICI obſervavimus, atque ad finem pſalterii, quod Card. THOMASIUS vulgavit, notantur „Pſalmos inter ante miſſam, antequam ſacerdos ſacris induatur veſtibus *VII. pſalmi pœnitentiales.* Cum vero ſe parat *LXXIII. Quam amabilia. LXXXIV. Benedixiſti. LXXXV. Inclina Domine. CXV. Credidi.*

Ante vel ſub veſtitu ſacro pſalmi & preces.

Append. rer. liturg.

Myſter. miſſæ lib. I. c. 47.

IV. „Cum venit ad altare: *Iudica me Deus & diſcerne.*“ In noſtris, quos edimus, ordinibus poſt pſalmos *Quam dilecta* & nonnullas orationes, ſequitur rubrica: „Poſtquam eccleſiam intrat dicat: *Introibo ad altare Dei* cum pſalmo *Iudica me Deus &c.*“ Quo de pſalmo varia adnotat DE VERT, privatim in ſacriſtia dici ſolito, etiam antequam caſula ſumeretur, aut in ipſo proceſſu ad altare. Atque ita intelligi debent verba illa *dum intrat in eccleſiam*, egreſſus nempe ſecretarium. Quod colligitur ex miſſa ILLYRICI, ubi notatur: cum egreditur epiſcopus de ſacrario dicat: *Deduc me Domine &c.* Et mox ſequitur: „Eccleſiam intrans dicat: *Introibo in domum tuam Domine.*“ Pſalmus autem alius notatur: Interim cum proceſſione egrediens ad gradus hunc pſalmum per

Pſalmus in ingreſſu ad altare.

T. III. Explic. de cerem. p. 2.

ſe cum deducentibus eum cantet. *Dominus regit me & nihil mihi deerit.*" Expreſſius autem in ordine miſſæ *Mutinenſi* apud Muratorium. „Hac dicta (oratione) ingreſſio fit ad altare incipiendo ita: ant. *Introibo. Iudica me Deus.*"

T. I. liturg. Rom. p. 88.

Proceſſio cum miniſtris ad altare ſub introitu.

V. Diſtinguenda autem hæc eſt proceſſio a ſolemni illo comitatu, quo iuxta ordinem *Romanum* diebus ſolemnioribus a *Lateranenſi* Patriarchio ad eccleſias urbis procedebant: ubi etiam in ordine I. dies diſtinguuntur pro ſtatione denunciati. Hæc autem ad ipſum altare proceſſio iuxta ordinem *Romanum* fit, poſtquam pontifex quarto ſcholæ annuit, ut pſallant, nimirum Introitum: „Cui dum annuerit (ut in noſtro deſcribitur, quem edimus) ſtatim egreditur ante fores ſecretarii dicens *accendite*, qui dum incenderunt, ſtatim ſubdiaconus ſequens tenens timiatherium præ foribus ponit incenſum, ut pergat ante pontificem, & ille quartus ſcholæ pervenit in presbyterio ad priorem ſcholæ vel ſecundum ſive tertium inclinato capite dicit. *Domine iubete*, tunc illi elevantes per ordinem vadunt ante altare, & ſtatuuntur per ordinem acies duæ paraphoniſtæ quidem hinc inde. A foris infantes ab utroque latere infra per ordinem. Et mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad Introitum. Subdiaconi de ſchola levent planetas cum ſinu. Quorum vocem diaconi, dum audierint, continuo intrant ad pontificem in ſecretario, & tunc pontifex elevans ſe dat manum dextram archidiacono, & ſiniſtram ſecundo, vel qui fuerit in ordine, & illi oſculatis manibus illius procedunt cum ipſo ſuſtentantes eum &c." Succinctius tota proceſſio deſcribitur in altero, quem ex antiquiſſimo *ſan-Gallenſi* codice edimus. „Cantantibus antiphonam ad Introitum clericis, domnus apoſtolicus de ſacrario cum epiſcopis vel presbyteris, & cæteris eccleſiæ miniſtris, manibus diaconorum ſuſtentatus, præcedentibus ante eum acolythis, cum ſeptem candelabris aureis aut argenteis ardentibus in eis cereis ſeu & turibulis ad ſanctum altare aſcendit."

Myſter. miſſæ lib. II. c. 1.

Cum minori vero apparatu Innocentius III. proceſſionem miſſæ epiſcopalis deſcribit: *His indumentis ornatus epiſcopus ad altare procedit, duobus eum ducentibus hinc inde, ſacerdote videlicet & levita, ſubdiacono præcedente, qui clauſum portat codicem evangelii, donec epiſcopus ad altare perveniat, ibique codicem oſculatur apertum.* De hoc paullo poſt dicemus. Id ſolummodo hic notamus, ſolemne olim fuiſſe librum evangeliorum ita a ſubdiacono deferri ad altare, etſi in antiquioribus ordinibus *Romanis* nihil de eo habeatur. In conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* apud P. Herrgott ita præſcribitur, lib. I. c. 87. *Subdiaconus, qui le-*

Vet. diſc. mon. p. 458.

ſturus

ſturus eſt epiſtolam cum ſacerdote proceſſurus ad altare, portat textum evangelii, & ponit in medio altaris. Hanc ob cauſam, ut ſupra vidimus, libri hi inſigniter ornari conſueverunt, ac pretioſis capſis includi, deferendi etiam ad proceſſiones, ut hodieque fit apud nos.

VI. Dum vero ſic ſub Introitus cantu proceſſio ad altare fuit facta, quæri poſſet, an olim, ut hodie fit, ipſe etiam ſacerdos Introitum poſtea legerit. Quod factum negat De Vert uſque ad ſæculum XIV. In Ordine *Romano*, poſtquam ad altare venerit Pontifex, caput inclinaverit, oraverit & faciens crucem in fronte pacem dederit, ita porro legitur: „Et reſpiciens ad priorem ſcholæ annuit ei, ut dicat *Gloria*, & prior ſcholæ inclinat ſe pontifici, & imponit oratorium ante altare, ſi tempus fuerit, & accedens pontifex orat ſuper ipſum uſque ad repetitionem verſus.“ In veteri expoſitione miſſæ transſcripta ex venerandæ vetuſtatis codicibus *Germanicis* fere idem habetur: „Exiens enim de ſecreto cœli, velut epiſcopus aut presbyter de ſecretario (templi) venit ad altare: orante & prophetante interim choro clericorum. Verſus, qui cantatur ad recipiendum Introitum, priorem Chriſti adventum ſignificat prophetatum. Poſtquam enim epiſcopus cum ſuis diaconis ſeu presbyteris de ſecretario veniens ingreditur ad altare, poſt oſculum ſibi invicem datum: innuente epiſcopo ſive diacono, *Gloria*, a cuncto clero decantatur, *Patri & Filio & Spiritui ſancto &c.* Notabilis porro eſt locus in antiquiſſimo capitulari eccleſiaſtici ordinis, uti edimus: „Hoc tamen ſciendum eſt magnopere, atque tenendum in cœnubiis ſive in civitatibus, vel in vicis, aut ubicunque ſacerdos miſſas celebraverit, ſive dominicis ſive cottidianis diebus, vel in aliis ſolemnitatibus tam Sanctorum, quam & reliquorum martyrum, ſive cum clero publice, vel etiam cum duobus, aut unum miniſtrum, vel etiam ſi ſingulorum ſacrificium Deo obtulerit, obſervare debet, ut ſemper ad Introitum antiphona cum pſalmo & *Gloria* adiungente; ſi autem ipſa antiphona de pſalmo fuerit, pre ipſa verſo primo de ipſo pſalmo debit dicere, & poſt verſo ipſa canit, & poſt antephona ſubſequitur *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*, & iterum antephona eſt canenda, & pre ipſa adiungit: *Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum amen.* Et iterum canit ipſa antephona, & item poſtea dicit alio verſo de ipſo pſalmo, & iterum cantat ipſa antephona.“ Nihil in hoc corrupto loco mutandum duximus, ne forte aliquid contra mentem ſcriptoris ac ſenſum poneremus; quoniam ambiguum eſt, ac obſcurum, an ſic antiphonatim Introitus ab ipſo ſacerdote dicendus deſignetur ſaltem in privata miſſa, qualem hic a publica diſtinguit, cum duobus, uno vel etiam nullo miniſtro.

An ſacerdos olim Introitum per ſe legerit.

Expl. T. III. p. 77. T. IV. p. 67.

Hittorp. P. II. p. 584.

Digitized by Google

Ubi maxime quæri poteſt, an nec tunc Introitus fuerit a ſacerdote, vel ſaltem a miniſtro dictus, præſertim cum repetitionibus illis, quæ ad cantum ipſum antiphonum pertinent tam in Introitu, quam Offertorio & Communione. De qua expoſitor ordinis *Romani* apud CASSANDRUM, quem putat eſſe BEROLDUM, ſeu BERTHOLDUM *Conſtantienſem.* „Antiphonatim (inquit) pſalluntur, ſi rite & ſecundum ordinem celebrantur. Quod ſi videtur aliquibus grave & laborioſum hæc ſingula repetendo continuare, ipſi noverint, præſcripta officia non alio tempore, niſi in ſolemnitatibus atque ſtatutis diebus celebranda eſſe, quando debet populus ad eccleſiam ſolemniter convenire, & ſacrificare, & communicare, propter quod & ipſa officia ſunt inſtituta." Sunt præterea dies, quibus ob litaniam, uti in vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes, nulli Introitus dicuntur, veluti ritu *Mozarab.* in omnibus miſſis vigiliarum, quæ a prophetia incipiunt. Alias vero P. PINIUS de Liturgia antiqua *Hiſpanica* Introitum apud *Mozarabes* dicit vocari *Ad Miſſam officium,* quomodo etiam appellatur in miſſalibus *Carthuſianorum, Carmelitarum*, & *Dominicanorum*, niſi forte ad totum officium cantus in miſſa hæc pertineant.

Apud Boll. T. VI. Iulii p. 94.

Confeſſio cum pſalmo *Iudica*. apologiæ.

VII. Iterum hic recurrit pſalmus *Iudica* cum antiphona *Introibo.* Qui in Miſſa ILLYRICI ante confeſſionem primam ſacerdotis ponitur: „Et cum pervenerit ad altare imponat per ſe hanc antiphonam *Introibo &c.* cum pſalmo *Iudica &c.*" Qua de re rationem dat congruam INNOCENTIUS III. „Quia iuſtus accuſator eſt ſui, pontifex ad altare perveniens & ad ſeipſum revertens, antequam ordiatur ſacrum officium, de peccatis ſuis cum aſtantibus confitetur, pſalmum illum præmittens qui manifeſte per totum ſibi ad hoc dinoſcitur pertinere & convenire: *Iudica me Deus &c.*" Et in miſſa ex codice *Chiſiano* apud Card. BONA: „Et ut pervenerint ante altare, incipiant pſalmum cum antiphona *Introibo &c.* Deinde inclinati faciant confeſſionem." In cod. Monaſt. S. GREGORII in valle *Gregor. Baſileenſis* diœceſis apud MARTENIUM hæc exprimuntur: „Et cum proceſſerit ad altare incipiat antiphonam. Confeſſio dicitur. *Introibo ad altare &c.*" In pontificali *Moguntino* apud MARTENIUM „Epiſcopus cum iam primum proceſſit ad altare dicat *Introibo ad altare Dei.* Pſ. *Iudica me Deus & diſcerne.* Epiſcopus dicat: *Confitemini Domino quoniam bonus &c.* & mitra depoſita *Confiteor Deo.*" Verſus ille *Confitemini* in variis liturgiis apud De VERT notatur, habeturque in impreſſis etiam *Alemannicis* miſſalibus, veluti *Curienſi*, *Conſtantiæ* impreſſo 1589. cum alia prolixiori confeſſione. Ex ritu *Ambroſiano* hoc eſſe deſumtum obſervat MURATORIUS: quod idem recenſetur in *Mozarabico*

Myſter. miſſæ lib. II. c. 13.

De rit. eccl. in fol. T. I. p. 595.

T. III. p. 23.

T. IV. p. 11. 12.

T. V. antiq. Ital. p. 835.

bico initio miſſæ apud Pamelium: „Poſt faciunt ad altare exomologeſin, & ad altare capite demiſſo ad hunc modum dicunt: *Per gloriam nominis tui Chriſte Fili Dei &c.*“ In liturgia *Gallicana* pariter occurrit, atque in liturgiis Orientalibus variis in locis. T. I. liturg. p. 642.

In Miſſa Illyrici leguntur ſparſim apologiæ ſeu accuſationes presbyteri, queis ſe indignum tanto myſterio profitetur. In noſtro autem ordine precum, quem ex cod. *ſan-Blaſiano* edimus, pariter ac in ſimili *ſan-Gallenſi* ad finem, eiusmodi apologiæ occurrunt, prout etiam varias invenimus in nonnullis aliis codicibus *ſan-Gallenſibus*; atque in ſacramentario *Gregoriano* ſimul poſt miſſas ante benedictiones varias collocantur. Ex quibus plures conveniunt cum illis, quæ ſparſæ habentur in miſſa Illyrici & aliis. In cod. 700. an. monaſterii S. Gregorii in valle *Gregor.* in diœceſi *Baſileenſi* ſuo hic loco ponitur: „Accuſatio ſacerdotis ante altare, antequam miſſam incipiat. *Domine Ieſu Chriſte redemtor mundi &c.* Item Apologia ſacerdotis ante miſſam.“ Quam iam aliæ eiusdem ſignificationis præceſſerant. T. III. opp. p. 128. ſeq. T. I. de Rit. eccl. inf. p. 596.

In codice 300. an. eiusdem monaſterii, quo miſſa abbatis pontificalis habetur, ſingularis abſolutio eſt, poſtquam iam abbas peracta confeſſione aliisque cerimoniis altare conſcendit: „Poſt hæc abſolvat abbas populum dicens: *Auctoritate Dei, qua fungor, abſolvo vos ab omni vinculo excommunicationis & a peccatis veſtris in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Amen.*“ Paullo aliter habetur in miſſali *Curienſis* diœceſis, *Conſtantiæ* 1589. impreſſo, nomine abſolutionis generalis. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus vos abſolvat, & ego auctoritate ipſius, qua fungor, abſolvo vos a vinculis excommunicationis minoris, ſi incidiſtis: & reſtituo vos ſeptem ſacramentis & communioni matris eccleſiæ in nomine Patris &c.* Propius accedit hodierno uſui *indulgentiam &c.* more veteri deprecatorio in miſſa Illyrici.

Sequitur in eadem miſſa poſt aliquot adiunctas preces, dataque indulgentia: „Deinde in eodem loco presbyteris illum ducentibus & diaconis præbeat oſculum pacis, ipſique poſt acceptam pacem ab epiſcopo ſinguli aſcendant ad cornu altaris oſculantes illud.“ In ordine *Romano* ſic habes: „Surgens & orans & faciens crucem in fronte ſua dat pacem uni epiſcopo de ebdomodariis & archipresbytero & diaconibus omnibus. . . . . Diaconi ſurgunt, quando dicunt (*ſicut erat*) ut ſalutent altaris latera, prius duo & duo viciſſim redeuntes ad pontificem, & ſurgens pontifex oſculat evangelia & altare.“

In antiquiſſimo breviario eccleſiaſtici ordinis: *Surgens autem ab oratione oſculatur ſanctum evangelium ſuper altare poſitum tam ſacerdos,*

quam

quam & omnes diaconi. In miſſa Illyrici, cum oſculum evangelii iam præceſſiſſet imediate antequam epiſcopus ſecretarium eſſet egreſſus, hoc loco tantum oſculum altaris præſcribitur poſt evangelii ſalutationem; quæ tamen etiam in ordinibus *Romanis* promiſcue ſumitur cum oſculo, dum in uno, ut latera altaris ſalutent, in altero vero, ut oſculentur, præſcribitur. Congruit in Illyrico oratio eadem, quæ in aliis ad oſculum evangelii ponitur. Tunc ſalutat evangelium dicens: *Pax Chriſti, quam nobis per evangelium &c.* In codice *Tiliano* apud Menardum oſculum ad hanc orationem præſcribitur. Omnium autem expreſſiſſime apud Card. Bona in miſſa, quam ex Bibliotheca *Chiſiana* deſcripſit in appendice II. *Rer. liturg.* „Quibus expletis ſubdiaconus apertum librum præbeat ſacerdoti oſculandum. Oſculato autem evangelio, quod eo die legendum eſt, dicat: *Pax Chriſti &c.*" In Miſſa veteri ex codice Ratoldi abbatis *Corbeienſis* apud Menardum: „Mora quidem orationis facta ſicut ordinati ſunt alter alterutrum presbyteri & diaconi oſculentur cornua altaris. Et ultimus epiſcopus miniſtrantibus illis oſculetur evangelium ab ipſis elevatum & apertum, a ſubdiacono ſcilicet in altaris medio poſitum." Nihil hic de altaris oſculo, quod explicatur in alio ritu antiquo celebrandæ miſſæ apud eundem Menardum. Diaconus vero poſt inclinationem utraque altaris cornua deoſculans ſacerdoti medium altaris oſculanti evangelium oſculandum offerat. Duplex evangelii oſculum, iuxta ac paullo ante in miſſa Illyrici notavi, hic autem explicatius ponitur, altaris item ac etiam crucis in ordine miſſæ pontificalis pro abbate monaſterii S. Gregorii in valle *Gregoriana* diœceſis *Baſileenſis* præſcriptum reperitur apud Martenium in auctiore editione libb. de ritibus eccleſiaſt. Primum „diaconus præbet abbati plenarium ad oſculandum. Poſtea accedat dicens: *Aufer a nobis Domine &c.* Quo dicto abbas oſculetur altare, deinde inclinat ſe abbas & dicat: *Oramus te Domine &c.* Deinde abbas accedit ad crucem ad oſculandum dicens: *Tuam crucem adoramus &c.* Deinde accedit ad librum miſſalem, & oſculatur evangelium officii dicens: *Pax Chriſti.* In Mſſ. miſſalibus *Alemannicis* a ſæc. XIII. reperi ſubinde cum notata oratione oſculum imaginis crucis. Quæ tamen ad oſculum evangelii, poſtquam crux manu ſacerdotis in medio altaris facta eſſet, præſcribitur in miſſali *Curienſi*, *Conſtantiæ* impreſſo an. 1589. „Tunc ſurgat & aſcendat ad altare & dicat: *Aufer a nobis &c.* Finito iſto faciat crucem in medio altaris dicendo: *Iſti ſancti &c.* Tunc eat verſus dexteram aperiendo librum oſculando librum & dicendo: *Tuam crucem adoramus &c.* Poſtea eat ad ſiniſtrum altaris oſculando altare & dicendo: *Pax Chriſti &c.*"

T. III. opp. S. Greg. p. 244.

pag. 254.

T. I. pag. 655.

In

In omnibus quidem antiquioribus noſtris ordinibus proceſſio ad altare cum thuribulis notatur, atque in *Romano* ordine id etiam præſcribitur: *Tunc ſubdiaconus ſequens cum thimiaterio procedit ante ipſum* (pontificem) *mittens incenſum.* In ordine quinto apud Mabillonium *pag. 66.* poſt *Kyrie eleiſon* habetur: „Ipſa autem expleta dicatur a pontifice *Gloria in excelſis Deo*, deponentur ab acolythis candelabra, & reponentur ſeu ſuſpendantur thuribula." Et hoc loco, antequam epiſcopus de ſecretario egrediatur, habetur in miſſa Illyrici oratio *ad incenſum imponendum.* Nihil vero deinceps occurrit de incenſo ad altare, ſicuti in ordine miſſæ ex codice *Chiſiano* Card. Bona. „Cum vero incœperint in choro *Kyrie eleiſon* acolythi deponant candelabra in pavimento. Diaconus vero accipiat thuribulum de manu acolythi, & accedens oſculatur altare, quem ſubſequitur ſacerdos, & inclinatus oret prius huiusmodi. *Ad te plaſmator meus &c.* Deinde ſurgat & oſculetur altare dicens: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem &c.* Et ſic accepto turribulo de manu diaconi faciat incenſum ſuper altare, & reddat eidem diacono porrigens ei oſculum. Diaconus vero faciat incenſum circum altare, & reverſus odorem præbeat ſacerdoti, redditoque thuribulo acolytho ſtet poſt ſacerdotem, & ſubdiaconus retro poſt eum."

VIII. *Kyrie eleiſon* numerus novenarius in omnibus noſtris antiquiſſimis ordinibus definitur, etſi ſecundum ordinem *Romanum* ſit ad pontificis arbitrium: „Schola vero, finita antiphona, incipit *Kyrie eleiſon*, & continuo acolythi ponunt cereoſtata in pavimento eccleſiæ, tres quidem in dextram partem & tres in ſiniſtram, unum vero in medio in ſpacio, quod eſt inter eos, prior vero ſcholæ cuſtodit ad pontificem, ut ei annuat, quando vult mutare numerum letaniæ." In ordine tamen quinto aliter habetur apud Mabillonium: „Ipſe vero pontifex cantori annuat, quando excelſiori voce *Kyrie eleiſon*, ſive *Chriſte eleiſon* dici debeat." In mendo cubare ſuperiorem textum in tanto Mſſ. conſenſu dicere haud licet. An vero recentiori ætate *Paris de* Grassis loquatur, qui ſæc. XVI. adhuc vixit, me latet, dum apud Mabillonium dicit, *Kyrie* in miſſis pontificiis tamdiu protrahi, quamdiu reverentia papæ a Cardinalibus facienda durat, ſed hoc de protractione cantus intelligi poteſt. Unde etiam neumæ illæ, illisque ſubſtitutæ haud raro interprolationes *Kyrie, fons bonitatis &c.* ortum traxere. *Romæ* profecto, quando litaniæ agebantur, quæ ternæ ſolebant miſſæ præmitti, poſt ſeptenas & quinas, novenarius etiam numerus prodibat, ter repetito *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*, & ter iterum *Kyrie eleiſon.* Atque hinc De Moleon

Kyrie eleiſon.

T. II. Muſ. Ital. p. 66.

Comment. in ord. Rom. p. XLI.

Voyage II. Liturg. p. 24. Explic. T. III. p. 53.

& De Vert novenarium numerum *Kyrie eleiſon* relictum eſſe putant ex litaniis miſſæ præmitti ſolitis.

Lib. IX. ep. 12. alias lib. VII. ep. 5.

Quid in hac re S. Gregorius *Romæ* immutaverit, pariter obſcurum eſt, cui hic etiam æmuli innovationem obiecerunt conformatione ad ritum eccleſiæ *Cpolitanæ*: „Quia (ut ipſe ad Ioannem *Syracuſanum* perſcribit) *Alleluia* dici ad miſſas extra Pentecoſtes tempora feciſtis; quia ſubdiaconos ſpoliatos procedere, quia *Kyrie eleiſon* dici, quia orationem dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi: quia in nullo eorum aliam eccleſiam ſecuti ſumus.“ Iuvat ex eodem, quæ ad rem præſentem ſunt, afferre, unde pateat, ſaltem numerum aliquem determinatum fuiſſe, quia dicit totidem vicibus etiam *Chriſte eleiſon* fuiſſe dictum, quot nempe vicibus *Kyrie eleiſon*. „*Kyrie eleiſon* autem (inquit) nos neque diximus, neque dicimus ſicut a *Græcis* dicitur: quia in *Græcis* ſimul omnes dicunt, apud nos autem a clericis dicitur, & a populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam *Chriſte eleiſon* dicitur, quod apud *Græcos* nullo modo dicitur. In quotidianis autem miſſis aliqua, quæ dici ſolent, tacemus, tantummodo *Kyrie eleiſon* & *Chriſte eleiſon dicimus*, ut in his deprecationis vocibus paullo diutius occupemur.“ Ex illis, quæ ad finem prioris textus habentur, colligitur, non primum S. Gregorium inſtituiſſe aliarum eccleſiarum exemplo, ut *Kyrie* diceretur; quin imo conſtat, ad normam potius *Romanæ* eccleſiæ hunc uſum in *Galliis* receptum eſſe ex canone 3. Conc. *Vaſenſis* an. 529. „Et quia tam in ſede apoſtolica quam etiam per totas Orientales atque *Italiæ* provincias dulcis & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, ut *Kyrie eleiſon* frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus eccleſiis noſtris iſta tam ſancta conſuetudo & ad matutinos & ad miſſas & ad veſperam Deo propitio intromittatur.“ Et tamen Amalarius ſenſit, conſuetudinem illam primum a S. Gregorio in *Romanam* eccleſiam inductam fuiſſe, ſupplemento ad librum IV. de divinis officiis: „Quia (inquit) antiqua conſuetudo *Romana* etiam ad miſſam nequaquam recitabat ipſas preces, quæ ſunt *Kyrie eleiſon*, donec domnus Gregorius papa ultimum hoc fieri iudicans inſtituto uſus eſt. Itaque velut in omnibus ſolemnitatibus ad miſſas ante ſacrificium *Kyrie eleiſon* proclamatur: ſic congruentiſſime a monachis in veſpertinali & matutinali non ſolum, ſed etiam in horarum cæterarum votivo ſacrificio profertur in ipſis etiam ſollemnibus feſtis.“

Anecd. Mabill. p. 97.

Gloria in excelsis.

IX. Dum ſupra de antiquiore noſtro ſacramentario *ſan-Blaſiano* ageremus (ubi notatur *Gloria in excelſis* ab epiſcopis dici diebus dominicis

&

Digitized by Google

& feſtis, a presbyteris autem minime niſi in Paſchate) retulimus, quæ Berno *Augienſis* contra exceptionem hanc diſputavit, contendens „nil nos delinquere, ſi ea, quæ ex auctoritate Pontificum, qui illum ſanctum virum (Gregorium M.) tempore præceſſerunt, inſtituta ſuſcepimus, & vel ex *Gallicanarum* eccleſiarum aut *Hiſpanicarum* uſu mutuavimus, fideli devotione ſervamus.“ Et *Walafridus* Strabo „ſtatutum eſt (inquit. de rebus eccleſ. c. 22.) ut ipſe hymnus in ſummis feſtivitatibus a ſolis epiſcopis uſurparetur, quod etiam in capite libri ſacramentorum deſignatum videtur“ Anastasius biblioth. a Stephano IV. P. ſtatutum perhibet in eius vita, ut omni die dominico a ſeptem epiſcopis cardinalibus hebdomadariis', qui in eccleſia Salvatoris obſervabant miſſarum ſolemnia, ſuper altare B. Petri celebraretur, & *Gloria in excelſis* diceretur. Abbas *Caſinenſis* id ſingulari privilegio a Zacharia P. obtinuiſſe in bullario *Caſin.* legitur, ut diebus feſtis & dominicis hymno illo uti in miſſarum celebratione poſſet. Plura de hoc hymno congeſſimus in opere *de cantu & muſica ſacra. Græca* is absque dubio eſt originis, in Orientali eccleſia dictus hymnus matutinus, quo titulo in conſtit. Apoſt. lib. VII. c. 47. legitur, S. Marco adſcriptus a vetuſto auctore apud *Thomam* Smithum in comment. de veteris *græcæ* eccleſiæ hymnis matutino, & veſpertino. Eiusdem quoque meminit S. Athanasius ad finem libri de Virginitate. Unde palam eſt, immerito illum a quibusdam S. Hilario tribui, qui forte hunc ex *Græcia* in *Latium*, *Gallias*que primus induxit.

De quibusdam rebus ad miſſam ſpectantibus c. 2.

T. II. Conſtit. VII. n. 6.

Qualis huius hymni uſus in liturgia *Gallicana* fuerit non ſatis conſtat. In ſacramentario, quod ex *Bobienſi* cod. Mabillonius edidit, notatur p. 281. *Gloria ad miſſam decantanda.* Huc eundem hymnum revocat Mabillonius in nota ad ſacrament. p. 282. ad orat. nimirum poſt precem, quam pro ipſo hymno habet, retractans quæ prius ad miſſale *Gothicum* notaverat: „In miſſali *Gothico* (inquit) p. 190. & 251. habentur itidem collectiones poſt precem. Id de cantico *trium puerorum* interpretati ſumus. At de hymno Angelorum *Gloria in excelſis*, qui hic proxime antecedit interpretandum eſſe patet ex ſequenti notatione.“ Ubi nempe *benedictionem* hymnum *trium puerorum* dicit. Ei tamen nullus locus in expoſitione veteris liturgiæ *Gallicanæ* apud Martenium aſſignatur, nec uſpiam notatur in miſſali *Francorum*, veteri *Gallicano*, & *Gothico*; cum tamen eundem, qui hodieque obtinet, quique iuxta ſacramentarium *Gregorianum* epiſcopis proprius eſt, in *Hiſpania* fuiſſe uſum eius hymni ex Etherio & Beato adverſus Elipandum conſtet. „Sic in miſſa non ſolum dominicis diebus, ſed etiam quibuscumque feſtivitatibus *Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus* conclamamus.“

Bibl. PP. T. VIII. p. 351.

Digitized by Google

Quod liber Pontificalis SYMMACHO P. tribuit, TELESPHORO autem convenit, *ut in natali Domini diceretur*, qui etiam addiderit ea, quæ ſequuntur ad verba Angelorum. Quamquam a pluribus aſſeratur, quod ea beatus HILARIUS *Pictavienſis* adiecerit, ut ait INNOCENTIUS III.

Lib. II. myſter. miſſæ c. 20.

Habetur autem in miſſa *Mozarabica* idem hymnus, inter verba *Glorificamus te, & Gratias agimus tibi* interiectis his *hymnum dicimus tibi*, & poſt *unigenite IESU Chriſte* addito *altiſſime*, ut omnino in antiquiori noſtro *San-Blaſiano* ſacramentario manu paullo recentiori præmittitur extra libri ordinem. In miſſa ILLYRICI adiiciuntur verba illa *hymnum dicimus tibi*, & additur oratio ab epiſcopo dicenda, donec hymnus angelicus finiatur, uti etiam in miſſa *Tiliana*. Additiones quasdam ei hymno ſequiori ævo, ad longiores haud dubie *neumas* in eius cantu ſuſtollendas, additas PIUS V. antiquavit, ut GAVANTUS notavit commentar. in rubr. Miſſal. P. I. tit. 8. Notatur in antiquiſſimis ordinibus *Romanis* pro miſſa pontificali & epiſcopali. In breviario eccleſiaſtici ordinis ſic præſcibritur: „Reſpiciens ſacerdos ad populum incipit: *Gloria in excelſis Deo.* Et ut veniunt ubi dicunt *Pax hominibus bonæ voluntatis*, iterum aſpiciunt ad Orientem uſque dum expleta fuerit *Gloria in excelſis Deo.*“

In inſtructione eccleſiaſtici ordinis exceptio hæc habetur: „Diebus autem Quadrageſimæ ad miſſas non cantat *Gloria in excelſis Deo*,, uſque in Sabbato ſancto propter renovationem ſanctæ reſurrectionis D. N. I. Ch. ut ſicut ipſa feſta præcellit alias feſtivitates, ita & ipſa omnes cantelena nova celebrentur, ut magis cum gaudio omnia celebrentur, atque admirentur.“ IOANNES *Abrincenſis*: „*Gloria in excelſis* (inquit) in feſtis, excepto Adventu, & Quadrageſimæ tempore, ſemper poſt *Kyrie eleiſon* ſacerdos ad Orientem verſus incipiat, quod TELESPHORUS papa, ea, quæ angelicam proſequuntur, adiiciendo inſtituit, & SYMMACHUS P. omni die dominica & natalitiis Sanctorum cantare præcepit, & ſic altare incenſando ſecrete cum miniſtris finiat: poſt quæ in ſuo loco iuxta altare reſideat, & diacono licentiam ſedendi tribuat. Hymnum vero privatum, chorus celebriter canendo expleat.“ Vid. decretum LEONIS IX. de Conſecrat. diſt. I. cap. 55. AMALAR. de Off. div. lib. I. c. 1. quodque hic ad IOANNEM *Abrincenſem* profert *Ioannes* PREVOTIUS teſtimonium auctoris de Offic. div. ſub ALCUINI nomine, de Purificatione S. MARIÆ huiusmodi eſt: „Ipſa die non cantatur *Gloria in excelſis Deo*, ſi infra Septuageſimam evenerit.“ Idemque in miſſalibus *Rothomag.* 1513. 1516. 1527. 1576. & 1604. obſervat. Similia habentur in noſtro libro Ordinis ann. 600. inter monumenta noſtra. Iam notavi, ſingulari bulla a COELESTINO P. ut puto V. obtinuiſſe maiores noſtros, ut in feſto Purificationis & S. BLASII etiam infra Septuageſimam

De offic. eccleſ. p. 27.

pag. 112.

mam liceat *Gloria in excelſis* cum ſequentiis canere. Refertur bulla in ord. op. Dei ſæc. XIV. ubi alias notatur: „*Gloria in excelſis Deo* in Adventu, & poſt Septuageſimam dimittitur.“ Obſervat De-Vert, monachos Ord. S. Bened. *Bretevilanos* in diœceſi *Bellovacenſi* ſimile privilegium accepiſſe ab Innocentio IV, ut diebus feſtis infra Adventum *Gloria in excelſis* dicere liceret. In mſc. miſſali noſtro ſæc. XV. ſub Christophoro abbate ſcripto notatur: „Si feſtum S. Andreæ in Adventum incidat, item feſtum S. Thomæ, non dicitur *Gloria.*“ Dicit tamen *Micrologus*: „Symmachus papa conſtituit, ut in dominicis diebus & natalitiis martyrum hymnus *Gloria in excelſis* dicatur: quod & nos obſervamus in omni dominica, & in feſtis novem lectionum, excepto infra Adventum Domini, & a Septuageſima uſque in Paſcha: in iis tamen diebus natalitia apoſtolorum & feſta S. Mariæ iuxta *Romanam* conſuetudinem *Gloria in excelſis* recipiunt. In concilio *Colonienſi* an. 1307. ſtatuitur: „ut in feſto Annunciationis, & in feſto Purificationis Beatæ Virginis Mariæ, & beati Petri ad Cathedram, beati Matthiæ apoſtoli, quando intra Septuageſimam evenerint *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis* decantentur. Hoc adiecto, quod quandocunque *Gloria in excelſis* in quocunque feſto decantatur, ſemper, *Te Deum laudamus* cantabitur, præterquam in tribus diebus, hoc eſt in Paſchæ & in Pentecoſtes vigiliis, & in ſancta nocte Nativitatis Domini, in quibus ante primam miſſam *Te Deum* non cantabitur. In miſſali *Baſileenſi* ſæc. XV. habetur hæc regula: „Quando in matutino dicitur *Te Deum*, dicitur *Gloria in excelſis*, & *Ite miſſa eſt.* De uſu hymni etiam apud Proteſtantes agit *Erhardus* Reuschius in programmate: „Novi fœderis hymnus angelicus ex hiſtoria rituum ſacrorum illuſtratus &c. p. 21.

Explic. T. III. p. 60.

C. 45.

T. IV. Conc. Germ. pag. 108.

X. Sequitur ſalutatio populi, antequam ritu *Gallicano* a diacono ſilentium indicebatur, facta, ut habetur in expoſitione liturgiæ *Gall.* apud Martenium: „Silentium autem diaconus pro duobus rebus adnunciat, ſcilicet ut tacens populus melius audiat verbum Dei, & ſileat cor noſtrum ab omni cogitatione ſordida, quo melius recipiatur verbum Dei. Sacerdos ideo datur populo, ut, dum ille benedicit plebi dicens, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, ab omnibus benedicatur dicentibus *Et cum ſpiritu tuo.*“ Congruit hoc canoni 21. Conc. I. *Bracarenſis*: „Item placuit, ut non aliter epiſcopi & aliter presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent, dicentes: *Dominus ſit vobiſcum &c.*“ Ritu autem *Mozarabico* non ſe convertit ſacerdos populum ſalutando. Alia omnia ordine *Romano* præſcribuntur: „Poſt hoc dirigens ſe iterum ad populum dicens *Pax vobis* & regyrans ſe ad Orientem dicit *Oremus.*“ Et in noſtro breviario ordinis eccleſiaſtici,

Salutatio populi.

Theſ. nov. Anecd. T. V. p. 91.

Ord. I. n. 9. p. 9.

ut etiam in aliis: „Deinde aſpiciens ſacerdos ad populum, dicit *Pax vobis*, & reſpondent omnes *Et cum ſpiritu tuo.*“ Apud Amalarium legitur: „Quando dicimus *Pax vobiſcum*, ſive *Dominus vobiſcum*, quod eſt ſalutatio, ad populum ſumus verſi. Quos ſalutamus, eis faciem præſentamus: excepto in uno, quod eſt in præparatione hymni *Te igitur.* Ibi iam occupati circa altare, ita ut congruentius ſit uno modo verſos nos eſſe, quam retro aſpicere, ad inſinuandam intentionem devotiſſimam, quam habemus in offerendo ſacrificio.“ In codice Ratoldi habetur: „Poſtea, *Pax vobiſcum*, etiamſi non ſoleat dicere epiſcopus, niſi tantum diebus feſtis.“ Nimirum quando dicitur *Gloria in excelſis*, ut hodieque in miſſa pontificali obſervatur.

De offic. eccleſ. n. 9. p. 9.

An autem inde, quod olim hymnum illum non dixerint presbyteri, remanſerit uſus, ut *Dominus vobiſcum*, non autem *Pax vobis* dicant, affirmare non auſim. Id certum eſt, in miſſa pontificali multa ſervari, quæ olim promiſcui erant uſus. In ordine miſſæ tamen, quem ex codice *Chiſiano* edidit Card. Bona, qui eſt ſacerdotibus communis, habes: „Deinde verſus ad populum cum quo verti debet & diaconus, dicat *Dominus vobiſcum.* Quod hodieque ſervari *Senis* in eccleſia *S. Ioannis*, teſtatur De-Moleon in *Itinere liturg.* ut quoties ſe ſacerdos, etiam cum eo ſe ad populum vertat diaconus.

Append. II. Rer. liturg.

pag. 54.

Diacono certis temporibus incumbit poſt ſalutationem dicere *Flectamus genua*, ac idem olim dicebat etiam *Levate*, ſed ad clauſulam demum orationis, ſub qua præter ſacerdotem, qui poſt factam genuflexionem ſe erigebat ad orationem dicendam, omnes cum diacono eodem ſitu corporis genuflexi perſiſtebant, ut adhuc cernere eſt in miſſali *Teutonico*, quod finiente ſæc. XIV. ſcriptum eſt, teſtaturque de eccleſia *S. Martini Turonenſi* De-Moleon.

Voyage lit. p. 128.

Prima Collecta ſeu Oratio.

XI. Sequitur oratio poſt ſalutationem populi. „Prima oratio (inquit Isidorus) eiusdem miſſæ ammonitionis erga populum eſt; ut omnes excitentur ad exorandum Deum.“ In liturgia *Gallicana* præcedit *Præfatio*, ubi annotat Mabillonius: „Hic alio modo ſumitur *Præfatio*, quam in miſſalibus noſtris vulgatis: ubi *Præfatio* Canonem præcedit, hic prima ſacerdotis oratio, qua circumſtantium animi præparantur ad miſſam.“ Collectio ſequitur. Quæ etiam eodem ritu vocatur *oratio poſt prophetiam* in ſacramentario *Bobienſi*: in miſſali *Gothico-Gallicano collectio poſt prophetiam.* Noſtro uſu Collecta, ſcilicet *ſuper collecta plebe*, atque *Ambroſiano* ritu *oratio ſuper populum* dicitur. „Proprie tamen Collectæ dicuntur (inquit Innocentius III.) quæ ſuper Collectam populi fiunt, dum colligitur populus,

De offic. eccleſ. lib. I. c. 15.

De lit. Gall. p. 193.

Myſter. miſſa lib. II. c. 27.

ut

ut ad ſtationem faciendam de una eccleſia procedant ad alteram.“ Hinc eſt, quod in antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Rhenaug.* duæ hic plerumque orationes occurrant, in altero autem nonnullis ſaltem diebus, atque tunc prior nominatim *collecta* rite dicitur e. g. in feſto Purificationis, feria item IV. Cinerum, de quibus etiamnum aliquid veteris uſus ſervatur in proceſſionibus. Ad rem vero omnino loquitur RADULPHUS *Tungrenſis* de hac, qua de agimus, Collecta. „Illa namque (inquit) apud *Romanos* fit ſuper populi Collectionem, dum colligitur, ut procedat de una eccleſia in aliam ad ſtationem faciendam, ut in die Cinerum apud ſanctam ANASTASIAM. *Oratio Concede*, quando ſtatio ad ſanctam SABINAM. Et apud ſanctum ADRIANUM in die aſſumtionis, oratio *Veneranda.* Et in die Nativitatis MARIÆ oratio *ſupplicationem ſervorum* quando iuxta Conſtitutionem GREGORII Papæ litania exit a S. ADRIANO ad S. MARIAM MAIOREM. Et has duas collectas, quia non capellares, Fratres ſine cauſa omittunt. Iuxta ordinem autem *Romanum*, ut dicit *Micrologus* c. 4. non niſi unam orationem ante lectionem dicere debemus, ut AMALARIUS a multis in prologo libri ſui de officiis ſe ab ipſis *Romanis* didiciſſe fatetur.“ Agitur autem ibi apud AMALARIUM de aliis collectis, de quibus mox diximus, quando duæ orationes in ſacramentariis antiquis occurrunt, ſequitur vero una tantum ſecreta & poſtcommunio. *De Canon. obſerv. p. 23.*

Alia eſt quæſtio, quando hæ etiam orationes dupplicantur in concurſu ſc. duorum officiorum, ut ſæpe uſuvenit in antiquis ſacramentariis, ſolet autem quodvis officium totum ſeparatim plerumque poni, atque id vult AMALARIUS, cuius hæc ſunt verba in proœmio libb. de officiis: „Poſtquam ſcripſi libellum, qui a mea parvitate vocatur de eccleſiaſtico officio, veni *Romam*, interrogavique miniſtros eccleſiæ *S. Petri*, quot orationes ſoliti eſſent celebrare ante epiſtolam Miſſæ per dies feſtos, in quibus duas ſolemnitates celebramus: ſicuti eſt in Nativitate Domini ad Miſſam ſecundam de nocte, in qua continetur duplex officium in ſacramentario, id eſt unum de eadem Nativitate Domini, & alterum de S. ANASTASIA. Et in dominicis diebus, in quibus frequenter recolimus ſolemnitates plurimorum Sanctorum: Reſponſum eſt mihi una tantum.“ Idem reſponſum *Rhabano* MAURO a miniſtris Eccleſiæ S. PETRI *Romæ* datum eſſe, laudatus teſtatur RADULPHUS, ſubditque: „Inde eſt, quod in antiquioribus libris eadem die miſſæ ſunt duplicatæ. Ut in Inventione S. Crucis: in die S. AUGUSTINI, Decollationis IOANNIS, Omnium Sanctorum, & cæterorum. Ex unitate ergo miſſæ quotquot ſint orationes, prima ſemper per ſe eſt dicenda, etiamſi ſint tantum duæ ſecundum *Romanum* ordinem & uſus approbatiores.“ De his oratio-

Digitized by Google

Myſter. miſſ. lib. II. c. 27. *Ibid. c. 28.* tionibus cavet INNOCENTIUS III. ut *ſacerdotes in miſſa ſeptenarium numerum non excedant*: ac peculiariter poſtea agit de extenſione manuum ſacerdotis in miſſa: *ſtans ergo pontifex ad orandum manus elevat & extendit aſtantibus hinc inde miniſtris, qui manus eius ſuſtentant. Sacerdote coram eo tenente ſacramentarium.*

Clauſula *Per Dominum &c.* XII. Cum vero in ſacrificio miſſæ Chriſtus Deo Patri hoſtia litetur propitiatoria, atque orationes ad Patrem ſoleant dirigi, perpetuo tamen eccleſiæ uſu ad Filium, ac per Filium terminantur iuxta Chriſti effatum: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* „Paganum vocas eum (inquit OPTATUS *Milevitanus*) qui Deum Patrem per Filium eius ante aram rogaverit.“ *Lib. II. contra Parmenian.* In capitulari, quod in ſynodo datum eſt, cui S. BONIFACIUS interfuit, tit 9. eſt *de regula collectarum*, ſtatuiturque: *T. I. Conc. Germ. p. 55.* *Nullus in precibus niſi ad Patrem dirigat orationem, ſecundum illud.* Si quid petieritis Patrem in nomine meo. *Et ut prius eas cum inſtructioribus tractet.* Dudum ante in concilio *Carthagin.* III. ſtatutum eſt, ut *per Filium terminetur.* Qua de re multis agit S. FULGENTIUS in epiſtola ad FERRANDUM diaconum de quinque quæſtionibus. „Quare ergo (ponitur quæſtio) in orationibus ſacerdotum *Per Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti* per univerſas pene *Africæ* regiones catholica dicere conſuevit eccleſia, tanquam ſolus Filius cum Patre poſſideat regnum in unitate ſcilicet Spiritus ſancti, ut regnantes adunare, non ſimul regnare Spiritus ſanctus intimetur?“

Quid reſpondeat hic loci referre nihil intereſt, tantum obſervo deſiderari hic vocem *Deus* eo loco, quo in antiquioribus noſtris, ſecus ac in hodiernis libris liturgicis, habetur, ſcilicet: *Qui tecum vivit & regnat Deus*, ut *Micrologus*, & RADULPHUS *Tungrenſis* annotarunt. *Cap. 6.* „In qualibet autem (inquit ille) concluſione commemorationem ſanctæ Trinitatis obſervare ſolemus, iuxta quod in emendatioribus ſacramentariis expreſſum invenimus. . . . Sciendum autem in illa uſitata concluſione *Per Dominum noſtrum*, Quod *Romanus* ordo & antiquiſſima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur: *Qui tecum vivit & regnat Deus*, quod tamen moderni poſt nomen Spiritus ſancti ſubiungere ſolent. Et hæc utique conſuetudo etiam apud *Romanos* uſquequaque adeo invaluit, ut antiquæ traditionis executio iam non ſine ſcandalo locum habere poſſit: quod iuxta apoſtolum & evangelium in tam levibus cauſis devitare debemus.“ Quæ eadem habet RADULPHUS, idemque non ſolum apud *Romanos*, ſed alias etiam nationes ſervari notat, excepto ritu *Ambroſiano*. *De Canon. obſerv. prop. 23.*

broſiano. Addit: „Secundum *Romanam* auctoritatem nulla oratio *Per eum, qui venturus eſt*, concluditur, niſi per quam diabolus adiuratur. Quando oratio dicitur omnes adſtantes ſecundum antiquam Patrum traditionem in ſignum confirmationis *Amen* ſubiungere debent, ut communem orationem, quam ſacerdos pro omnibus Domino obtulit, confirment. Unde & ipſa ſecreta *Per omnia ſæcula ſæculorum* altius dicit, ut præmiſſa oratio per *Amen* a populo confirmari poſſit.“

XIII. Reperimus nonnunquam in antiquis codicibus cantum illum votivum (laudes ſeu triumphum vocant) *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat tribus vicibus*, *ſimul & clerus. Exaudi Chriſte R. P.* Nicolao *ſummo pontifici*, *& univerſali Papæ vita &c.* Ut habetur in cod. *ſan-Gallenſi* 900. annorum. Sic die 22. *Februarii* anni huius 1775. in inauguratione hodierni pontificis (mihi, dum annis 1762. & 1763. *Romæ* degebam, familiaris) poſtquam primus diaconus Cardinalis *Alexander* Albani incepiſſet cantare laudes ter dicendo: *Exaudi Chriſte*, reliquus ordo Cardinalium, aſſiſtentium &c. ſuccinebat: *Domino noſtro* Pio VI. *a Deo decreto ſummo pontifici, & univerſali papæ vita.* Proſecutus eſt itidem ter idem Cardinalis *Salvator mundi.* Reſpond. reliqui ordines *Tu illum adiuva.* a) Vid. T. I. *de Cantu & Muſica ſacra &c.* lib. II. P. I. c. 4. p. 385. Laudes. a

XIV. In ordine noſtro *Romano*, quem ex variis Mſſ. *Alemannicis* edimus, notatur de pontifice: „Et non ſedet antequam dicat poſt orationem primam *Amen.*“ Uti etiam Amalarius monet, atque ordo III. apud Mabillonium. In ord. II. „Poſt primam autem datam orationem pontifex ſedet verſus ad populum, & presbyteri cum eo ad nutum eius, & diaconi ſtant ante pontificem.“ Seſſio poſt Collectam. *Lib. III. de offic. c. 5.*

Ubi nota in vulgatis apud Cassandrum p. 99. & Hittorpium p. 2. hæc verba: *Pontifex ſedet tribus horis verſus ad populum.* Lectionem hanc qualemcunque, vulgarem fuiſſe, expoſitiones nonnullæ veteres demonſtrant, veluti illa apud Cassandrum: „Quod autem epiſcopus aut ſacerdos ſedet in officio miſſæ tribus horis, dum epiſtola legitur, & reſponſorium cantatur & *Halleluia*, ſignificat tres dies, quibus in templo Dominus ſedit duodecim annorum *Hieroſolymis* in medio doctorum, audiens & interrogans illos.“ In altera expoſitione miſſæ ſeu ordinis *Romani*, a Cochlæo *pag. 136.*

a) Paullo ante, in acceſſu pontificis ad altare ter idem magiſter cerimoniarum eidem acclamavit: *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi*, ſtupam ardentem manu oſtentans. Ut in impreſſa *Romæ* relatione legere eſt.

LÆO primum edita in *Speculo*, ex bibliothecæ *Stolpenſis*, *Dresdenæ*, & *Eychſtetenſis* codicibus venerandæ vetuſtatis, ut idem teſtatur, quam pariter *Venetiis* recudi curavit *F. Nicolaus* AURIFICUS *Senenſis Carmelita*, uti & HITTORPIUS (qui & alios duos codices valde antiquos nactus eſt) relatis verbis ordinis *Romani* vulgati eadem allegoria explicatur, quam ex CASSANDRO retulimus: „Sedet tribus horis, quia Chriſtus, cum eſſet annorum XII. ſedit in templo in medio doctorum tribus diebus.“ At nihil auctores, qui tanto numero medio ævo de rebus liturgicis ſcripſerunt, nec quidem AMALARIUS, qui omnia rimatus eſt, atque ubique allegorias conſectatur, de his tribus horis habet vel alibi, vel in ſua ecloga in ordinem *Romanum* ſecundum, cum habeat peculiare caput *De ſeſſione epiſcopi.* Nec etiam HONORIUS *Auguſtodunenſis*, qui de eadem ſeſſione articulatim omnia proſequitur. Cumque, ut ſupra notavimus, integræ liturgiæ celebratio, comprehenſa etiam homilia, duabus aut tribus horis conſtiterit olim, ſane commodam interpretationem tres illæ ſeſſionis horæ nullam habent; quod in expoſitionibus illis præſertim apud CASSANDRUM, notari videtur: „Dum epiſtola legitur, reſponſorium cantatur, & *Halleluia.*“ Perinde etiam eſt, ſi ſimul comprehendamus ſeſſionem poſt evangelium ad homiliam, accipiamusque ſeſſionem a confeſſione facta uſque ad offertorium, ut de hodierno etiam uſu eccleſiæ cathedralis *Verdunenſis* notat in *Itinere litterario* P. MARTENIUS.

T. III. Anecd. Pezii P. I. pag. 290. 291.

P. II. p. 93.

Ex quo obſerva ſeſſionis huius modum in figura typis æneis expreſſa, ſuperius a me relata, qua epiſcopus in ſede eminentiori comparet, presbyter ad dextram ſedet, diacono ad ſiniſtram ſtante. Hoc idem HONORIUS citato loco notat, atque iam S. HIERONYMUS in epiſtola ad EVAGRIUM innuit: „Cæterum etiam in eccleſia *Romæ* presbyteri ſedent, & ſtant diaconi: licet paullatim increbreſcentibus vitiis inter presbyteros abſente epiſcopo ſedere diaconum viderim, & in domeſticis conviviis benedictiones presbyteris dare.“ Qua de re vid. BARON. ad annum 402.

Ep. 85.

Lectio.

XV. Nec, quales aut quam prolixæ olim fuerint lectiones, ad ſpatium illud trium horarum proferri poſſunt. Iam IUSTINUS M. Apol. II. teſtatus eſt *Apoſtolorum commentaria, aut Prophetarum ſcripta, quoad tempus permittebat*, lecta fuiſſe. CÆSARIUS quidem *Arelatenſis* iis, qui pedes dolerent, aut aliqua tenerentur infirmitate, conſilium dedit, ut quando aut paſſiones longiores, aut aliæ lectiones prolixiores legerentur, ſederent. Præter lectiones ſacræ ſcripturæ etiam huiusmodi acta martyrum lecta fuiſſe, variarum eccleſiarum monumenta vetera docent, veluti de *Africana* paſſim apud S. AUGUSTINUM teſtimonia habentur, extatque in hanc rem

Serm. 300. in append. T. V. S. Aug.

can. 46.

Digitized by Google

can. 46. codicis *Africani.* Quem etiam HADRIANUS papa adducit in epiſt. ad CAROLUM M. adverſus obiecta, quæ contra ſynodum VII. ſunt facta. RUINART præfatione in acta MM. eandem eccleſiæ *Gallicanæ* conſuetudinem ex fragmento homiliæ AVITI *Viennenſis* probat, atque ex lectionario *Luxovienſi*, a MABILLONIO in Liturgia *Gall.* edito, ubi *acta apoſtolorum* PETRI & PAULI epiſtolæ præmittuntur, & HILDUINI epiſtola ad LUDOVICUM *Pium Areopagiticis* præfixa. Quod MABILLONIUS nonnullis locis ex GREGORIO *Turonenſi* confirmat, itemque de ritu *Mozarabico* ex BRAULIONE in vita S. ÆMILIANI, quam ſe ſcripſiſſe ait, *ut poſſet in miſſæ eius celebratione quantocyus legi.* *Act. ſinc. p. 272.* *De lit. Gall. lib. I. c. 5.*

Ingens equidem fuiſſe legitur eccleſiæ *Romanæ* ſtudium in conſignandis, conquirendisque eiusmodi actis, aliunde etiam illuc mitti conſuetis, ut ex actis S. VIGILII epiſcopi *Trident.* & M. conſtat in antiquo codice, quem OBRECHTUS *Argentoratenſis* MABILLONIO commodavit: „Geſta vero beatiſſimi martyris, ut moris erat, urbis *Romæ* epiſcopo transmiſſa eſt, ut ſacris martyrum memorabilibus inderetur.“ Nihilominus, quod in eccleſia *Romana* non lecta fuerint, rationem prodit decretum GELASII P. in concilio *Roman.* „Sed ideo ſecundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta *Romana* eccleſia non leguntur, quia & eorum qui conſcripſere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur.“

Nec etiam ordinarie in eccleſia *Romana*, pariter ac in *Africana*, ut ex S. AUGUSTINO conſtat, tres fuerunt lectiones in miſſa: præter evangelium una ex veteri, altera ex novo teſtamento, quarum illa ritu *Gallicano* & *Mozarabico* prophetia, hæc epiſtola nuncupabatur, interpoſita in liturgia *Gallicana* Collectione poſt prophetiam, in *Mozarabica* autem cantu, quem *pſallendam* vocant. Suo loco notabimus *Romani* conſuetudinem Miſſalis, in miſſis quatuor Natalis Domini duas lectiones ex veteri & novo teſtamento unam poſt alteram immediate legendi. Quam rem RADULPHUS *Tungrenſis*, & alia quædam notatu digna memorat: „*Romani* ex ordine *Ambroſiano* ſolam lectionem admittunt: nunc de veteri nunc de novo teſtamento cum reſponſorio & *Alleluia.* Et hodie, ut dicunt, eccleſiæ plures civitatis *Mediolanenſis* ex more *Romano* ſola lectione cum *Alleluia* contenti ſunt. In eccleſia tamen maiore ſemper ſervatur antedictus decor, quem in *Romano* officio in quatuor miſſis Nativitatis Domini dumtaxat receptum videmus. Unde aliquæ eccleſiæ *Italianæ* in tribus miſſis ipſius diei Graduale poſt primam interponunt lectionem, morem beati AMBROSII imitantes. Et in vigilia Graduale dividunt, *De Can. obſerv. prop. 23.*

Qq 2 primam

primam partem poſt primam lectionem, & verſum poſt lectionem ſecundam decantando. Fratres tamen noſtri has primas lectiones a *Romano* officio amoverunt in ſex feriis quartis ante ſabbatum ordinationum. In *Romano* duæ ſunt lectiones cum duobus reſponſoriis. Et *Micrologus* cap. quinquageſimo ſecundo dicit, quod feria ſecunda & quarta poſt Palmas duæ lectiones continuatim, ut in Nativitate Domini leguntur."

In noſtro ordine *Romano*, quem ex codice *Tigurino* damus, habentur hic quædam, quæ in aliis omnibus tum editis cum etiam Mſſ., quæ vidi, deſiderantur: „Et tunc (poſt orationem primam) ſumantur cereoſtata de loco, in quo prius ſteterant, ut ponantur in una linea apud mediam eccleſiam. Interea diaconi ſi tempus fuerit, levant planetas in ſcapulas, & ſtant iuxta pontificem. Similiter & levant ſubdiaconi, ſed cum ſinu, & tunc aſcendunt ſubdiaconi regionarii ad altare ſtatuentes ſe ad dexteram ſive ad ſiniſtram altaris. Subdiaconus quidem, qui lecturus eſt, mox ut viderit poſt pontificem epiſcopos vel presbyteros ſedentes, aſcendit in ambonem & legit." Quod de cereoſtatis dicit, aliter habet

T. XVI. Bibl. PP. p. 951. REMIGIUS *Antiſiodorenſis* de celebratione miſſæ: „Incipiente autem ſubdiacono apoſtolicam lectionem, verſo ordine cerei transferuntur ab oriente in occidentem."

De aſcenſione in ambonem diximus ſupra. Notandum tamen, quod relatis ex noſtro ordine *Romano* verbis additur in ſecundo ordine apud MABILLONIUM: „Aſcendit (ſubdiaconus) in ambonem, ut legat, non tamen in ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui evangelium lecturus eſt." Ad quæ verba reſpicit expoſitio miſſæ, ſeu ordinis *Romani*, quam ex mſs. *germanicis* COCHLEUS & HITTORPIUS ediderunt, ac ſupra coniecturam noſtram retulimus, forte eſſe BEROLDI ſeu BERCHTOLDI *Conſtantienſis*. Sic vero habet: „Ubi autem evangelium legitur, ibi epiſtola legi non debet, ſed in ſubteriori gradu."

C. 8. Demum ſequentia ex *Micrologo* obſervaſſe iuvat de lectore epiſtolæ, cum contra fieri hodieque alicubi viderim, ut etiam pueris chori legenda in eccleſiis ruralibus committatur: „Solis ſubdiaconibus inter inferiores gradus *Romana* auctoritas concedit, ut ſacris veſtibus induti epiſtolam legant ad miſſam. Quod tamen non ex eorum conſecratione, ſed potius ex eccleſiaſtica conceſſione meruerunt obtinere, unde & rationabilius eſſe videtur, ut ipſe ſacerdos ſibi epiſtolam legat, quam ut aliquem nondum ordinatum adſciſcat ad legendum."

Reſponſorium, Graduale &c. XVI. „Poſtquam vero legerit (ut habet ordo noſter *Romanus*) cantor cum cantatorio aſcendit & dicit reſponſum gradale. Et ſi fuerit tempus

ut

ut dicatur *Alleluia* bene; ſin autem Tractum, ſi minus tantummodo reſponſum.“ A gradibus ambonis dicitur Gradale, Reſponſum ſeu Reſponſorium a cantu reſponſorio, quatenus diſtinguitur ab antiphono, ſive alterno, & Tractu, continuo unoque tractu ad finem perducto. In reſponſorio autem ad verſus reſpondeat chorus, ut ſuo loco in opere *de Muſica eccleſiaſtica* explicavimus. Antiquiſſimum huius cantus reſponſorii exemplum habetur ad calcem *Sympoſii* S. METHODII M. T. III. Bibl. SS. PP. ed. nov. *Venetæ* p. 742. in pſalmo cum ὑπακοῆ, ſeu verſu reſponſorio, quem choro virginum ſuccinente S. THECLA præcinebat. Graduale olim plures etiam habebat verſus. Sic in ordine officii in domo S. BENEDICTI ante PASCHA, quem ex codice *Auguſtano* apud *S. Udalricum* edidit MABILLONIUS, legitur: „Cantant graduales duos unumquemque cum quinque verſiculis.“ *Annal. t. 151.*

Qui nimirum verſus in ambone a cantore ſolebant cani eodem in gradu, quo a lectore lectio. „Non aſcendit (inquit in ecloga AMALARIUS) ſuperius, qui reſponſorium cantat, quam qui lectionem legit, ſed ſtat in eodem gradu: & ſi aſcendit ſuperius, ſecundum ſuperius dictos modos intelligitur.“ Nimirum, ut alibi AMALARIUS ac etiam vetus expoſitio miſſæ ſeu ord. *Romani* habet apud HITTORPIUM: „Cantor in cantorio ſine aliqua neceſſitate aſcendit non ſuperius, ſed ſtat in eodem loco, & ſolus inchoat reſponſorium. Et cuncti in choro reſpondent.“ *pag. 583.*

Hunc cantum S. AUGUSTINUS ſæpe pſalmum vocat, apoſtolum inter & evangelium interpoſitum. Ac etiam alicubi reſponſorium innuere videtur: „Hoc de apoſtolica lectione percepimus. Deinde cantavimus pſalmum exhortantes nos invicem una voce uno corde dicentes: *Venite adoremus & proſternamur ei.*“ Qui potuit eſſe verſus reſponſorius. Dicit tamen *Walafridus* STRABO: „Reſponſoria & *Alleluia*, quæ ante evangelium cantantur, deinde adiuncta videntur, poſtquam antiphonæ ad ingreſſum dici expirarunt, quæ & videntur prohibita canonibus *Hiſpanorum*, qui longo poſt tempore ſunt conſtituti.“ Reſpicit canonem 12. concilii IV. *Toletani*, ubi improbatur in quibusdam eccleſiis *Hiſpaniarum* laudes poſt apoſtolum decantari, priusquam evangelium prædicetur, dum canones præcipiunt poſt apoſtolum non laudes, ſed evangelium annuntiari. BERNO etiam putat tempore huius concilii gradualia frequentari cœpiſſe, & *Hiſpanos* rei novitate perculſos reſtitiſſe. Quod tamen recte Card. BONA, non indiſcriminatim, ſed de ritu *Mozarabico* intelligendum vult, quo laudes, id eſt *Alleluia* cum verſu canebatur poſt primam lectionem. Inter apoſtolum autem & evangelium tantum reſponſio *Amen* interceſſit. Qua de re quidquid ſit, certe ritu veteri *Gallicano* hic reſponſorium interpoſitum fuiſſe, *De verbis apoſt. ſerm. 10.* *De rebus eccl. c. 22.* *De quibusdam rebus &c. c. I.* *Lib. II. Rer. lit. c. 6.*

T. V. Theſ. N. p. 93. docet expoſitio veteris liturgiæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM: „Secundum hoc etiam eccleſia ſervat ordinem, ut inter benedictionem & evangelium lectio intercedat niſi tantummodo reſponſorium, quod a parvolis canetur.“

Benedictio eſt hymnus *trium puerorum*, de quo agit: qui ritu *Gallicano* & *Mozarabico*, magis quam *Romano*, frequentabatur ſabbatis tantum IV. temporum, ut hodieque fit. De hoc AMALARIUS intelligendus eſt, dum dicit: „In ſabbato quando benedictio datur.“ Et poſtea: „Novimus enim ex multis auctoribus, quod dies ſabbati, ſicut quarta ſabbati & ſexta, incluſa erat ieiunio apud *Romanos*, & in eo officium mutatum ſæpe habemus, ſicut in quarta & in ſexta ſabbati, & præcipue in ea benedictio datur, quia ipſa eſt, cui benedixit Dominus.“ Notandum tamen ex eodem, benedictionem etiam dici ſolitam *Benedicamus Domino* in fine miſſæ. „Quam (inquit) orationem ubique ſequitur benedictio & gratiarum actio, hoc enim ſonant verba *Benedicamus Domino* & *Deo gratias.*“ Apud *Ioſephum* CARI ſeu THOMASIUM: „Incipiunt has benedictiones hoc modo: *Benedictus es in firmamento cœli.*“

Lib. de off. c. 3.
Lib. IV. c. 37.
Ibid. c. 49.
Antiqui libri miſſ. Rom. eccl.

De Sequentiis, quæ neumis ſeu longioribus modulationibus in *Alleluia* ſunt ſubſtitutæ, diximus in opere *de Muſica eccleſiaſtica*, quæve in veteribus miſſalibus *Alemannicis* frequentiſſimæ ad ſingula fere feſta habentur plerumque in calce codicum. Sed pleræque ritu & ordinatione *Romanæ* eccleſiæ ſunt ſublatæ.

In miſſa ILLYRICI hic habentur longæ orationes *inter lectionem & evangelium, id eſt tempore Gradalis, & Alleluia, ac Sequentiæ.* Similes etiam in miſſa, quam ex codice *Chiſiano* Card. BONA edidit in append. altera, ubi etiam litania & aliæ preces ſubiunguntur. Sed hæc omnia ſpatium ſeſſionis trium horarum, de qua paullo ante, non complent.

Evangelium.

XVII. Singulare eſt in noſtro ord. *Romano*, quod in vetuſtiſſimis a MABILLONIO editis deſideratur. „Ad complecionem autem *Alleluia* vel reſponſi parant ſe diaconi ad evangelium legendum; ſi autem diaconus ibidem non fuerit, presbyter ſicut diaconus ſtat iuxta pontificem, ſed non relevata planeta, ubi evangelium legere debet ibi ſe parat, ubi & diaconus. Sed ſtatim, ubi prælegerit evangelium & venerit ante altare, reveſtit planetam, & ornat altare ſicut diaconus.“ Quod de planeta dicitur explicatius habet in prologo de officiis AMALARIUS, quomodo etiamnum uſus apud nos obtinet, quando loco dalmaticarum caſulis utuntur ſeu planetis, cum ſinu, miniſtri: „Quando verſus de *Alleluia* canitur, exuit ſe planeta diaconus, ſtolamque poſt tergum ducit ſubtus dextram alam una cum planeta, & parat ſe ad miniſtrandum, ac in eo habitu perſeverat uſque dum apoſtolicus receſſerit ab altari.“ Idem

Idem in ecloga pluribus explicat, quæ huc pertinent in ord. *Rom.* expoſita, præſertim ad ſolemnem tam in Oriente quam Occidente evangelii deductionem. „Primi præcipuique ſubdiaconi munus eſt iuxta ordinem *Romanum* miſſæ pontificiæ, evangeliorum volumen, obvolutum, obſignatumque e ſecretario deferre, quod nonniſi annuente ſubdiacono reſignatur, ſuper planetam unius acolythi, vel duorum, ſi grandius erat: reſignatum volumen ad altare deferatur, ante quod ſubdiaconi ſeſe inclinant. Ab altari ſumptum diaconus ad ambonem defert præcedentibus duobus ſubdiaconis cum thuribulis ac thymiaterio, duobus item acolythis cum cereoſtatis“ quod ſaltem hodie fit, dum ſolemnis in proceſſione ad altare & in ambonem ceſſavit delatio. De qua in expoſitione liturgiæ *Gallicanæ* ſingularia habentur apud MARTENIUM: „Tunc in Adventu ſancti evangelii claro modulamine denuo pſallat clerus *Aius*. . . . Egreditur proceſſio ſancti evangelii velut potentia Chriſti triumphantis de morte cum prædictis armoniis & cum ſeptem candelabris luminis. . . aſcendens in tribunal analogii.“ *Theſ. N. T. V. p. 93.*

Lectricium vocat RUPERTUS *Tuitienſis*, quod eſt ambo in ordine *Romano*, & quidem eius ſuperior pars proprie eſt tribunal analogii, ubi lectum fuiſſe evangelium iam memini. *Analogium dicitur locus altus ſupra chorum, ubi ſtant libri ſanctæ prædicationis*, inquit *Petrus* BOHERIUS: cui favet S. ISIDORUS lib. XV. orig. c. 4. annotante ad laudatam expoſitionem liturgiæ *Gallicanæ* MARTENIO. *Lib. I. de offic. c. 35.*

Ad ſeptentrionem canitur illuc etiam converſo diaconi vultu, cum AMALARIUS in ecloga dicat: *Diaconus pronuncians verba evangelii ad meridiem ſtat verſus.* Referenda hic ſunt *Micrologi* verba c. 8. „Ad ſiniſtrum vero cornu altaris habent librum (ſacerdotes) cum legunt evangelium, vel cum ſacrificant: ut in dextra parte ſint expeditiores ad ſuſcipiendas oblationes, ſive ad conficienda altaris ſacramenta. Unde ad Aquilonem magis, quam ad meridiem verſi videntur, cum annunciant evangelium. Hinc itaque illa uſurpatio emerſiſſe videtur, ut etiam diacones in ambone contra *Romanum* ordinem ſe vertant ad aquilonem; potiusque ſe ad partem fœminarum, quam maſculorum vertere non vereantur. Quæ uſurpatio iam adeo inolevit, ut apud pleroſque quaſi pro ordine teneatur. Sed quia certiſſime contra ordinem eſt, & inhoneſta, a diligentioribus ordinis ſervatoribus merito refutatur.“ Ad nos attinet hic etiam commemorare morem, quo *Romæ* imperator in miſſa papali evangelium cantare conſuevit. Narrat vero ALBERTUS *Argentinenſis* ſeu MATH. *Neoburgenſis* in ſuo chronico ad an. 1347. CAROLUM IV. cæſarem *Baſileæ* Natalitia Chriſti Domini nocte poſt ſacroſanctæ Eucha-

riſtiæ

riſtiæ refectionem correpto exertoque altius gladio clariori voce legiſſe in miſſa evangelium: *Exiit edictum a cæſare Auguſto*: quæ aliaque de more ſtringendi gladium ad lectionem evangelii nec non de baculis *Ioannes* CIAMPINIUS annotavit Vet. monum. P. I. c. 16.

De baculis diximus ſupra, qui deponi ſolebant, etiam ab epiſcopis & abbatibus, ut IOAN. *Abrincenſis* dicit. ROBERTUS vero *Paululus* ſcriptor. ſæc. XII. cuius opus de offic. eccl. extat ſub nomine HUGONIS *de S. Victore*: *Plebs hic baculos deponit, reclinatoria relinquit.* Idem de baculis deponendis notatur in expoſ. Miſſæ apud HITTORPIUM p. 584. Ad finem libri I. de inſtitut. Cleric. RHABANI *Mauri* & apud *Walafr.* STRABONEM in decreto BURCHARDI refertur ſtatutum ſub nomine ANASTASII P. ſtandum eſſe, dum leguntur evangelia. Cuius etiam mentio fit in libro Pontificali. Deponebantur etiam coronæ, aut ſi quid aliud in capite operimentum eſſet: quod hodieque etiam inſulati ſervant prælati, etſi pedum paſtorale inter manus ante pectus teneant.

De offic. eccleſ. p. 17.

De rebus eccleſ. c. 22.

Lib. III. c. 3.

In ordine noſtro habentur hic aliqua, quæ deſiderantur in editis ac etiam Mſſ., quæ conſuluimus. *Ceteri vero acolythi ſumentes cereoſtata ponent ea retro altare per ordinem.* Apud AMALARIUM de officiis & in ecloga poſt lectum evangelium candelas extingui notatur.

Lib. III. c. 18.

Symbolum.

XVIII. „Poſtquam (inquit AMALARIUS in Ecloga, de *Credo in Deum*) Chriſtus locutus eſt populo ſuo, fas eſt ut dulcius & intentius profiteatur credulitatem ſuam. Sicque convenit populo poſt evangelium, quia Chriſti verba audivit, intentionem credulitatis ſuæ præclaro ore proferre.“ Nihil tamen de eo habetur in ordine *Romano* noſtro, & in ſecundo apud MABILLONIUM, in quem AMALARIUS commentatur. In veteri liturgia *Gallicana* nuſpiam fit mentio ſymboli, quæ certe haud fuiſſet poſthabita in ſacramentario ſaltem, quod ex *Bobienſi* codice edidit MABILLONIUS (ubi *Gloria in excelſis* ad miſſam dicendum ac alia notantur) & in expoſitione liturgiæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM. Symbolum *Nicænum* iam a MARCO ſucceſſore SILVESTRI, & *Cpolitanum* a DAMASO in miſſa inſtitutum eſſe RADULPHUS *Tungrenſis* vult cum aliis medio ævo, cum ſuo demum tempore ſub HENRICO id ſuſceptum *Romæ* teſtetur BERNO circa an. 1014. ſub BENEDICTO VIII., primumque in Occidente mentio habetur in concilio *Tolet. III.* „Ut per omnes eccleſias *Hiſpaniæ* vel *Galliæ* ſecundum formam eccleſiarum Orientalium concilii *Cpolitani* ſymbolum fidei recitetur.“ *Walafridus* STRABO, ubi huius decreti meminit: „A *Græcis* (inquit) ad *Romanos* ille uſus creditur perveniſſe. Sed apud *Gallos* & *Germanos* poſt deiectionem FELICIS hæretici, ſub glo-

De reb. eccl. c. 22.

glorioſiſſimo Carolo *Francorum* rectore damnati, idem ſymbolum latius
& crebrius in miſſarum cœpit officiis iterari.

Iam tum ventilata fuit quæſtio de additione in ſymbolo particulæ *Fi-*
lioque in concilio *Gentiliacenſi* an. 767. & poſtea in concilio *Aquisgranenſi*
an. 809. & paullo poſt in collatione *Romæ* ſub Leone III. cum legatis Ca-
roli M. Bernario atque Iesse epiſcopis, & Alario abbate habita, quæ re- *pag. 394.*
fertur T. I. Concilii *Germ.*, agebaturque tunc de eo publice in eccleſia can-
tando. Ubi ſic loquitur pontifex: „Quod te fortaſſe, ſi non dedigneris *pag. 396.*
audire, non immerito tangit, qui hic, quod hactenus in eccleſia Dei &
ſibi quisque ſapiens ſcire, & ſine cogitatione delicti inſipienter potuit do-
cere, iam deinceps non dico ſtulte diſcere, ſed nec ipſe ſapiens ſine præ-
varicatione poſſit cantare, cantandoque, ut vultis quemquam docere.“ In
epiſtola peregrinorum monachorum in monte *Oliveti* habitantium ad Leo-
nem III. quam edidit Baluzius, ortus habetur huius controverſiæ. Cum *T. VII.*
enim monachi illi eſſent *Franci*, Ioannis monachi reprehenſionem incur- *Miſcell. p.*
rerunt ex hac etiam inter alias cauſa, ut ipſi referunt: „In ſymbolo nos *14.*
dicimus plus, quam vos, *qui ex Patre Filioque procedit*, unde dicit iſte *pag. 15.*
Ioannes inimicus animæ ſuæ propter hunc ſermonem, eoquod hæretici
ſimus.“ In veteri expoſitione ſymboli pro catechumenis in ſacramentario
Gallicano Bobienſi nulla adhuc mentio fit de proceſſione ex *Filioque*, nec in
miſſa quadam dominicali, ubi in Conteſtatione dicitur Spiritus ſanctus u-
nus ex Patre procedens. Deeſt etiam in ſacramentario *Gelaſiano* vulgato, *Muſ. Ital.*
in quo græce & latine legitur ad traditionem ſymboli, itemque in pſalte- *T. I.*
rio græco mſc. *San-Gallenſi*, ubi cum canticis & oratione dominica etiam ſym- *P. II. p.*
bolum legitur. Habetur tamen ea additio in ſymbolo tam latino quam *313. 376.*
græco, quod in ordine precum ad miſſam edimus ex codice *San-Blaſia-*
no an. 800. Item in profeſſione epiſcoporum apud *Wormatienſem* civita-
tem ſub Ludovico *Pio* an. 868. atque etiam in miſſa Illyrici. *T. II. Conc.*

Solent in mſs. non adeo antiquis, potiſſimum autem in ordinibus o- *Germ. p.*
peris Dei, dies aſſignari, quibus *Credo* ſeu ſymbolum ſit dicendum. U- *310.*
nam ſaltem talem rubricam hic exſcribam ex miſſali *Murenſi* ſæc. XII.
quod in actis *Murenſibus* quintum recenſetur: *Credo in unum Deum* ca-
nimus in omni dominica die & in omnibus ſolemnitatibus, id eſt in Na-
tivitate Domini ad tres illas miſſas. In octava Domini. In Epiphania. In
Aſcenſione Domini. Item in feſtivitatibus ſanctæ Mariæ & apoſtolorum,
& in dedicatione eccleſiæ. In octavis autem Epiphaniæ & Aſcenſionis Do-
mini, & ſanctæ Mariæ, & apoſtolorum, & in ſabbato Paſchæ & Pente-
coſtes. In converſione quoque & in commemoratione S. Pauli, & in
cathedra, & in ad vincula S. Petri, & in nativitate ſancti Ioannis *Bap-*

tiſtæ, ſive in cæteris natalitiis Sanctorum; niſi, ſicut ſupra dictum eſt, non eſt conſuetudo, ut canatur.“ Vides rarius olim quam hodie ſymbolum cantari ſolitum.

Addere hic iuvat ſtatutum concilii *Baſilcenſis*: „Abuſum aliquarum eccleſiarum, in quibus *Credo in unum Deum*, quod eſt ſymbolum & confeſſio fidei noſtræ non complete uſque ad finem cantatur, aut Præfatio, ſeu oratio dominica omittitur... abolentes ſtatuimus, ut qui in his transgreſſor inventus fuerit, a ſuo ſuperiore debite caſtigetur.“

Symbolum quoque alternatim, ſeu per partes, organo interludente, cantare paſſim fuit vetitum: obſervat vero ac dilaudat De-Molbon in *Itinere liturgico* diverſas *Galliæ* eccleſias, in quibus duobus ſimul choris integrum decantatur. Nota demum ex Conſtitutionibus *Hirſaug.* apud P. Herrgott: „*Si Credo in unum* canitur, cum pervenitur: *qui locutus eſt &c.* lavat manus. Si vero non canitur, ſtatim finito evangelio.

De veteri diſc. monaſt. pag. 461.

Sermo, ſeu Concio. *pag. 73.*

XIX. Iuxta ordinem *Romanum* VI. apud Mabillonium, qui eſt alter miſſæ epiſcopalis, ut etiam apud Cassandrum habetur, perlecto evangelio „Epiſcopus accepto odore incenſi & evangelio deoſculato ad prædicationem per manus presbyteri & archidiaconi ducendus eſt. Et interim dum ſermonem facit ad populum, ſubdiaconus circumeundo fratribus evangelium apportet, ab omnibus ordinatim deoſculandum. Sin autem epiſcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere, *Credo in unum Deum*: & ita omnis chorus incipiens *Patrem omnipotentem* ad finem uſque perducat.“ Mabillonius hoc *Romæ* cœptum colligit ex Sozomeno a S. Leone, cuius primum inter pontifices extant ſermones. In eius ſermone II. de Paſchate notatur poſt ſacram lectionem ſacerdotis exhortatio. „Sed (inquit) adiiciendum etiam eſt noſtri ſermonis officium, ut ſicut pia expectatione depoſcere vos conſuetudinis debitum ſentio, ita ſolemnitati ſacratiſſimæ lectionis ſubiungatur exhortatio ſacerdotis.“ S. Gregorii homiliæ in evangelia ac feſta ſemper ad lectionem evangelicam præcedentem referuntur, uti etiam paſſim aliorum ſanctorum Patrum, ſolitasque homilias fieri in miſſa catechumenorum, quæ hic ante oblationem terminatur, formulæ loquendi indicant, præſertim *Græcorum* PP. Gregorii *Nazianzeni*, Chrysostomi, Augustini item, qui hoc ſermone quodam diſſerte dicit: „Ecce poſt ſermonem fit miſſa catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.“ Quam in rem notabilis eſt canon Concilii *Barcinonenſis* an. 540. „Cum de eccleſiaſtica regula tractaremus, antiquos canones relegentes inter cætera hoc cenſuimus obſervandum, ut ſacroſancta evangelia ante munerum illationem vel miſſam catechume-

Comment. in ord. Rom. pag. XLIII.

no-

Digitized by Google

norum in ordine lectionum poſt apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Iesu Chriſti, vel ſermonem ſacerdotis non ſolum fideles, ſed etiam catechumeni & pœnitentes & omnes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus.“ Quoad evangelium in concilio *Arauſicano*, etiam in *Galliis* ſtatutum eſt: *Evangelia* Can. 18. *placuit deinceps catechumenis legi apud omnes provinciarum noſtrarum eccleſias.*

Inter evangelium autem & oblationem in *Galliis* ſermones habitos iam ex Cæsario *Arelatenſi* annotavit Mabillonius, addit de more hoc Audoeni teſtimonium in lib. II. de vita S. Eligii c. 22. „Aliquo rurſus tempore agebatur natalis beati Martini. Cumque inter miſſarum ſolemnia, evangelica iuxta morem lectione expleta, divina Eligius populo prædicaret mandata &c.“ *De lit. Gall. lib. I. c. 5. n. 8.* Cui adiungi poteſt, quod apud Monachum *ſan-Gall.* lib. I. c. 20. de geſtis Caroli M. narratur, eum præcepiſſe, ut omnes epiſcopi per latiſſimum regnum ſuum in eccleſiaſticæ ſedis baſilica prædicarent, primatemque quemdam ad tale præceptum conterritum, cum nihil aliud ſciret, niſi delitiis affluere & ſuperbire, poſt evangelii lectionem aſcendiſſe ad gradum, quaſi ad alloquendum, populum &c. In expoſitione liturgiæ *Gallicanæ* cernimus cantum *Sanctus* redeunte evangelio anteceſſiſſe, tunc ſequitur *de Omelias* memorabilis locus: „*Omelias* autem Sanctorum quæ leguntur pro ſola prædicatione ponuntur, ut quidquid propheta, apoſtolus, vél evangelium mandavit, hoc doctor vel paſtor apertiori ſermone populo prædicet.“ *T. V. Theſ. N. Martenii p. 93.*

Colligit hinc in nota Martenius, homelias non ſolum a paſtore, verum etiam ab aliis compoſitas lectas fuiſſe, quod eluceſcit ex vita S. Cæsarii. Idque in concilio *Vaſenſi* ſtatuitur: *Si presbyter aliqua infirmitate probibente per ſeipſum non potuerit prædicare, ſanctorum Patrum homiliæ a diaconibus recitentur.* Ex vita ſeu miraculis S. Othmari diſcimus *Conſtantiæ* epiſcopum, cum propter frigoris ſubreptionem faucium raucedine impeditus, ipſe ſermonem facere non poſſet, quemdam archipresbyterum ambonem conſcendere ac vice ſui ſermonem ad populum facere iuſſiſſe: ita videlicet ut presbyter ipſe altiori paululum loco conſiſtens ea tantum proferret, quæ ſibi epiſcopus in vicino poſitus dicenda inſinuaret. *Acta O. S. B. ſæc. III. P. II. p. 165.*

Antiquiſſimi fere, quos in bibliothecis *Alemanniæ* reperimus, ſunt homiliarii; ſed aſſerere non auſimus, ad hanc potius divini officii partem, quam nocturni eos ſpectaſſe. Singulares vero ſunt duo codices *S. Gallenſes* ann. 800. in quibus per annum diſpertitæ ſunt homiliæ ſeu ſer-

mones non in evangelii, ſed epiſtolæ ſeu apoſtoli lectionem, quæ in miſſa ſolum fit. Id congruit illis, quæ mox ex liturgiæ *Gallicanæ* expoſitione retulimus.

CAPUT III.

De Miſſa fidelium ab Offertorio uſque ad Communionem.

I.

Ad Offertorium miſſæ fidelium initium.

Lib. III. de offic. c. 19.

Sacrament. cap. 87.

Progredimur ad eam miſſæ partem, quæ olim fidelium dicebatur, hinc miſſa incipi in miſſali *Mozarabico* expreſſe dicitur a ſalutatione fidelium. Et Amalarius „ſalutat (inquit) epiſcopus populum deprecando, ut Dominus ſit cum illo? Populus econtra orat pro ſacerdote, ut ſimul cum ſuo Spiritu ſit Dominus cum illo. Hæc ſalutatio introitum demonſtrat ad aliud officium. Poſtea dicit *Oremus.*“ Idem Honorius *Auguſtodunenſis* repetit, dicitque: „Officium quod *offerenda* dicimus ab illo loco inchoatur, ubi ſacerdos dicit *Dominus vobiscum*, & finitur, ubi excelſa voce dicit *Per omnia ſæcula ſæculorum.*“ Suo loco notabimus ad ſecretam ſcilicet orationem referri quod hoc loco dicimus *Oremus.* Dum interim omnia, quæ ad oblationem ſpectant, perficiuntur.

Myſter. miſſæ lib. II. c. 53.

Unde etiam cantus offertorii nomen habet: „ſtatim autem (inquit Innocentius III.) canitur offertorium trahens nomen ab offerendo, quia dum offertorium canitur, ſacerdos accipit oblationes a populis, vel hoſtias a miniſtris.“ In miſſa Illyrici tamen aliter præſcribi videri poſſet his verbis: „Tamdiu autem, quamdiu offertorium & verſus canuntur, has dicat orationes. *Domine Deus &c.*“ Plures olim habuiſſe verſus offertorium, cantu antiphono cantatum, diximus de cantu & muſica eccleſiaſtica, quales in antiquis antiphonariis apud *Ioſephum* Cari, ſeu Thomaſium, Menardum & alibi notantur, adhuc etiam in ordine operis Dei, qui apud nos uſque ad ſæc. XVI. in uſu fuit. Idque haud dubie factum fuit, dum oblationes ſuſciperentur, uti notat Amalarius l. c. *Dein tranſit*

Digitized by Google

ſit ſacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim cantores cantant more antiquorum. Iam antea dixerat: *Interim poni ſindonem in altari.*

Huc in liturgia *Ambroſiana* peculiaris pertinet oratio *ſuper ſyndonem.* Pro more ſcilicet tunc primum ornandi altare, ut iam ſupra meminimus. Atque in miſſa Illyrici & aliis huiusmodi apud Menardum & Martenium præſcribuntur ſingulares orationes: *Cum ornatum fuerit altare, antequam oblationes ſuſcipiat.* In cod. autem *Tiliano* ſic: *dum canuntur offertoria*, quod congruit antiquiſſimis noſtris ordinis eccleſiaſtici inſtructionibus ac breviario, quæ edidimus. In veteri expoſitione miſſæ, quam Cochleus & Hittorpius ex Mſſ. *Germanicis* ediderunt, calix nec non patena memorantur: *hanc in dextra, calicem autem & deſuper corporale in ſiniſtra hic ad altare deferat.* Quod convenit ordini noſtro *Romano*, quem ex codicibus *Alemannicis* vulgamus.

II. Præſcribuntur in hoc noſtro ordine *Romano*, ut in vulgatis, oblationes ſuſcipiendæ primum principum per ordinem arcuum, ſeu, quæ verior lectio Mabillonio cenſetur, archium, ut ſignificet ordinem principem ſeu præcipuum, a quibus archidiaconus poſt pontificem amulas vini, poſt archidiaconum autem diaconus amulas aliorum laicorum ſuſcipiebat, quorum oblationes epiſcopus hebdomadarius acceperat. Pontifex vero antequam tranſeat ad partem mulierum, ordine nimirum quo ſupra, ſuſcepturus oblationes deſcendit ante confeſſionem, & ſuſcipit oblata primicerii &c. ac poſtea primum cleri, noviſſimeque pontificis. „Noviſſime omnium (inquit Amalarius in Ecloga) ſacerdotes offerunt & diaconi.“ In capitulari ordinis eccleſiaſtici, poſtquam pontifex dicitur cum epiſcopis & presbyteris accepiſſe oblationes, itemque epiſcoporum & presbyterorum, tunc ſubditur: „Ipſe vero pontifex noviſſime ſuas proprias accipiens in manus ſuas elevans, oculis & manibus cum ipſis ad cœlum orat ad Dominum ſecrete, & completa oratione ponet eas ſuper altare.“ Et ne quisquam vacaret ab ipſo etiam cantore, iuxta *Romanum* ordinem, ſubdiaconus amulam aquæ accipiebat. „Sed cantores (ut habet cum aliis expoſitor ordinis *Romani* apud Cassandrum, quem Beroldum putat) propter inſtantem neceſſitatem cantandi non habent licentiam huc illuc diſcurrendi. Unde ſtatutum eſt eis, ut non ſint penitus extorres a ſacrificio, ſed offerant aquam pro cæteris.“ Quæ ex Amalario ſunt accepta. Id adhuc ſervatum apud nos uſque ad ſæculum XVI. docet ordo operis Dei mſc. ubi id etiam notanter habetur in ſabb. IV. Temp. „Unus ex illis, qui cantaverunt *Benedictus* ad offerendam vadit, & alius ei præparat ſicut in XII.

Oblationes factæ a quibus?

Liturg. & 60.

Lib. III. de off. c. 19.

lectionibus." Alias autem, qui in præcipuis feſtis officium faciebat in choro prior, uti ad *Pacem*, ita etiam ad oblationem ibat.

Quam in rem varii uſus ac conſuetudines in monaſteriis apud P. Herrgott *de veteri diſciplina monaſtica* videri poſſunt, hodieque *Cluniaci* obſervatur oblatio apud *S. Martinum de Campis*, & in monaſterio *S. Vedaſti*, ut in *itinere liturgico* De-Moleon obſervat, & Martenius in *itinere litterario*. Sic vero in elogio S. Odonis *Cluniacenſis* refertur apud Mabillonium ſæc. V. *Ord. S. Ben.* p. 130. „Quotidie ſuas quisque hoſtias ex alterutro choro offerebant; tametſi quinque tantum diebus dominicis tres feriatis communicabant: cæteri hoſtias benedictas in modum eulogiarum ante communem cibum ſumebant." Occurrit hic, quod in Inquiſitione viſitationis epiſcopalis n 61. notatur: „Si de oblationibus, quæ a populo offeruntur die dominico, & in diebus feſtis expleta miſſa eulogias plebi tribuat?" Paſſim hoc in *Galliis* ſervari hodieque vidi in ruralibus etiam eccleſiis, quod primis temporibus in univerſa eccleſia, ſucceſſu temporum in monaſteriis frequentiſſimum fuit. In capitulis ad *Augiam* directis n. 3. habetur: „Sunt cottidie ſex per brevem deputati fratres ſacram offerentes oblationem ... ſicut & nos aliquando fecimus." In antiquiſſimo Capitulari ordinis eccleſiaſtici de monaſticis congregationibus ita præſcribitur: „Et tunc ſi in monaſterio fuerit, offert abbas oblationem ſive ſecundus, ſeu presbyter vel auriclavius in loco ſuo pro ipſo abbate, & præ ipſis devoti vel boni Chriſtiani." In breviario vero ordinis eccleſiaſtici pro monaſteriis compoſito: „In monaſterio, ubi populis vel feminis licitum eſt introire deſcendens ſacerdos a ſede ſua cum diaconibus accipit oblationes in lentea, quas acolythus ante pectus ſuum tenere videtur. Diaconi accipient vinum & ponunt in vaſcula argentea vel calices, quas acolythi tenere videntur. Acceptas autem ipſas oblationes revertentur ad ſedem ſuam & iterum lavet manus. Item in monaſterio, ubi non ingrediuntur feminæ poſtquam primitus ſacerdos laverit manus, ingrediuntur ſacerdotes cum levitis in ſacrarium, & accipient oblationes, & procedent de ſacrario & offerent ſuper altare, canentibus interim fratribus offertorium." Aliquando monachis vetitum erat oblationem facere ad altare veluti in ſtatutis Conradi archiepiſc. *Colon.* an. 1260. *Item præcipimus & ſtatuimus, quod nullatenus offerant ad altare.* (T. III. Conc. Germ. p. 596.)

Fuit id inter feminas olim diaconiſſarum munus, ut ex S. Hieronymo in cap. 13. Matth. diſcimus, quod in ordine *Ambroſiano Vegloniſſæ*, ut vocantur, ſeu viduæ obeunt, oblationes ad altare deferendo. Sunt autem etiam mares vidui, qui idem officium faciunt, de quibus

Berol-

Beroldus apud Muratorium: „Tum magiſter ſcholarum canit offerendam cum pueris ſuis. Poſt hæc ordo vetulorum & vetularum offert archiepiſcopo vel presbytero panem, ſed maſculi intrant chorum, feminæ vero morantur extra. Unusquisque illorum offert tres oblatas & presbyter porrigit ſubdiacono, & vinum offert diacono, & unus duorum cuſtodum ebdomadariorum ſuſcipit illud de manu diaconi & ponit in calice offerſionis & reddit urceolum illi vetulo. . . Feminæ vero eodem ordine offerunt extra chorum.“ De iisdem apud eundem ex Mſc. inſcripto: *Status eccleſiæ metropolitanæ &c.* additur: Vegloni apparent in eccleſia & proceſſionibus cum eorum cottis, & ſacerdotalibus birettis & veſtibus. Mulieres etiam viduali habitu & velatæ, in ſolemnibus miſſarum offerunt ſacerdoti celebranti panem & vinum ad inſtar Melchisedech. Sed mulieres nunquam intrant chorum; imo ſacerdos celebrans venit usque ad portam chori, ibique earum oblationes recipit. Et vulgariter appellatur ſchola ſancti Ambrosii. „Egregium ſane (inquit Muratorius de hodierno uſu) remotæ antiquitatis pignus ac veſtigium ad hæc uſque tempora ſervatum. Nimirum alit eadem eccleſia decem ſenes laicos (Vecchioni nunc appellantur) totidemque anus: quorum munus eſt quibusdam ſolemnibus ſacris intereſſe. Honeſtô ac antiquo veſtium genere utuntur, & quum tempus offertorii poſcit, ex iis duo mares fanonibus hoc eſt mappis candidis apte involuti accedunt ad gradus presbyterii (Beroldus tamen auctor eſt eos intraſſe chorum) & dextera oblatas ſiniſtra amulas cum vino tenent, quæ ſacerdos illuc ab altari unacum miniſtris deſcendens, & duo argentea vaſa deaurata deferens ſuſcipit. Idem ſubinde peragunt & feminæ duæ anili ætate venerandæ.“ Sirmondus eiusdem rei alibi teſtis eſt: „Vidimus (inquit) aliquando ipſi non iniucundo ſpectaculo in *Armoricis* apud *Leonices* antiqui moris imaginem referentes matronas aliquot: quæ die feſto communicaturæ cum in dominicum veniſſent, adſtantique ad altare miſſam celebraturo ſacerdoti ſuam ſingulæ oblatam, ſed puram & azymam, vel domo allatam, vel e ſacrario petitam obtuliſſent, ubi peracta conſecratione ad communionem ventum eſt ita omnes communicarunt, ut mutuas inter ſe hoſtias participarent, nec culpari ulla poſſet, ſi de alterius, ut Cyprianus loquitur, ſacrificio ſumeret, cum ſuam ipſa viciſſim alteri concederet.“ Nempe increpat S. Cyprianus divitem matronam: „Quæ (inquit) in dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio quod pauper obtulit, ſumis.“

T. IV. antiq. Ital. p. 872. — *pag. 858.* — *pag. 854.* — *T. IV. opp. var. p. 516.* — *De opere & eleemoſ. p. 70.*

Pertinet huc etiam, quod in libello S. Pirminii *Alemanniæ* apoſtoli & abbatis apud Mabillonium analect. p. 172. monetur populus: *Ob-*

lationes

lationes quae in altario conſecrantur offerte: & inde poſt pœnitentiam actam & reconciliationem ſecundum conſilium ſacerdotis communicate. Ibidem chriſtiano, qui poſt baptiſmum criminalem culpam fecit, præcipitur, ut poſt actam pœnitentiam tempore, quo ei ſacerdos conſtituerit oblationem ſuam ad ſacerdotem offerat, & corpus & ſanguinem Chriſti communicare faciat. In Capitulari GREGORII II. dat. MARTIANO & GEORGIO in *Bavariam* delegatis c. 9. cavetur, *ut oblationes diſſidentium, priusquam reconcilientur, nullo modo in eccleſia recipiantur.* In concilio *Matiſcon.* an. 585. c. 4. decernitur: „Ut omnibus dominicis diebus ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vinum: ut per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum ABEL vel cæteris iuſte offerentibus promereantur eſſe conſortes.“ In collectione ANSEGISI ex Capitul. HERALDI. „Placuit ut fideles oblationes ſacerdotibus cotidie, ſi fieri poteſt in eccleſia offerant. Et ſi cotidie non poteſt, ſaltim dominica die absque ulla excuſatione fiat. Et ut prædicationem audiant. Et ſi fieri poteſt, omni dominica die communicent &c.“ Exempla quædam hodierna etiam religioſarum feminarum ex *itinere liturgico* de MOLEON & MARTENII *litterario* iam ſupra laudavi. vid. *Princ. Theol. liturg.* §. XII. Veſtigium huius rei apud noſtrates hodieque ſupereſt in nummulorum promiſcua fidelium oblatione offertorii potiſſimum tempore.

T. V. Conc. ed. Labb. col. 981.

Lib. VI. cap. 170.

III. In laudato libello S. PIRMINII, *Alemanniæ* apoſtoli, qui a MABILLONIO inter analecta eſt editus, aliæ etiam oblationes memorantur: „Et ad ſanctam eccleſiam oblationes & ceriolos, & oleum & incenſum & primitias & decimas, & omnia bona veſtra reddite. (Et poſtea:) Quando ad eccleſiam convenitis, pauperibus ſecundum vires veſtras aut argentum aut aliud aliquid porrigite. Incenſum, cereolos & oleum in luminaribus eccleſiæ iuxta quod prævaletis ibidem date: quia Dominus ait: *Non apparebitis in conſpectu meo vacui.* Oblationes, quæ in altario conſecrantur, offerte, & inde poſt pœnitentiam actam & reconciliationem ſecundum conſilium ſacerdotis communicate.“ Notabilis eſt hic locus de oblatione communioneque fidelium in ſacrificio adhuc ſæculo VIII. Quid quod in laudata Inquiſitione viſitationis epiſcopalis iuſſu RATHBODI archiepiſcopi *Trevirenſis* ad finem ſæculi IX. a REGINONE præparata c. 72. & 73. habeatur? „Si offerentes inſtruat, ut candelam, vel quidquid aliud ad altare deferre placuerit, ante miſſam, vel antequam evangelium legatur, offerant. Oblationem autem unam tantum oblatam ad Offertorium pro ſe ſuisque omnibus unusquisque offerat.“ Atqui hic poſtremus ſacratiſſimus

Qualesque in miſſa?

pag. 69.

pag. 72.

T. II. Conc. Germ. p. 440.

mus quidem uſus poſteriore demum ævo penitus obſolevit. Ob *Encratitas* in antiquioribus canonibus prohibitum fuit, aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre. „Si quis epiſcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt aut mel aut lac, aut pro vino ſiceram, & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſuetudinem Domini faciens, congruo tempore deponatur,“ ut habet Can. apoſt. II. de illa oblatione, quæ proprie ad ſacrificium pertinet. Adhuc *Io.* Nider, qui ſæc. XV. apud nos vixit, inter alias oblationes panis & vini meminit: „Alicubi enim (inquit) offertur panis & vinum, alicubi animalia, alicubi pecunia, *De præcepto* alicubi candelæ & ſimilia.“ Oblationees quidem aliæ fuerunt ſemper *I. decal. c. 7.* in eccleſia factæ in alios etiam uſus quam ſacrificii. Hinc permittitur in laudato can. apoſt. novas ſpicas & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama offerre: additur: *alius vero omnis fructus ad donum mittatur primitiæ epiſcopo & presbyteris.* Senſu ampliori in mox laudato capitulari ſumuntur oblationes: *De reditu vero eccleſiæ vel oblationibus fidelium quatuor faciat portiones.* *T. I. Conc. Germ. p. 36. Cap. 42.* Pertinet huc, quod in Chrodegangi *Metenſis* regula habetur: „ſi aliquis uni ſacerdoti pro miſſa ſua vel pro confeſſione, aut clerico pro pſalmis & hymnis, ſeu pro ſeipſo, vel pro quolibet caro ſuo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemoſyma dare voluit: hoc ſacerdos vel clericus a tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat.“

Quemadmodum in nummulos abiit oblatio illa tam ſacra in ſacrificio, ita etiam hi in ſtatum aliquod ſtipendium pro Miſſis. Obſcurum eſt, an canon concilii *Moguntini* an. 813. huc revocari poſſit: *Oblationem quoque & pacem in eccleſia facere iugiter admonetur populus chriſtianus: quia ipſa oblatio ſibi & ſuis magnum remedium eſt animarum, & in ipſa pace vera unanimitas & concordia demonſtrant.* *Can. 44.* Ego canonem hunc ſumo de promiſcua oblatione in altari facta, unde aliæ illæ privatæ emerſerunt. De quibus *Walafridus* Strabo: *ſed & in hoc error non modicus videtur; quod quidam ſe non aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt niſi ſingulas oblationes pro ſingulis offerant: vel pro vivis & defunctis non ſimul æſtimant immolandum &c.* *De rebus eccleſ. c. 22.* Nobis hic de his non agitur, ſed de illis, de quibus expoſitor ord. *Rom.* ſæc. XI. opinione Caſſandri Beroldus ſeu Bertholdus *Conſtantienſis*: „Oblationes vero fidelium intra miſſæ officium ſunt *Liturg. p. 61.* tantum panis & vinum &c.“ Et: „ſecundum ordinem ſanctorum Patrum & ſecundum ipſius Canonis textum debet omnis populus intrans ad officium miſſæ panem & vinum offerre, ut digne ac iuſte dicat ſacerdos hoc

quod præſto eſt ſacrificium obtuliſſe pro ſe ſuisque omnibus. Quoniam ſola ſacerdotis oratio tantummodo eſt fidei & devotionis propriæ, non eorum, qui minime offerunt." Vide alia in eandem rem apud laudatum CASSANDRUM.

Preces ad oblationes.

IV. Pertinent huc variæ in Canone precationes, atque in ipſis orationibus ſecretis poſt oblationem dici ſolitis huc pro more antiquo ſemper reſpectus habetur, olimque erant generales, dum ipſæ fierent oblationes. Sic in miſſa ILLYRICI: „Tunc convertat ſe ad ſuſcipiendas oblationes offerentium presbyterorum vel diaconorum, & dicat unusquisque hanc orationem. *Tibi Domino Deo creatori meo hoſtiam offero pro remiſſione omnium peccatorum & cunctorum fidelium tuorum.*" Quæ eadem reperitur in Miſſa *Tiliana* apud MENARDUM, & *Salisburgenſi* apud MARTENIUM. Et poſt alias in miſſa ILLYRICI preces, quæ ad ſacerdotem ſpectant, ſequitur: „Tunc convertat ſe ſuſcipere oblationes presbyterorum aliorumque. Quando quis oblationem in manum epiſcopi vel presbyteri offert, dicat: *Tibi Domino creatori meo hoſtiam pro remiſſione omnium peccatorum meorum & cunctorum fidelium tuorum vivorum ac defunctorum.*" Sequuntur aliæ ipſius ſacerdotis Pro ſemetipſo & pro cuncto populo chriſtiano, pro rege & antiſtite & pro cuncto clero ac pro omni populo chriſtiano. Epiſcopus vero vel presbyter oblationes accipiens dicat: *ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N.* (& poſtea) *ut in conſpectum tuum tibi placens aſcendat. Qui vivis &c.*

Opp. S. Greg. T. III. pag. 250.
T. I. de rit. eccl. p. 557.

Poſt acceptas oblationes a clero vel plebe accipiat diaconus de manu ſubdiaconi oblatam ita dicendo: *Acceptum ſit omnipotenti Deo & omnibus Sanctis eius ſacrificium tuum.* Veniensque diaconus ante epiſcopum offerat, dicens hoc offertorium: *Suſcipe &c.* Et epiſcopus accipiens oblationem a diacono dicat: *Acceptabilis ſit omnipotenti Deo oblatio tua.* Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens: *Suſcipe ſancte Pater &c.* Sequuntur aliæ cum hac rubrica: „Iſtæ orationes, cum oblationes offeruntur ad altare, dicendæ ſunt, & hæc eſt prima, cottidiana & generalis *Suſcipe ſancta Trinitas.*" Sequuntur duæ *pro ſemetipſo* cum nonnullis apologiis ſacerdotis. Tum *Pro familiaribus ac fratribus & ſororibus. Pro rege & populo chriſtiano. Pro eccleſia catholica. Pro ſalute vivorum. Pro infirmis. Pro defunctis. Pro omnibus univerſalis.* Et demum: *Tunc imponat oblatam altari & dicat Sanctifica Domine &c.* Similes impari numero tam in editis paſſim apud MENARDUM, MARTENIUM & MURATORIUM, quam etiam in mſſ. *Alemannicis* paſſim reperi, habenturque etiam

in

Digitized by Google

in illis ordinibus precum, quos nunc primum edimus, alterum ex codice *ſan-Blaſiano* 800, alterum ex *ſan-Gallenſi* 700. annorum.

Oblatæ ſtudio confectæ ac proviſæ.

Diſq. de azymo. c. 4.

V. Dicendum etiam hic eſt aliquid de ipſis ſacris ſymbolis, imprimis vero de oblatarum forma & figura. „ Et quidem (inquit SIRMONDUS) ſi de primis eccleſiæ ſæculis agitur, quando ipſæ populi oblationes immolabantur, perſpicuum eſt, alia tum forma non fuiſſe, quam quæ panum erat oblatorum. Integri enim ac ſolidi, ut oblati fuerant, conſecrabantur, conſecratique in partes ad diſtribuendum cominuebantur.“ Quod nunc non diſcutio, eo enim uſque domeſtica nos haud deducunt monumenta in *Liturgia Alemannica* occupatos.

Ioan. diac. in vita S. Greg. lib. II. n. 41.

Lib. IV. dialog. c. 55.

Lib. II. c. 23.

Iconiſmi, quos cum vetuſtiori noſtro *ſan-Blaſiano* ſacramentario dabimus tum in ſacerdotis manu, ac in altari forma rotundum, ſtudio paratum, ac cruce in medio inſignitum panem repræſentant. Eodemque pertinet maior figura pone tertium iconiſmum, ubi agnus apparet. Atque iam S. EPIPHANIUS in *Ancorato* στρογγυλοειδὲς, id eſt, *rotundum* appellat, quod in altari conſecratur. Nec aliter, quod rem ipſam ſpectat, *Græci* ſervant, etſi in fermentato conſecrent. Aliter autem in Occidente vigente oblationum a fidelibus factarum uſu obtinuiſſe, ex celebri hiſtoria in vita S. GREGORII de pane, a matrona oblato conſecratoque minime coniicitur, ſed potius contrarium: nimirum ſtudio paratos ad ſacrificium allatos eſſe panes, eosque rotundos, cum ipſe S. GREGORIUS coronam vocet. Eodem pertinet *oblatio*, quam apud eundem S. BENEDICTUS dedit pro monialibus, quibus ob incontinentiam linguæ excommunicationem minatus fuerat: quæve poſt mortem ad vocem diaconi: *Si quis non communicat det locum*, exire e ſepulcro viſæ ſunt: Quæ dum oblatio pro eis fuiſſet immolata, & a diacono iuxta morem clamatum eſt, ut non communicantes ab eccleſia exirent, illæ exire ab eccleſia ulterius viſæ non ſunt.

Cap. 88.

Plures fuiſſe oblatas ex antiquiſſimis ordinibus *Romanis* patet, licet non ſingulæ nimirum a ſingulis oblatæ, quas in ſacculis portabant acolythi, ac confringi in patena ſolebant; unde tam exiles haud fuerint, ut hodie ſolent diſtribui, non tamen integri panes, aut communes erant, ut videtur in *Gemma animæ* innui. „Fertur, quod olim ſacerdotes de ſingulis domibus vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc *Græci* ſervant, & inde dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuebant. Nam ſinguli farinam offerentium miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur, *& omnium circumſtantium, qui tibi hoc ſacrificium laudis offerunt.* Poſtquam autem eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur, propter carnales ſtatutum eſt,

Digitized by Google

ut qui poſſent ſingulis dominicis, vel in dominica & ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent, ne ante confeſſionem & pœnitentiam pro aliquo crimine iudicium ſibi ſumerent. Et quia populo non communicante non erat neceſſe panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt eum in modum denarii formari. Et ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus Dominum traditum agnoſceret. Qui tamen denarii in uſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti, cederent, vel in aliquid, quod ad hoc ſacrificium pertinet." Accuratius loquitur expoſitor ordinis *Romani* apud Cassandrum, laudata S. Gregorii auctoritate: „Oblationum forma atque menſura, cum videatur fuiſſe antiquitus, prout erat cuique ſtudium atque devotio in religione divina, poſſumus tamen ex ſcriptis B. Gregorii certiora quædam capere illius rei indicia, qui ſcribit in lib. 4. dialogorum quemdam presbyterum cuidam perſonæ, quam dignam duxit tali mercede &c. quales coronas ſolebat tunc chriſtiana religio offerre Deo pro ſe ſuisque omnibus &c." Inceſſit idem oblatarum minutias, ut vocat, argumento quidem debili ex veteri teſtamento deducto de pugillo ſimilæ, quæ minima ſit menſura, ex qua panis fieri iubeatur, *quæ ſcilicet* (inquit) *menſura legitimo iure conſtituitur ſacerdotibus ad miniſterium altaris &c.* *Io. Andr.* Quenstedus theologus *Wittenbergenſis* affert hunc locum Bertholdi ex Cassandro (quem ſemi-catholicum vocat) Bertholdi autem auctoritate abutitur contra tenues oblatas panis orbiculares perinde ac *Calviniſtæ*, qui ab ætate huius presbyteri *Conſtantienſis* ſæc. XI. originem harum placentularum orbicarum Euchariſticarum repetunt, contra apertam Bertholdi ſententiam, qui non dicit, hoſtias ſua ætate eſſe invectas, ſed uſitatas, additque rotundos, minutiorisque formæ panes iam tempore Gregorii M. in uſu fuiſſe, ut idem notat Quenstedus contra *Calviniſtas*, inter alia etiam locum memoratum S. Epiphanii in *Ancorato* verſans, quo iam ad finem ſæculi quarti panis Euchariſticus στρογγυλοειδὲς id eſt rotundus dicitur, ut ibidem probat Quenstedus in antiquitatibus bibl. & eccleſiaſt. Sect. III. n. 2. de elementis ſeu ſymbolis externis ſacræ cœnæ pane & vino, obſervatque non ſolum στρογγυλοειδὲς vocare Epiphanium id, quod in S. cæna panis dicitur, ſed etiam ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν, quo ipſo tenuitas ſeu exilitas panis indicatur. Plura autem tam ex Orientali quam Occidentali eccleſia ad rem accumulat *Io. Andr.* Schmidius ſingulari diſſertatione *de oblatis Euchariſticis, quæ hoſtiæ vocari ſolent* an. 1702. *Helmſtadii* edita cum figuris æneis ſacri panis, qualis non ſolum apud *Latinos* & *Græcos*, verum etiam apud *Syros* efformari ſolet. Sed nos in noſtram *Alemanniam* redeamus.

Liturg. p. 60.

Apud

Apud B. ISONEM monachum *ſan-Gallenſem De Miraculis* S. OTHMARI lib. I. cap. 3. panis rotulæ vocantur, quales nempe in eius ſepulchro fuerunt repertæ. „Sub c[illegible]te autem, & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæſæ, atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem epiſcopo inveniebantur, ut nulla omnino parte colorem vel ſpeciem ſui amittentes adſpicientium oculis infra ſpacium ipſius hebdomadæ viderentur eſſe confectæ. Quo vero ordine, quove in tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem novimus eſſe manifeſtum. Hoc tamen omnes pro certo ſcimus, quod per triginta quinque annos nullus mortalium eius ſepulchrum aperuit, antequam præſens epiſcopus miniſterii ſui fretus auctoritate eiusdem congregationis fratribus hoc faciendum iniunxit. Idem tamen epiſcopus venerabiliter eas adſumens ſacro corpori appoſuit.“ Nempe, ut MABILLONIUS præfat. in hoc ſæc. ord. S. BENED. adnotat, mos erat antiquis, ut ſacerdotes cum iis ornamentis inſtrumentisque ſepelirentur, quibus in re ſacra uti ſolebant. Plures ibi habes obſervationes in rem præſentem, inter alia ex libro III. de vita & miraculis S. WALPURGIS cap. 1. puellam quandam ex familia monaſterii *Campidonenſis*, nomine GUNTRADAM, in Partenone *Macheimenſi* oblatas a ſe confectas, *& nitide coctas* atque *in buxula repoſitas* S. WALPURGI obtuliſſe.

Acta O. S. B. ſæc. III. P. II. p. 165. Goldaſt. rer. Alem. T. I. p. 183.

Antiquiſſimum hoc fuit monachorum ſtudium. Apud GEZONEM de corpore & ſanguine Chriſti c. 57. refertur, S. PACHOMIUM piſtoribus præcepiſſe, ut cum oblationes coquerent, ſalutaria meditarentur, nihil vane loquentes. Cum ergo hoc in monaſterio *Tabenenſi* quadam vice violaretur, ſtatim PACHOMIO divinitus revelatum eſt. Qui protinus THEODORUM mittens negligentiam hanc, velut divini præcepti transgreſſionem emendari iuſſit. In eius vita lib. I. c. 47. perhibetur præcepiſſe fratribus, qui in piſtoria arte laborabant, ut quando facerent oblationes, nihil loquerentur, ſed apud ſemetipſos ſalutaria meditarentur eloquia. Huc S. ODDO *Cluniacenſis* interpretatur illud in reg. S. PACHOMII c. 16. *quando farinam conſpergunt aqua, & maſſam ſubigunt, nullus loquatur alteri.* Apud UDALRICUM habetur etiam, qua religione fuerint confectæ hoſtiæ.

Apud Murat. T. III. Anecd. p. 294.

De Conſuet. Cluniac. lib. III. c. 13.

Quippe frumentum granatim eligebatur & lavabatur ſtudioſe per ipſos fratres. Colligebatur deinde in ſacculum ad hoc ſolum reſervatum: tum portabatur in molendinum a famulo probato, qui molam lavabat utramque, operiebatque ſurſum & deorſum cortinis, alba indutus, cribrata farina: maior eccleſiæ cuſtos, ſi ſacerdos erat aut diaconus, reliqua perficiebat cum ſociis, donec in ferramento caracterato coqueretur. Similia

De rit. monach. n. 21. lib. II. c. 8. ex BERNARDO *Tegernſeenſi* apud MARTENIUM habes atque ex mſs. *Germaniæ* conſuetudinibus, ubi ſic legitur: „Super tabulam ſingula eligantur grana, mola ex alio frumento mu[illegible]tur, multipliciter farina purificetur, maſſa ſine fermento conficiatur.“ Et: „Maſſa ſine fermento conficiatur, maceretur ab ipſis, ſi reveſtiti ſint capitibus coopertis & conſtrictis.

Geneal. dipl. T. I. p. 337. Ad calcem actorum *Murenſium* habes apud P. HERRGOTT: „Accepi iterum in *Waltiswil* in prædio meo duos diurnales perſolventes incenſum, duos modios tritici, & dedi S. MARTINO, ut ex ipſo tritico fiant oblatæ ad divinorum myſteria peragenda, & dentur omnibus eccleſiis in provincia, ut in omnibus illis eccleſiis fiat memoria patris mei, & omnium parentum meorum.“ In teſtamento illuſtris matronæ ERMENTRUDIS, quod *p. 461. &c.* in autographo vidi apud *S. Dionyſium* prope *Pariſios* in charta *Ægyptiaca*, ediditque MABILLONIUS ad calcem liturgiæ *Gallicanæ*, plura occurrunt ad rem præſentem: „GODERICO & GUNDERICO in ſupra ſcriptam villam, quem Baſilicæ domni SINSURIANI (SYMPHORIANI) deligavi, ita iubeo ut laborent, unde in ipſa baſileca oblata cotidie miniſtretur. LENDULPHO cum vinea, quem *Sambucito* colit, ad oraturio, qui eſt in villa *Latiniaco*, unde ibidem oblata occurrat, dari volo. *Baudulphus* SUMTHALARIUS ſimiliter cum boves ut laborent iubeo, unde oblata ad baſelica ſancti SINSURIANI pro requiem DEORODALDI offertur. Simili modo vineæ pedaturæ una ſita *Tauriniaco* & quem *Pinpo* colit baſelicæ Domni GEORGII &c. VUALACHARIUM cum omni peculiari ſuo, & cum boves, quos baiolat, ingenuum ea conditione eſſe iubeo, ut ligna tantum ad oblata faciendum miniſtrare procuret . . . BAUDULPHO & SUMTHAHARIO, cum boves quos baiolant, laborare præcipio, unde oblata ad baſelica Domni SENSURIANI iugiter miniſtretur . . . Vineam, quam BABRIMODUS facit, tibi eatenus relinquo, ut diebus feſtis & omnibus dominicis ſacris altaribus mea offeratur oblatio . . . Vineam do, quam poſui *Vindoniſſæ* ſub eadem conditione, ut a patribus ſuis omnibus diebus feſtis ac dominicis pro commemoratione mea ſacris altaribus offeratur oblatio.“ In teſtamento S. REMIGII vinea in eundem finem legata legitur. *Bartholomæus* SCOBINGERUS in additionibus ad *Ioachimum* VADIANUM apud GOLDASTUM obſervat, CAROLUM *Martellum* dotaſſe monaſterium *Augienſe* ex bonis fiſcalibus circumiacentium locorum pagorumque, imprimis regia villa *Erſmuotingen*, ex cuius vinetis voluit præſtari vinum in uſum ſacrificii. Id quod conſtat ex litteris fundationis monaſterii, in honorem B. MARIÆ Virginis & apoſtolorum PETRI & PAULI iuxta regulam S. BENEDICTI. Ut annotavit ad vitam S. PIRMINII MABILLONIUS Act. O. S. B. ſæc. III. P. II. p. 144.

In

In vita S. Wolfgangi c. 24. in iiſdem actis refertur: „Quanta ſollicitudine emendaverit, cum quoſdam ob vini penuriam miſſas cum aqua celebraſſe audiret.“ Narraturque his verbis: „Sub eiusdem ſancti præſulis temporibus accidit, ut vini penuria quidam cum aqua, vel aliis potuum generibus miſſarum celebrarent Sacramenta, quod vir Dei comperiens tantum effudit lacrymarum imbrem, ut crederetur ſui corporis amittere ſoſpitatem. Cum autem auctis verborum redargutionibus eos qui talia præſumebant, feriret, & illorum defenſiones licet inanes, quod non poſſent acquirere vinum, audiret, mox omnes huius vitii occaſiones abſcidit hoc modo. Præcepit namque, ut per ſingulos menſes XII. presbyteri venirent, & de cellario ſuo vinum acciperent, aliisque dividerent.“ In vita B. Ottonis *Sueviæ* comitis epiſcopi *Bambergenſis* ac *Pomerorum* apoſtoli refertur apud Canisium; cum vinum deeſſet in regionibus illis, vitem plantari feciſſe Ottonem, ut ea tellus vinum ſaltem ſacrificio neceſſarium procrearet. *Sæc. V. O. S. Bened. p. 824.*

VI. Ordinem miſſæ iam proſequamur. „Suſceptis oblationibus (inquit Amalarius) revertitur ſacerdos ad altare, diſponente diacono oblatas ſuper altare more primorum ſeptem diaconorum.“ Quod ſic in ordine noſtro *Romano* explicatur: „Archidiaconus ſtans ante altare expleta ſuſceptione lavat manus ſuas, deinde reſpicit ad faciem pontificis, ut annuat ei, & ille reſalutato aſcendit ad altare, tunc ſubdiaconi regionarii levantes oblatas de manu ſubdiaconi ſequentis ſupra brachia ſua porrigunt archidiacono. Et ille componit altare. Nam ſubdiaconi hinc inde porrigunt. Ornato vero altare. Tunc archidiaconus ſumit amulam pontificis de ſubdiacono oblationario, & refundit ſuper colum in calicem. . . . Deinde deſcendit ſubdiaconus ſequens in ſchola accipit fontem de manu archipharaphoniſtæ, defert archidiacono, & ille infundit, faciens crucem, in calicem.“ Fontem intellige aquam hoc loco calici infuſam, non ut recentior alicubi eſt uſurpatio, initio liturgiæ. Aſſignatur hic locus in antiquiſſimis liturgiis etiam cum eadem, quæ nunc in uſu eſt, oratione, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.* Veluti in miſſa Illyrici, ubi eadem ad verbum fere eſt oratio *Veni ſanctificator &c.* De qua *Micrologus*: „Compoſita autem oblatione in altari, dicit ſacerdos hanc orationem iuxta *Gallicanum* ordinem: *Veni ſanctificator æterne Deus & benedic hoc ſacrificium tuo nomini præparatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Deinde ante altare inclinatus dicat hanc orationem non ex aliquo ordine ſed ex eccleſiaſtica conſuetudine: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem &c.* Quæ utique oratio a diligentioribus ordinis & comprobatæ

Quomodo in altari compoſitæ. *Lib. III. de off. c. 19.* *Cap. 11.*

con-

Digitized by Google

conſuetudinis obſervatoribus tam pro defunctis quam pro vivis ſola frequentatur.“ Qua de re vide, quæ paullo ante attulimus.

Cap. 10. Nota hic, quæ dixerat idem *Micrologus*: *Ita autem iuxta Romanum ordinem in altari componenda ſunt, ut oblata in corporali poſita calix ad dextrum latus oblatæ ponatur.* Idem obſervari vult Amalarius in fine prologi de offic. eccl. *Calix in latere oblatæ in altari componatur, non poſt tergum.* Apud Ioan. *Abrincenſem*, Innocentium III. & in ritu antiquo miſſæ, quem Menardus ex cod. *Salicoſano* edidit, iisdem hic ritus notatur verbis. Ditmarus lib. VIII. chr. apud Leibnitium T. I. ſcript. *Brunſw.* p. 420. in ſynodo *Noviomagenſi* conſtitutum dicit, *ut corpus dominicum ad ſiniſtram, & calix ad dexteram ſacerdotis poneretur.* Uti etiam apud *Græcos* fieri paſſim obſervavimus *Romæ*, *Neapoli*, *Venetiis.* Idem cernitur in noſtro iconiſmo ſacerdotis ad altare ſtantis, licet primo aſpectu aliter videatur pictoris non tam imperitia aut incuria, quam ut ſacerdotem & altare ſimul conſpicua redderet, ſacerdotem paullo ad partem remotiorem ſiſtendo.

De offic. eccleſ. p. 20. Myſter. miſſæ lib. II. cap. 49.

In ordine noſtro *Romano* notatur, poſtquam, ſuperioribus omnibus peractis, in altari pontifex ipſe demum a ſua ſede illuc acceſſiſſet: „Tunc ſurgit pontifex a ſede, deſcendit ad altare, & ſuſcipit oblatas de manu presbyteri ebdomadarii & diaconorum. Deinde archidiaconus ſuſcipit oblatas, pontifex de oblacionario & dat pontifici, quas dum poſuerit pontifex in altare levat calicem archidiaconus de manu ſubdiaconi regionarii & ponit eum ſuper altare iuxta oblatam pontificis a dextris involutis anſis cum offerturio, quem imponit in cornu altaris.“ In ſyn. *Tiburtina* an. 1011. notatur T. III. conc. *Germ.* *Oblationarius* haud dubie presbyter, aut diaconus, qui acceptas in altari oblationes ordinabat.

pag. 24.

Incenſum. Calix coopertus. *De Canon. obſerv. prop. 23.*

VII. Nihil vero hic de incenſo in ordine *Romano* habetur, de quo Radulphus *Tungrenſis*, „In quibusdam (ait) chronicis legitur, quod Leo primus, de quo infra, conſtituit, ut finito offertorio ſuper oblatam incenſum in memoriam mortis Chriſti ponatur.“ Idem alibi ſcribitur ſtatutum in concilio *Rothomagenſi.* Apud Reginonem *Prumienſem* lib. I. de diſciplina eccl. cap. CC. eiuſcemodi eſt: *Tempore quo evangelium legitur, & finito offertorio ſuper oblationem incenſum, in mortem videlicet redemtoris, ponat ſacerdos.* Citat Radulphus *Micrologum*, ubi cap. 9. dicitur: „*Romanus* ordo præcipit, ut incenſum ſemper præcedat evangelium, cum ad altare ſive in ambonem portatur: non autem concedit, ut oblatio in altari thurificetur. Quod & Amalarius in prologo libri ſui de officiis *Romanos* devitare fatetur: quamvis modo a pluribus

ribus imo pene ab omnibus uſurpetur.“ Notatur tamen in antiquis ordinibus precum miſſæ, quos edimus ex codd. *ſan-Blaſiano* antiquiore, & altero *ſan-Gallenſi*, pariter ac in miſſa Illyrici & *Tiliana* apud Menardum, nec non *Salisburgenſi* apud Martenium, cum eadem, quæ hodie habetur, oratione, præterquam quod nomen Gabrielis archangeli in antiquis conſtanter appareat, cui poſtea nomen Michaelis ſubſtitutum eſt. Habeturque in conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* ſingulare caput 91. apud P. Herrgott: „Quo modo incenſandum in feſtivitate ſancti Michaelis: Tunc enim finito verſu offertorii factaque repetitione *Et aſcendit fumus*, duo diaconi accedentes ad maius altare, latus ipſius utrumque incenſant, copioſo impoſito thure. Quo facto, accedentes ad poſteriora cornua verſo ad invicem vultu ſuperiorem altaris partem iugiter incenſant, non ceſſantes donec repetitio offertorii finiatur. Procurandumque prius eſt, ut ſacerdos in ipſo fine verſus offertorii ſuam ſuper calicem incenſationem conſummet &c.“ Locum ſingulari huic cerimoniæ dedit offertorium eius diei, *ſtetit angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua &c.* Quem etiam locum S. Ambrosius reſpicit, de eccleſiaſtico uſu adolendi altaria mentionem iniiciens in caput I. Lucæ, ubi vero de S. Gabriele archangelo Chriſti conceptum B. Mariæ annuntiante: „Utinam (inquit) nobis quoque adolentibus altaria ſacrificium deferentibus aſſiſtat angelus, imo præbeat ſe videndum. Non enim dubites aſſiſtere angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur.“ Alicubi vero, hodieque uſu obtinet, ut diaconus altare adoleat, prout apud Menardum habetur in veteri ritu miſſæ. In antiquo ritu celebrandæ miſſæ ita legitur: „Corporali cooperta (hoſtia) incenſum deſuper offerat, & ſic diacono præbeat. Diaconus vero in circuitu altaris deferat poſtea ſacerdoti, deinde miniſtro reddat: ut clero populoque deferat.“

De vet. diſc. mon. p. 461.

T. III. opp. S. Greg. p. 255.

Supra meminimus, S. Anselmo propoſitam inter alias fuiſſe quæſtionem a Waleranno *Nwemburgenſi* epiſcopo de vario in *Germannia* uſu, dum alii ab initio cooperuerunt calicem, alii ſecus fecerunt. Prius autem illud probatum magis fuit S. Anselmo, ne aut muſca, aut aliquid indecens in illum cadat, ut habetur in reſponſione p. 140. operum nov. edit.

Lotio manuum.

VIII. In ordine *Romano* nihil aſſignatur de incenſo ad oblationem, neque de ſecunda illa manuum lotione, quæ hodie in miſſa pontificali uſitata eſt, uti nec etiam in noſtris inſtructionibus ſeu ordinibus miſſæ, quos ex Mſſ. *Alemannicis* edimus. Hodieque apud *Carthuſianos* locum

tantum habet lotio manuum in miſſis ſolemnibus cum incenſo celebrari ſolitis. Ceſſavit autem in aliis, præterquam pontificalibus miſſis, prior lotio ad ipſum initium offertorii (ut in ordine *Romano* aliisque ad eundem compoſitis inter monumenta noſtra antiquiora notatur, & in miſſa ILLYRICI) cum ipſæ etiam oblationes publicæ omittantur. Obſervavit *Metis* MARTENIUS lotionem manuum poſt Præfationem ſeu ante Canonem.

Voyage litt. P. II. p. 111.

In miſſali *Rhen.* ſæc. 11. vel 12. notatur lotio manuum poſt *Sanctus* cum oratione *Veni S. Spiritus &c. In Spiritu humilitatis &c.* In miſſali impreſſo *Auguſtæ* 1555. Poſt *Sanctus.* „Deinde in dextro cornu altaris ſtans: & miniſtro aquam fundente lavat, & tergit manus: ſecrete dicens pſ. *Lavabo.* cum reliquis verſibus. Quibus finitis facit crucem &c." In miſſali monaſterii *Urſinenſis* ſæc. XIII. *Sanctus &c.* „Hic ablue tres digitos utriusque manus, & caute a pollutione cuſtodias dicens *oſanna in excelſis.*" Quod DE-VERT in quibusdam *Germaniæ* & *Poloniæ* eccleſiis obſervari ſcribit, atque in eccleſia *Mediolanenſi* proxime ante verba conſecrationis.

Explic. T. IV. p. 180.

Aliam lotionem diaconi poſtea etiam AMALARIUS lib. III. c. 25. innuit. Et ordo *Rom.* V. p. 68. „Infra actionem igitur detur aqua presbyteris ut lavent manus ſuas. Quando dicitur a pontifice *Nobis quoque peccatoribus* detur diaconibus aqua." Econtra diaconi lotionem ſupra ex conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* ſub ſymbolo apoſtolico fieri ſolitam memoravimus. DE-MOLEON autem diaconi & ſubdiaconi lotionem manuum poſt *orate fratres* ex Mſc. *Vallis cernaii* monaſterii ordinis *Ciſterc.* adhibitam notat. Iuxta S. CÆSARIUM in append. T. V. opp. S. AUGUSTINI, *omnes viri, quando ad altare acceſſuri ſunt, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Chriſti accipiunt corpus.* Et S. CHRYSOSTOMUS hom. LXI. ad populum *Antioch.* & in epiſt. ad *Epheſ.* hom. III. eiusdem ritus meminit. *Dic mihi immundisne manibus ad ſacrificium eligeres accedere? Non ut ipſe puto; ſed nec omnino malles accedere, quam manibus illotis.* Cum promiſcua fidelium in miſſa communione ceſſavit etiam manus lavandi uſus promiſcuus, poſtquam Euchariſtia non amplius in manus eſt ſumta: quamvis non ideo manus lotæ iuxta CYRILLUM *Hieroſ.* cath. myſtag. v. *ut ſordes corporis ablueruntur.* „Nequaquam: nec enim corpore ſordidati eccleſiam ingreſſi eramus: ſed ablutio illa ſignificat, oportere nos ab omnibus peccatis & iniquitatibus puros eſſe: cum enim per manus actiones deſignentur, ablutione earum puritatem & ſanctitatem operum denotamus. Nonne audiſti DAVID myſteria iſta tractantem & dicentem: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo*

De offic. eccleſ. lib. III. c. 26.

Voy. liturg. p. 231.

Serm. CCXXIX. pag. 176.

dabo altare tuum Domine." Quæ pſalmi verba hodieque ſacerdos inter manus lavandas dicit.

IX. Quod in miſſa Illyrici præſcribitur in miſſa *Tillana* & in ord. *Salisburgenſi*: „Tunc ſacerdos humillime ſe convertat ad circumſtantes dicens: *Orate pro me peccatore fratres & ſorores, ut meum &c.* paſſim in ſacramentariis antiquis *Alemannicis* reperitur, non paucis etiam impreſſis, variantibus verbis. „Aliqui addunt & ſorores (inquit *Gabriel* Biel) propter ſexuum diſcretionem; ſed alii utrumque includunt in nomine ſexus principalioris."

Orate fratres

Lect. XVII. in canon.

Orationes etiam reſponſoriæ variant cum annexis haud raro aliis precibus & pſalmis. „Audivi dicere (inquit Amalarius) quod plebs eadem hora verſiculos cantet pro ſacerdote. *Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto*, & duos ſequentes." In ordine VI. apud Mabillonium ſic habes: „Tunc epiſcopus dicat ad populum converſus, *Orate pro me.* Hoc cum dixerit, ſubdiaconi eant retro altare, & ibi ſtantes cantaturi ſunt quindecim gradus & diaconi coram altari ſimiliter." In ordine monaſterii S. Gregorii in valle *Gregoriana* dioeceſis *Baſileenſis* an. 700. circiter apud Martenium in editione auctiori de ritibus eccleſiæ *Antverpiæ* 1736. „Quando ſacerdos pro ſe rogat orare, tunc reſpondent ei clerici cum iſtis precibus & dicunt: *Orent pro te omnes ſancti &c.* Poſtea clerici cantent ipſos pſalmos, cum presbyter dicit *Per omnia ſæcula ſæculorum Exaudiat te Dominus &c. Ad te Domine levavi &c. Miſerere mei Deus ſecundum &c. Domine refugium factus es &c.* cum iſtis precibus *ſalvum fac ſervum tuum &c.*" Iidem pſalmi hoc loco præſcribuntur in ritu miſſæ *Mutinenſis* apud Muratorium liturg. *Rom.* T. I. p. 88. ſed hæc iam ulterius ad ipſum Canonem referuntur, ſub quo pſalmi præſcribuntur, interim dum ſecreto Canonem recitat ſacerdos, a miniſtris altaris cantandi, ut paullo poſt videbimus.

Lib. III. de offic. c. 19.

Muſ. Ital. p. 47.

T. I. p. 590.

X. Sequitur oratio *ſuper oblata* vel *ſecreta*, quam reſpexit ſalutatio populi initio offertorii ſeu miſſæ fidelium. „Invitatio (ait *Gabriel* Biel) per verbum *Oremus* cum ſalutatione populi præmiſſa eſt ante offerendam, quam reſpicit ſecreta." In miſſa Illyrici & ordine miſſæ *Salisburgenſi* apud Martenium ante factam oblationem notatur: „Tunc redeat ſacerdos ad altare, & coram altari antequam ſecretam dicat accuſet ſe flebiliter & dicat hanc orationem: *Ante conſpectum.*" Alia ſub eadem rubrica habetur oratio in noſtro ordine miſſæ, quem ex codice San-Blasiano edimus.

Secreta, ſeu ſuper oblata.

In canon. lect. XVII.

T. I. de rit. eccl. 557.

Alia in liturgia *Gallicana* eſt Collectio *poſt myſterium* ſeu *poſt ſecreta* oratio ſequens illam *poſt ſanctus*, ac demum conſecuta conſecrationis ver-

ba. Quæ ritu *Mozarabico* vocatur *poſt pridie.* Ad hunc vero locum in eadem liturgia pertinet Collectio *poſt nomina* facta vivorum & mortuorum memoria poſt oblationem, ac dato deinde oſculo pacis, unde altera eſt Collectio *ad pacem.* Miſſale tamen *Francorum* ſervat ordinem *Romanum*, ſuoque loco notatur oratio *ſuper oblata.* Et in ſacramentario *Gallicano*, miſſæ quædam dominicales, ac quotidianæ eodem ordine ſecretam habent.

T. I. Muſ. Ital. p. 380. &c.

Ritu *Ambroſiano* duæ hic habentur orationes. Una immediate poſt ſalutationem *Dominus vobiſcum* ſuper *ſindonem.* Altera hoc loco proxime ante Præfationem *Oratio ſuper oblata alta voce dicenda*, ut expreſſe habetur, ſicut contra noſtro ritu notatur ſecrete dicenda in antiquiſſimo breviario & in inſtructione ordinis eccleſiaſtici, quam ex monumentis *Alemannicis* edimus: „Tunc pontifex inclinato vultu in terram dicit orationem ſuper oblationes, ita ut nullus præter Deum & ipſum audiat niſi tantum *Per omnia ſæcula ſæculorum.*" Atque ita notatur in omnibus antiquis ſacramentariis *Gregorianis*, veluti in noſtro antiquiore: „deinde Offertorium, oratio ſuper oblata. Deinde dicitur excelſa voce *Per omnia ſæcula ſæculorum.*" Rhabanus *Maurus* omnia hæc complexus, unde miſſa fidelium incipit. „Poſtea (inquit) miſſa cantatur a ſacerdote. Primum ergo oratione quæ ſuper oblata nominatur ſecrete ab ipſo ſacerdote expleta, ſalutat populum, & orat dicens *Dominus vobiſcum.*" Hanc notationem nominis *ſecretæ* alii etiam auctores medii ævi obſervant veluti Amalarius, & Honorius *Auguſtodunenſis*, idemque intelligitur, etſi quandoque voce cantandi utantur E. g. expoſitio miſſæ ſeu ordinis *Romani* apud Cochleum & Hittorpium. *Prima autem oratio ſuper corpus Chriſti futurum ſecreta dicitur & ſecrete cantatur.* Subditur oratio, quæ novatores, qui hoc carpunt, ſtringit: *Utile eſt enim omnem orationem ſpecialem ſacerdotum ſecretam eſſe, ut non cogitent, quomodo placeat compoſitio oris populo, ſed ſolummodo penſent, quomodo mens poſſit placere ſoli Deo, quem orant.*

Præfatio ſeu Conteſtatio.

XI. Quæ ſequitur *præfatio* a primævo eccleſiæ uſu eſt. Ubi nota B. Rhenani verba in Tertullianum de corona militis: „Operæ pretium videtur hic ſtudioſis aperire, quid de hac (Miſſa) compertum habeant, qui vetuſtos ſacrarum litterarum interpretes, videlicet Origenem & ſimiles cum iudicio diligenter excuſſerunt. Et arbitrantur quidem illi miſſam incœpiſſe dicente ſacerdote *Dominus vobiſcum*, & mox: *Surſum corda.* Deinde *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, & iterum *Vere dignum & iuſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias*

tias agere &c." Relege quæ mox ex Rhabano *Mauro* attulimus, qui hic etiam miſſam incipit. Includi tamen debet ſymbolorum oblatio, ut habeatur iuſta miſſæ fidelium idea ſecundum Iustinum M. qui ſub *Marco* Aurelio floruit. „Deinde ei, qui præeſt fratribus, panis affertur, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam univerſorum parenti per nomen Filii & Spiritus ſancti emittit, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem pro his ab illo acceptis donis prolixe exequitur." Inde a prima eccleſiæ ætate tam in Oriente quam Occidente verba illa ſolemnia adhibita leguntur, quibus iubemur *ſurſum* habere ad Dominum *corda* ἄνω τὰς καρδίας. *Clamat ſacerdos* ſurſum corda, inquit S. Cyrillus *Hieroſol.* Catech. V. myſtag. „vere enim circa illam tremendam horam ſurſum ad Deum corda levari neceſſe eſt, non deorſum ad terram, terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur ſententiam omnibus præcipit ſacerdos curas ſcilicet vitæ huius omnes & domeſticas ſollicitudines illa hora relinquere & habere apud Deum, generis humani amatorem. Vos deinde reſpondeatis *Habemus ad Dominum* aſſentientes ei profitendo." Sæpe ex his verbis S. Chrysostomus occaſionem arripit fidelium mentes erigendi; atque ex *Latinis* S. Augustinus, isque *de vera relig.* c. 3. morem hunc totius eccleſiæ eſſe apertius conteſtatur. *Quotidie per univerſum orbem humanum genus una pæne voce reſpondere ſe ſurſum habere corda ad Dominum.* S. Cyprianus iam hic nomine Præfationis utitur: „Sacerdos ante orationem Præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo *Surſum corda.*" In breviario ordinis eccleſiaſtici antiquiſſimo poſt hæc, quæ populus ſacerdoti reſpondet, ſubditur: „Et ingrediatur in Præfationem ita, ut ab omnibus pene audiadiatur. Deinde cum venerit, ut dicat, *adorant dominationes*, omnes ſacerdotes vel levitæ inclinent vultum ad terram. Cum autem pervenerit, ut dicat, *ſuplici confeſſione dicentes ſanctus* inclinent iterum diaconi, clerus cum omni populo." In liturgia *Ambroſiana* dicitur Præfatio in Canonem, uti etiam *Micrologus* habet: *Poſt finitam ſecretam Præfationem orditur in Canonem.*

Apol. II. — *De orat. domin.* — c. 11.

Atque ita diſtinguitur a Præfatione, qua ordiebatur liturgia *Gallicana*: aliquando etiam plures ſunt eo ritu ante alias Collectiones & lectiones, aut inter priores mixtæ, ut in vigilia Epiphaniæ. Et in Nat. Domini primum habetur *collectio poſt prophetiam*, *collectio poſt precem*, id eſt, poſt hymnum trium puerorum, ut adnotavit Mabillonius; ſequitur Præfatio miſſæ & poſt Collectiones alias *poſt nomina*, *ad pacem* ſequitur *immolatio miſſæ* ſeu *Conteſtatio* miſſæ, ut promiſcue vocatur in liturgia *Gallicana*.

De lit. Gall. p. 190.

In antiquiſſimo noſtro ſacramentario idem nomen conſtanter adhibetur pro *præfatione*, ut paſſim alibi. In codice vero *Remenſi* Menardus reperit *Conteſtada*, quæ ritu *Mozarabico Inlatio* eſt ſeu *Illatio*, quam Isidorus quintam notat orationem. „Quinta infertur (illatio) in ſanctificatione oblationis in qua etiam ad Dei laudem terreſtrium creatura & virtutum cœleſtium univerſitas provocatur & *Oſanna in excelſis* cantatur." Notionem vero Conteſtationis exprimit Gennadius de Museo *Maſſilienſi* agens: „Compoſuit ſacramentorum egregium & non parvum volumen per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum pro lectionum textu pſalmorumque ſerie & decantatione diſcretum: ſed ſupplicandi Deo & conteſtandi beneficiorum eius ſoliditate ſui conſentaneum." Alio etiam ſumit idem nomen eodem in uſu S. Gregorius *Turonenſis*. *Factum eſt autem, ut in die inſignis ſolemnitatis beati viri nobis miſſam dicentibus, cum nos rite ſacroſancta ſolemnia celebrando conteſtationem de ſancti Domini virtutibus narraremus &c.*

De viris illuſtr. c. 74.

Lib. II. de mirac. S. Martini c. 14.

Nimirum in Conteſtationibus ſeu Præfationibus Sanctorum, de quibus miſſa celebrabatur, præcipua geſta compendio referebantur, ac martyrum paſſio. Non quidem, ut viſum eſt *Honorio* de S. Maria, huc revocari debet, quando acta martyrum legi in miſſa dicuntur, ut ſupra meminimus factum initio miſſæ in liturgia *Africana*, *Gallicana &c.* Hic vero ſuccincte præcipua memorabantur ex ipſis quandoque actis expreſſa, uti exemplum habetur in Miſſali *Gothico* in natali S. Andreæ. Imo in ſacramentario *Gallicano* occurrit Conteſtatio de Ioseph, patriarcha nimirum, cuius hiſtoria tum in miſſa legebatur.

Lit. Gall. p. 322.
Muſ. Ital. P. II. p. 308.

Liturgia *Græca* unam ſibi ſimilem habet Præfationem: *Ambroſiana*, *Gallicana* & *Mozarabica* ſingulares in ſingulis miſſis habebant Conteſtationes *Romanis* prolixiores: quod etiam uſu *Romano* olim uſuvenit, antequam ad eum numerum redigerentur Præfationes, quo hodie habentur, quod Pelagio II. S. Gregorii M. prædeceſſori tribuitur, qui novem inſtituerit, quæ ſunt hodierno in uſu, addita in conc. *Placentino* ſub Urbano II. an. 1095. decima, ut ſunt, qui putent. Qua de re diximus ſupra in recenſione *Alemannicorum* noſtrorum ſacramentariorum: quorum prius antiquiſſimum *Rhenaugienſe* mille annorum magnum numerum habet Præfationum, non tamen in ſingulis miſſis; alterum *ſan-Blaſianum* nongentorum annorum pauciores quidem ac illud, plures tamen continet, quam a Pelagio II. dicuntur inſtitutæ, & determinatæ ſaltem in epiſtola decretali ad *Germaniæ* & *Galliæ* epiſcopos, quæ refertur in decreto Burchardi, cui veriſimile eſt *Alemanniam* ſe paullatim accomodaſſe. Adhuc tamen Henricus Cardin. *Oſtienſis* in Expoſ. ſuper epiſt.

Lib. III. cap. 69.

epiſt. decret. & ſumma canonica ſuperfluum numerum Præfationum arguit, ac nomen Pelagii commendat. *Cluniacenſes* hodieque pluribus utuntur, ut palam eſt ex Miſſali 1733. ed.

XII. Sequitur hic τρισάγιον, quod a Xysto I. inſtitutum perhibetur. Illud etiam tempore Leonis I. Concilium *Vaſenſe* can. VI. canendum decrevit. In capitulari *Aquisgranenſi* an. 789. ſtatuitur c. 70. ut „ipſe ſacerdos cum ſanctis angelis & populo Dei communi voce *Sanctus Sanctus Sanctus* decantet." In capitulis Herardi c. 16. „ut ſecreta presbyteri non inchoent antequam *Sanctus* finiatur. *Micrologus* c. 11. Hunc autem (inquit) hymnum & ipſe ſacerdos cum aliis neceſſario debet dicere, ne ſe ipſum ſua prece videatur privaſſe, qui & ſuas voces & aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus eſt in Præfatione." In breviario ordinis eccleſiaſtici videtur adhuc contrarius uſus deſignari; „Cum autem pervenerit, ut dicat ſuplici confeſſione dicentes *Sanctus*. Inclinent iterum diaconi, clerus cum omni populo, proclamantibus vero cum magna reverentia & tremore *Sanctus* incipit ſacerdos Canonem diſſimile voce lente, ipſi vero presbyteri diaconi & ſubdiaconi ſemper permanent inclinati." In inſtructione ordinis eccleſiaſtici inclinatio ſubdiaconis præſcribitur. In capitulari *Aquisgranenſi* an. 817. habetur c. 73. „De eo ut ad miſſam inclinati *Sanctus* dicant, & ad *Pater noſter* genua flectant." Qua de re poſtea.

Sanctus

T. I. Conc. Germ. p. 282.

Quod prius vero ſpectat, in miſſa Illyrici præſcribitur: „Quando alii, *Sanctus Sanctus Sanctus* decantant, hæc oratio curſim dicenda eſt a ſacerdote. *Domine Deus, qui non mortem &c.* Hac oratione finita, antequam ſacramenta incipiantur, iterum ſeſe Domino comendet, dicens. *Facturus memoriam &c.*" Hæc in noſtro antiquiori ordine miſſæ notatur oratio ante Canonem; prior vero in miſſa Ratoldi cum hac rubrica: „Dum dicitur *Sanctus* inclinant ſe omnes, & epiſcopus dicat hanc orationem interim *Deus qui non mortem &c.*" In Mſc. Miſſali *Sublacenſis* monaſterii an. 1075. ſub ipſo Gregorio VII. ſcripto, quod modo extat in bibliotheca *Vaticana*, præter orationem illam *Facturus memoriam &c.* dum canitur *Sanctus*, alia ſubiungitur: „Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen tuum ſanctum, mundaque cor meum ab omnibus variis, & nequiſſimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans pro populo tuo, quem elegiſti tibi, te præſtante, *qui cum Patre & Spiritu ſancto &c.*" Vid. Marten. de ant. eccl. rit. T. I. p. 389.

In liturgia *Gallicana* ſemper ſingularis habetur Collectio *poſt Sanctus*. In *Mozarabica* propria etiam habetur, ac communis iuxta morem liturgiæ *Græcæ*, *Vere Sanctus &c.* Sic in liturgia *Gallicana* Canon miſ-

ſæ,

ſæ, qui triſagion conſequitur, & ſacri myſterii actionem antecedit, varius pro diverſitate miſſarum, ſolet incipere *Vere ſanctus Vere benedictus &c.*

Canon. XIII. Debet pariter in miſſa *Mozarabica* ac *Gallicana* oratio illa *Vere Sanctus &c.* ad ipſum Canonem illius ritus revocari, cui titulus eſt: *Poſt Sanctus.* Deinde ſacerdos in medio altaris in ſilentio dicit orationem *Adeſto adeſto Domine*, cui ipſa conſecrationis verba poſt benedictionem Crucis innectuntur, ut adeo colligi exinde queat, in *Hiſpania* aut non paſſim ſuſceptum Canonem ſeu precem canonicam, quam Vigilius P. ad Profuturum *Bracarenſem* epiſcop. miſit, aut ſucceſſu temporum eandem eſſe neglectam. Secus in *Gallia* accidit, ubi ante alia Canon *Romanus* fuit adoptatus, ut patet ex miſſali *Francorum*, & ex veteri *Gallicano*, quod tertio loco habetur in liturgia *Gallicana* apud Mabillonium, itemque ex ſacramentario *Gallicano*, quod in Muſæo *Italico* edidit idem Mabillonius. Et forte idem etiam fuit in Miſſali *Gothico*, ubi in fine eadem *miſſa Romenſis cottidiana* adſcripta erat, ſed mutila. In hac autem miſſa in ſacramentario *Gallicano* Canon *Romanus* habetur, uti etiam in noſtris antiquiſſimis liturgiis *Alemannicis*, atque in omnibus aliis monumentis ſupponitur, in breviario, inſtructione & capitulari ordinis eccleſiaſtici, ac ordinibus miſſæ, uti edimus. In liturgia *Ambroſiana* pariter habetur Canon *Romanus*, ac magna illius pars recenſetur in libris de ſacramentis, qui S. Ambrosio inſcribuntur, vocaturque *regula eccleſiaſtica* auctori commentariorum in epiſt. Pauli ſub eiusdem nomine, qui certius S. Ambrosio abiudicantur, quam libri de ſacramentis; ſed quatenus cum *Romano* Canone convenerit, non conſtat: qui ſub nomine *precis* apud Innocentium I. Vigilium, ipſumque S. Gregorium venit, licet in eadem epiſtola ad Joannem *ſyracuſanum* etiam *canon* appelletur. In ipſo vero Canone *Infra actionem* quædam notantur, quo nomine ipſe etiam Canon venit. *De rebus actio dicitur* (inquit *Walafridus* Strabo) *ipſe canon, quia in eo ſacramenta conficiuntur dominica. Canon vero eadem actio nominatur, quia in ea eſt legitima & regularis ſacramentorum confectio.*

Lib. VII. ep. 64.

eccleſ. c. 22.

Eius auctore. XIV. De Canone eiusque origine minus digne ſenſiſſe viſus eſt S. Gregorius, qui eum a quodam Scholaſtico compoſitum aſſeruit. Quod nomen quidam proprium eſſe putarunt, alii vero rectius appellativum, quo veniebant viri eruditi & litterati imprimis, qui adoleſcentibus omni litterarum genere erudiendis operam navabant, veluti etiam Bellarminus

Lib. II. de Miſſa c. 19.

inter-

interpretatur virum inſignem eruditione & eloquentia; S. PETRUM tamen, ac alios pontifices occulte indicari vult. Atque ad originem apoſtolicam paſſim revocant poſt VIGILIUM P. auctores tum medii tum recentioris, ac noſtræ ætatis. Quorum magnum numerum citat *Chriſtophorus* PFAFFIUS de liturgiis, eos etiam, qui tribuunt nunc PETRO, nunc IACOBO apoſtolis, ac S. BASILIO; nunc CLEMENTI *Romano*, aut *Alexandrino*, vel etiam GELASIO, ipſique GREGORIO M. ſeu etiam MUSEO episc. *Maſilienſi*, vel VOCONIO, episc. *Caſtellenſi* in *Mauritania*. Alii diverſos diverſis temporibus auctores & quidem *Romanos* pontifices compoſuiſſe illum dicunt, iuxta varias illius partes. In antiquiſſimo ſacramentario *Solodorenſi* ad marginem notatur GREGORIUS II. ad commemorationem Sanctorum ante conſecrationem; poſtea GREGORIUS I. (cui, ut paullo poſt videbimus, verba *diesque noſtros* tribuuntur) ad verba autem *ſupplices te rogamus* LEO *magnus*. In veteri ſacramentario ſæc. XI. *Monachii* apud P.P. *Theatinos* vidi in ipſo margine paſſim annotari Auctores, veluti ad illa verba: *Et omnibus orthodoxis... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* COSMÆ & DAMIANI, *& quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ maieſtatis celebratur dñe ds noſter toto orbe terrarum & omnium ſanctorum tuorum* GREGORIUS III. *Diesque noſtros in tua pace &c.* GREGORIUS I. *Quam oblationem tu Deus in omnibus* LEO I. *Qui pridie quam pateretur &c.* ALEXAND. I. *Sanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam.* LEO M. Sic etiam in Miſſali *Weingartenſi* in margine notatum reperi: „ALEXANDER primus natione *Romanus* ex patre ALEXANDRO de regione *caput tauri* paſſionem Domini miſcuit in precatione ſacerdotum, quando miſſæ celebrantur," ut habetur in Pontificali, refertque *Walafridus* STRABO, ac ſubdit: „Quod cum ita de eo in pontificalibus ſcriptum ſit, dubium videtur, utrum ille eam tantum partem actionis, qua paſſio Domini commemoratur ordinaverit, vel totam a capite uſque ad ipſum locum. Sed huic ſecundæ æſtimationi videtur contrarium, quod in ea parte Sancti nominantur, qui & ante illum, & qui poſt illius tempora longe fuerunt, niſi dicamus, ab illo eos tantum, qui ante illum fuerunt, commemoratos: cæterorum vero nomina ſuis quæque temporibus ab aliis ſuperimmiſſa." Idem *Walafridus* STRABO primam Canonis prædicti partem ex eo vel maxime antiquam cognoſci exiſtimat, quia in eo ordo apoſtolorum non ita eſt poſitus, ſicut in emendatioribus evangeliis invenitur. Quod, ex ipſius ſententia, ideo fortaſſe evenit, quia pars illa prius compoſita eſt, quam evangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud *Latinos*, corrigerentur. Alias vero ibidem easdem eisdem pontificibus tribuit partes, prout ex *Mo*-

De rebus eccleſ. c. 22.

nacenſi Theatinorum ſacramentario retulimus, quod & BERNO *Augienſis* mox capite primo, de quibusdam rebus ad miſſæ officium pertinentibus, aſſerit. Alios vero adhuc pontifices nominat *Polydorus* VERGILIUS: „Canonis partem (inquit) *Te igitur*, quæ deinde initium eſſe cœpit, GELASIUS dedit, ſicuti ante eum SIRICIUS (*Communicantes*) quod nunc tertio loco ponitur. Ex quo apparet ipſum Canonem neque de uno, neque in eandem formam digeſtum, qua modo conſtat. Cuius rei vel fidem facit, quod ALEXANDER primus qui GELASIUM & SIRICIUM longo temporis intervallo præceſſit, ob memoriam paſſionis Chriſti poſuit: *Qui pridie quam pateretur* uſque ad illa verba *Hoc eſt corpus meum.* Quocirco ſatis liquet, illud tum Canonis fuiſſe principium: quando ſicut diximus GELASIUS circiter 360. & eo amplius annos poſt ALEXANDRUM ſedit. LEO deinde adiecit: *Hanc igitur oblationem uſque placatus accipias.* GREGORIUS tres ſubiunxit poſtulationes: *Diesque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi. Et in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Eiusdem quoque primi LEONIS eſt *ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam.* Sic alii alia addiderunt.“ Confidenter ſane auctor laudatus in multis pronunciat, quæ commodis auctoritatibus fuiſſent comprobanda. *Walafridus* STRABO diligentius egit, ac circumſpectius, hicque nonnulla movit dubia. „GREGORIUS vero (inquit) augmentavit in precatione Canonis *Diesque noſtros in tua pace diſponas.* Ubi quidam volunt intelligi, totam ab eo loco Canonis conſequentiam uſque in finem per illum fuiſſe compoſitam. Cui ſenſui repugnare videtur, quod paſſio Domini, quam ALEXANDER eidem precacationi inſeruit, poſt hos verſus habetur. Unde nonnulli credunt, non amplius GREGORIUM, quam illas tres petitiones, id eſt, pro pace temporum & ereptione ab æternis ſupliciis & conſortio Sanctorum obtinendo, prioribus ſuperaddidiſſe ſtatutis. LEO quoque 47. loco apud *Romanos* pontificatum agens, conſtituit, ut infra actionem ſacrificii diceretur *ſanctum ſacrificium* & reliqua: De hoc etiam quæri poteſt, utrum ab eo loco, quæ ſequuntur, addiderit, vel ipſa tantum verba, id eſt, *ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*, eo loco immiſcuerit. Quod quia manifeſte non legimus, nolumus diffinire. Ex hoc tamen apparet, GREGORIUM, qui longe poſt LEONEM fuit, non totum Canonem ab eo loco, quo ſua inſeruit, uſque in finem compoſuiſſe.“ GREGORIO magna conſenſione auctores tribuunt additionem illam *diesque noſtros*, veluti BEDA lib. II. hiſt. C. I. AMALARIUS lib. I. de officiis in proœmio. ADO archiepiſcopus *Viennenſis* in martyrologio. HINCMARUS *Remenſis* de prædeſt. c. 18. & alii, præter vitæ eius ſcriptores IOANNEM diaconum lib. II.

De invent. rerum lib. V. c. 10.

De reb. eccl. c. 22.

II. c. 18. & Anonymum apud Caniſium T. II. P. III. p. 258. Ea nihilominus verba in aliis etiam quam eius ſacramentariis habentur, uti in *Gallicano*, *Gelaſiano*, noſtroque *Alemannico* antiquiſſimo. Innocentius III. Gelaſio præcipuas tribui partes dicit in Canone: „Traditur autem (inquit) quod Gelaſius papa quinquageſimus primus a beato Petro, qui fuit poſt Silveſtrum per CIX. annos Canonem principaliter ordinavit.“ *Stephan.* Durantus, poſtquam plura in hanc rem præſertim de ſcholaſtico S. Gregorii ipſoque Gregorio dixiſſet: „Cæterum (ſubdit) omnes orationes, ut iam dixi, auctores habent ſcholaſtico & Gregorio vetuſtiores, præter hanc: *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c.* quam veriſimile eſt ſcholaſticum compoſuiſſe.“ *Myſter. miſſæ lib. III. c. 10.* *Lib. II. c. 38.*

XV. Qualescunque vero auctores fuerint Canonis, & quibuscunque augmentis ante mille certe annos & ſupra perfectus ſit, deinceps magna religione intemerate fuit ſervatus, ac ſemper ceu pars ſacratiſſima miſſæ habitus, ſub quo eximius exterior etiam cultus in ſitu corporis inclinato, ut iam notavimus, exhibitus fuit. Ordo *Romanus* mox poſt Offertorium miniſtrorum diſpoſitam aciem repræſentat, quo ordine deinceps inclinati ſub Canone ſteterint. „Tunc finito Offertorio epiſcopi ſtant poſt pontificem primus in medio, deinde per ordinem, & archidiaconus a dextris epiſcoporum, ſecundus diaconus a ſiniſtris, & cæteri per ordinem diſpoſita acie. Et ſubdiaconi regionarii finito Offertorio vadunt retro altare aſpicientes ad pontificem, ſtantes erecti uſque dum incipiat dicere hymnum angelicum, id eſt *Sanctus Sanctus*, quem dum expleverint, ſurgit pontifex ſolus, & intrat in Canonem, epiſcopi vero diaconi, ſubdiaconi & presbyteri in presbyterio permanent inclinati, & dum dixerit *nobis quoque peccatoribus,* ſurgant diaconi; cum dixerit *per quem hæc omnia Domine,* ſurgit archidiaconus ſolus.“ Hoc ob miniſteria accidit, reliqui enim ſub integro ſic perſeverabant Canone, ut habent ordines miſſæ, notatque Amalarius: „Perſeverant retro ſtantes inclinati, uſque dum finiatur omnis præſens oratio, id eſt uſque dum dicatur poſt orationem dominicam *ſed libera nos a malo.* Quod enim inde ſequitur, uſque *per omnia ſæcula ſæculorum* expoſitio eſt noviſſimæ petitionis dominicæ orationis.“ Hic referre iuvat, quod etiam poſteriore ætate in concilio *Moguntino* an. 1549. circa hanc rem ſtatuitur: „Iam ſtatim ab inceptione Canonis non ſedeant, ſed ad tremendi myſterii pertractationem intenti, vultu itidem ad altare converſo corporibus humi demiſſis, & mente in cœlum elevata, ſub ſilentio redemtionis humanæ beneficium & Chriſti paſſionem ſecum meditantes, ſalutis noſtræ auctori de impenſo ſanguine, & tolerata *Qua religione ſervetur.* *Lib. III. de offic. c. 23.* *T. XIX. Conc. ed. Ven. pag. 1420. n. 19.*

pro nobis morte debitam gratiarum actionem exhibeant.“ Huc tamen referuntur pſalmi illi, de quibus ſupra ad *orate fratres* diximus. „Deinde (ut habet miſſa ILLYRICI) cum ſumma reverentia incipiat *Te igitur*, & miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent iſtos pſalmos uſque dum *Te igitur* finiatur; *Exaudiat te Dominus. Ad te Domine levavi animam meam. Miſerere mei Deus ſecundum magnam. Domine refugium. Qui habitat in adiutorio.* Deinde preces: *Salvum fac ſervum tuum.* Idem in *Tiliano* apud MENARDUM, & *Salisburgenſi* apud MARTENIUM præſcribitur miſſæ ordine.

Canon ſecrete dicendus.

XVI. *Græcorum* more, qui ſæpe reſpondent *amen* ad ipſam conſecrationem, apud IUSTINIANUM etiam habetur: *Ut inter cæteras preces & ea, quæ in ſancta oblatione dicuntur, clara voce … proferantur.* a) Ritu *Mozarabico* eiusmodi quoque reſponſiones *amen* occurrunt, nihilominus in ſilentio dici præſcribitur oratio, ſub qua conſecrationis verba proferuntur, & ad ea *amen* reſpondetur. Idem olim alibi etiam in Occidente, ut in Oriente obtinuiſſe colligi videtur ex *Paſchaſio* RATBERTO lib. de Corpore & Sanguine Domini: „Reſpice in Sacramentorum libro, inſtituente B. PETRO (ut credimus) quid orat ſacerdos in Canone, exceptis his, quæ poſt communionem dicuntur, *ut fiat*, inquit, *Corpus & Sanguis dilecti Filii tui Domini noſtri IESU Chriſti.* Qua prece expleta, conſona voce omnes *amen* dicimus. Sicque omnis eccleſia in omni gente & lingua confitetur & orat.“ Verum exiſtimo RATBERTUM *amen* deſignare, quod hodieque expleto Canone ante orationem dominicam ſacerdote inclamante: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, reſpondetur. MABILLONIUS inde, quod in veteri *Gallicano* miſſali *collectio poſt ſecreta* ea dicitur, quæ conſecrationi proxime ſuccedebat, argumentum ſumit, Canonem miſſæ ſubmiſſa voce etiam in ordine *Gallicano* fuiſſe recitatum. Ubi in ordine noſtro *Romano* habetur: *ſecrete intrat in Canonem.* Nec obeſt canendi vox, hic etiam adhiberi ſolita, veluti in noſtro capitulari ord. eccleſiaſt. *& incipit canere diſſimili voce, & melodia, ita ut a circumſtantibus altare tantum audiatur.* Recentiori ætate contra obſtrepentes hic novatores in ſynodo *Auguſtana* conſtitutum habetur an. 1548. *Canon miſſæ ſubmiſſa voce, excepta dominica oratione pacis exoptatione, Dei invocatione & poſtrema populi ſalutatione, quemadmodum hactenus a catholicis factum eſt, ſummaque religione, ut myſteriis tremendis ſua conferatur auctoritas, pronuncietur.*

a Nov. Conſt. 123.

Comment. in ord. Rom. pag. XLVIII.

T XIX. Conc. edit. Ven. pag. 1108.

Paſſim a Theologis referuntur, quæ in *Prato ſpirituali* narrantur, quove reſpicit INNOCENTIUS III. „Cæterum ne ſacroſancta verba vileſcerent,

a) ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ προσκομιδῇ κατὰ φωνῆς.

rent, dum omnes pene per uſum ipſa ſcientes in plateis & vicis, aliisque locis incongruis decantarent, decrevit eccleſia, ut hæc obſecratio, quæ ſecreta cenſetur, a ſacerdote ſecrete dicatur. Unde fertur, quod cum ante conſuetudinem, quæ poſtmodum inolevit, quidam paſtores ea decantarent in agro, divinitus ſunt percuſſi." Alludit ad id, quod etiam *ſecreta* ipſe Canon vocari conſueverit. Ut modo ex liturgia *Gallicana* retulimus, & paullo ante ex Capitul. Herardi. Eius autem denominationis triplicem rationem profert *Gabriel* Biel. *Dicitur enim* (inquit) *Canon ſecretum propter tria: ſcilicet ratione ſignificationis, operationis, prolationis.* Quæ explicat, ad ultimum ſubdens: „Poſſunt tamen nihilominus ſacri Canonis verba legi, exponi, maſticari pia & religioſa voluntate, ac inveſtigari: a quo & ad quid inſtituta ſunt, ac doctrinaliter diſputari: ſicut in præſentiarum agimus." *Iodocus* tamen Clichtoveus in eodem argumento exceptionem addit: „At vero hunc tertium librum & præſertim eam partem eius, quæ ſacrum miſſæ Canonem exponit, nemo aggrediatur legere, niſi is, cui idipſum ob ſuſceptos ſacros ordines & altaris officium indultum eſt. Nempe tam ſacra auguſta & digna habentur ſacri ipſius Canonis (ut vocant) verba, quod cum reliquæ ipſius miſſæ partes alta proferantur voce a ſacerdote, & quæ a circumſtantibus excipi, intelligique poſſint, hæc ſola ſuppreſſius ſubmiſſioreque dicuntur ſermone, quod non liceat in publicum afferri, ſed ut cæteris longe ſacratiora, occultari, ſilentioque premi debeant."

Lect. XV.

Lib. III.

XVII. Prima Canonis littera ſolet in omnibus fere ſacramentariis antiquis crucis figuram repræſentare plerumque cum effigie ſalvatoris cruci cum quatuor clavis affixi, ac perizonio. Solent autem imagines illæ circa pedes eſſe maculatæ, atque deterſus eſt aliquantum color ex oſculo, quod tamen ſæculo decimo quarto rarius deprehendi. Obſervavi nihilominus id adhuc in miſſali *Conſtantienſi* impreſſo ſæc. XV. In miſſali *Urſinenſis* monaſterii ſæc. XIII. hæc adduntur: „Hic ſtans in medio altaris inchoa Canonem *Te igitur clementiſſime Pater*; Hic deoſcula angulum corporalis & patenam illi ſuppoſitam ſimul. *Per* Iesum *Chriſtum Filium tuum*: Hic deoſcula crucifixum dicens *dñum noſtrum.* Poſtea inclina te in medio altaris dicens *ſuplices te rogamus.*" Huius etiam rei meminit Muratorius de ritibus *Ambroſianæ* eccleſiæ, poſtquam prius illud oſculum, de quo ſupra in acceſſu altaris, memoraſſet, pariter apud nos antiquatum, addit idem, ſequentia ſublata fuiſſe e miſſa *Ambroſiana*: „Accedit ad altare, & facit crucem in medio altaris, & aperto libro miſſale oſculatur pedes crucifixi:" mox ſubdit: „Mos quoque fuit poſt hymnum *Sanctus*

Oſculum initio Canonis.

Diſſertat. LVII T. IV. antiq. Ital. p. 819.

ctus Sanctus &c. deoſculari pedes crucifixi, aut ſaltem pedem crucis: in omnibus quippe miſſalibus in principio Canonis, uti & nunc collocari conſuevit imago Chriſti e cruce pendentis." INNOCENTIUS III. poſtquam memoraſſet in ſecreto, hoc eſt, in Canone recoli memoriam dominicæ paſſionis, „Propter quod (ſubdit) inter Præfationem & Canonem in plerisque ſacramentariis imago Chriſti depingitur, ut non ſolum intellectus litteræ, verum etiam aſpectus picturæ memoriam dominicæ paſſionis inſpiret. Et forte divina factum eſt providentia, licet humana ſit induſtria procuratum, ut ab ea littera Canon inciperet, quæ ſui forma ſignum crucis oſtendit & exprimit in figura." Refert hæc verba *Gabriel* BIEL ſub nomine ALEXANDRI. Additque: *Congruum ergo eſt, ut oculis ſacerdotis paſſionis Chriſti memoriale celebrantis crucifixionis imago obiiciatur, qua ad de ipſa cogitandum fortius invitetur.* Et mox de uſu eius imaginis ad oſculandum etiam ſic diſſerit, quoad ſuam adhuc ætatem circa finem ſæc. XV. ſpectat: „Hoc ergo crucis ſignum non ſolum intuetur ſacerdos, ſed etiam oſculatur: ut oſculo, quod pacis ſignum eſt, oſtendat, quia per crucem pacificati ſumus & reconciliati Deo Patri, ut dicitur Col. I. *Complacuit per eum reconciliari omnia in ipſo pacificans per ſanguinem crucis eius: ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Servantur autem diverſi ritus in ordine oſculandi: aliqui primo oſculantur pedes crucifixi, & poſtea pedes maieſtatis divinæ in ſignum, quod per filii crucifixionem ad Patris deducimur maieſtatem. Alii modo contrario, primo oſculantur pedes maieſtatis, poſtea crucifixi in ſignum, quod nemo venit ad filium, niſi Pater traxerit eum: quodque omne donum optimum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum. Alii, qui duplicem picturam non habent primo oſculantur altare, poſtea crucem in codice, eadem quæ dicta ſunt, repræſentantes." Duplicem picturam *Gabr.* BIEL hic eam deſignat, qua paſſim adhuc in picturis non antiquis adeo Deus Pater repræſentatur ſenex cum promiſſa barba Chriſtum cruci affixum inter brachia in gremio portantem, ſupra Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ. De huiusmodi imaginum figuratione antiquiſſima egimus ſupra diſquiſit. II. c. 1.

Myſter. miſſæ lib. III. c. 2.

Expanſio manuum. *De orat. c. 14.*

XVIII. Idem vero myſterium crucis in expanſione manuum, quæ ſolet ſub Canone fieri a ſacerdote, iam a TERTULLIANO habemus notatum: *Nos vero* (inquit) *non attollimus tantum, ſed etiam expandimus e dominica paſſione modulatum, & orantes confitemur Chriſto:* ſcilicet manibus expanſis eum in cruce repræſentantes, conformantesque ut tenebat Dominus manus in cruce. Quod vellem magis a multis ſacerdotibus

tibus attendi, quemadmodum faciunt *Carthuſiani*; ut tamen ea, quam idem poſtea Tertullianus notat, ſervari poſſit moderatio: *Atqui cum modeſtia & humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces noſtras, ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate & probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto.* Vide eiusdem libri caput ultimum, ubi etiam ad avium exemplum provocat: *ſed & aves nunc exurgentes eriguntur ad cœlum, & alarum crucem pro manibus extendunt.* *De orat. cap. 17.*

XIX. Ipſum vero ſignum crucis ab antiquiſſimis temporibus in ſacro myſterio ad conſecrationem fuit adhibitum, uti in aliis etiam ſacramentis: „Si regenerari oportet (inquit S. Chrysostomus) crux adeſt; ſi myſtico illo cibo nutriri, ſi ordinari, & ſi quidvis aliud faciendum, ubique nobis adeſt hoc victoriæ ſymbolum.“ Paſſim S. Augustinus idem memorat. De ſignis crucis in Canone faciendis interrogavit S. Bonifacius Zachariam P. ſed nec ea epiſtola S. Bonifacii, nec rotulus ſuperſtes eſt, in quo pontifex infixit, quibus in locis ea facienda ſint, ut habetur in eius epiſtola reſponſoria: „Nam & hoc flagitaſti a nobis ſanctiſſime frater, in ſacri Canonis prædicatione, quot in locis cruces facere debeamus, tuæ ſignificemus ſanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati in rotulo dato prædicto Lul, religioſo presbytero tuo, per loca, ſigna ſanctæ crucis, quanta fieri debeant, infiximus.“ *Cruces ſub Canone. Hom. 54. in Matth.*

Crucis ſigna non notantur in antiquiſſimo ſacramentario noſtro *Rhenaugienſi* (uti nec in *Gelaſiano*, nec miſſali *Francorum*) in alio tamen ſimili, quem cum eodem noſtro *Rhenaugienſi* contulimus, *ſan-Gallenſi* eadem inveni. In *ſan-Blaſiano* 900. ann. autem non ſolum ipſæ cruces ſuperſcribuntur verbis, verum etiam rubrica in margine notantur faciendæ, præterquam initio Canonis ad verba *Hæc dona*, *Hæc munera*, *Hæc ſancta ſacrificia*: ubi ſine rubrica cruces ſunt ſuperpoſitæ. In ſacramentario autem *Gallicano* apud Mabillonium una tantum ibi notatur poſt verbum *benedicas*. Deinceps, uti hodieque fiunt, ante & poſt conſecrationem habentur, præterquam duæ ad illa verba *ſacroſanctum Filii tui Corpus & ſanguinem ſumpſerimus*. In antiquis noſtris ſacramentariis deſiderantur, redundantque in numero illo ſenario, quem hic obſervat Amalarius in ecloga, anonyma item expoſitio miſſæ, quam ex antiquis Mſſ. ediderunt Cochleus & Hittorpius: quodque apud hunc ſubditur, & paſſim in Mſſ. *Alemannicis* inveni ſchediaſma inſcriptum: „Qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſint,“ idemque non nullis mutatis apud Mabillonium append. in ord. *Rom.* p. 559. *De div. off. P. II. p. 588.*

&

& apud MENARD. ex *Tiliano* not. 88. in ſacrament. S. GREGORII, & apud COCHLEUM in *Gemma animæ* cap. 41. & ſequentibus legitur. Ubi diſtinctius de ordinibus crucium agitur; nec non de quinque ordinibus crucium, *quæ fiunt ante ſextum*, *quando cum oblata tangitur calix:* Ut AMALARIUS in ecloga dicit. Nec hic prætererim, quod in ſermone ſynodali RATHERII *Veronenſis* monetur: „Calicem & oblatam recta cruce ſignate, id eſt, non in circulo, & varicatione digitorum, ut plurimi faciunt; ſed ſtrictis duobus digitis, & pollice intus incluſo, per quos Trinitas innuitur, iſtud ſignum ✠ recte facere ſtudete. Non enim aliter quidquam poteſtis benedicere.“

T. III. Conc. Germ. p. 7.

De Diptychis.

XX. Percurramus iam principaliora Canonis loca, quibus aliqua in antiquis monumentis occurrit diverſitas. Antequam autem ad rem progrediamur, quædam de diptychis ſunt prænotanda, voce a *Græcis* deſumta, quibus etiam dicuntur ἱεραὶ, ἁγίαι, μυςικαὶ δέλτοι ſeu ἐκκλησιαςικοὶ κατάλογοι, ſuntque tabulæ publicæ olim inter miſſarum ſolemnia ex ambone prælectæ, quæ continebant nomina offerentium hierarcharum principum & magiſtratuum una communione & confœderatione fruentium, Sanctorum porro, martyrum præſertim, ac denique eorum, qui in orthodoxa fide defuncti ſunt. Nomen ab uſu profano diptychorum præſertim conſularium apud *Romanos* acceptum eſt, cuiusmodi varia adhuc inter cimelia reſervantur in noſtra etiam *Germania* ab uſu profano haud raro ad ſacrum translata, quale eſt *Leodienſe* illud a P. *Alex.* WILTHEMIO illuſtratum, tabulæ oblongæ ſcilicet in Δέλτα formam reciſæ, quales in *Iani* GRUTERI inſcriptionum *Romanarum* opere paſſim conſpicuæ ſunt. Singulare eſt fragmentum diptychorum, quod in opere de *cantu & muſica ſacra* ex rotulo bibliothecæ *Barberinæ Romæ* adumbratum retulimus: ſupra Papa in medio ſedens repræſentatur, ad cuius lævam epiſcopus ſtans, ad dextram offerentes comparent primus cum fanone, cuius ad oblationem erat uſus. Verba quæ ſequuntur, notis muſicis ſunt inſtructa, unde palam fit, ea cantata fuiſſe. Sunt autem hæc: *Memento etiam Domine famuli tui imperatoris noſtri. Nec non & famuli tui comitis noſtri cum omni exercitu eorum. Et cæleſtem eis concede victoriam. Et his qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, præmia æterna largiaris.* Hæc tamen ad ſequentem imaginem pertinent ſeu figuram imperatoris ſedentis in dextra, cui ad ſiniſtram itidem aſſidet Comes cum falcone, utrimque autem ad latus tam imperatoris, quam Comitis aſtat vulgus. Convenit cum hoc quadantenus diptychon *Fuldenſe* a SCHANNATO editum in *Vindem. liter.* collect. I. p. 18. tantum quod mortuorum ſit. Huic nomen papæ non

T. I. p. 447.

Digitized by Google

non comparet, ſed regum, imperatorum, reginarum item inde a Pipino & Carolo M., nomina quoque defunctorum epiſcoporum, quos inter primus Lul, ſequuntur octo nomina, quibus ſingulis vocabulum *comes* adiectum eſt Bernhard *comes &c.* *Trevirenſe* vero nomina ſanctorum apoſtolorum, martyrum, pontificum & epiſcoporum continet. Omnis generis nomina principum, hierarcharum, monachorum item, & abbatiſſarum complectitur fragmentum membranæ, quam ex bibl. monaſterii S. Maximini apud *Treviros* protulit idem Wilthemius: quod forte ad alterius generis diptycha pertinet extra miſſæ ſacrificium uſitata in monaſteriis (unde necrologia orta fuiſſe iam ſupra notavi) comemoratio ſcilicet omnium fratrum &c. Nos iam ſingula, quibus diptycha proprie ſic dicta conſtant, recenſuimus nomina, eo ordine, quo in Canone miſſæ hodieque occurrunt. *Dipt. Leod. P. I. c. 7. p. 29.*

XXI. In miſſali quidem *Francorum*, quod ad noſtram quoque *Alemanniam* referri poteſt illis temporibus uſitatum, quando primum apud nos chriſtiana eſt conſtabilita religio, in Canone *Romani* pontificis, pariter ac Antiſtitis deſideratur nomen; in noſtris tamen antiquiſſimis *Alemannicis*, omnibusque aliis manuſcriptis a me viſis conſtanter papæ nomen notatur: uti in ſacramentario *Gallicano*, ac quidem his verbis: *unacum devotiſſimo famolo tuo ill. Papa noſtro, & antiſtite noſtro &c.* Statutum id eſt in conc. *Vaſenſi* II. an. 529. „Et hoc nobis iuſtum viſum eſt, ut nomen Domini Papæ, quicumque ſedi apoſtolicæ præfuerit in noſtris eccleſiis recitetur.“ Memoria Papæ. *Lit. Gall. p. 316.* *Muſ. Ital. T. I. P. II. p. 279.* *Can. 4.*

Provocat circa hanc conſuetudinem auctor de div. officiis ſub nomine Alcuini ad Pelagium P. his verbis: „Unde conſtat ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut B. Pelagius docet, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria apoſtolici pontificis memoriam ſecundum conſuetudinem non frequentant.“ Et Agobardus in libello de comparatione utr. regim. idem referens de B. Pelagio P. quosdam epiſcopos redarguente, eoquod nomen eius reticerent in actione ſacri myſterii; id eſt in ſolemniis miſſarum, etiam verba ipſa profert Pelagii: „Ait ad eosdem epiſcopos: Diviſionem veſtram a generali eccleſia, quam tolerabiliter ferre non poſſum, vehementer ſtupeo. Cum enim beatiſſimus Augustinus dominicæ ſententiæ memor, quæ fundamentum eccleſiæ in apoſtolicis ſedibus collocavit, in ſchiſmate eſſe dicat, quicunque ſe a præſulum earundem ſedium auctoritate vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtet eſſe eccleſiam, niſi quæ in pontificalibus apoſtolicarum ſedium eſt ſolidata radicibus: quomodo vos ab univerſi orbis commu-

nione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria ſecundum conſuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno apoſtolicæ ſedis per ſucceſſionem epiſcopatus præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem." Sive hæc ad PELAGIUM I. ſive ad II. qui ambo poſt medium ſæc. VI. *Romanam* ſedem tenuerunt, referantur, ad ſchismaticos illos in *Africa*, ac etiam *Italia*, ob tria capitula damnata, pertinere cenſendum eſt.

Conſtat ex S. AUGUSTINI epiſt. LIII. n. 3. nomina eccleſiarum, quibus apoſtolorum epiſtolæ ſcriptæ ſunt, in codicibus ſanctis contenta fuiſſe, qui nempe ad uſum erant ſacrificii: „Qui legunt (inquit) in codicibus ſanctis eccleſias, quibus apoſtoli ſcripſerunt, & nullum in eis habent epiſcopum. Quid autem perverſius & inſanius, quam lectoribus easdem epiſtolas legentibus dicere *Pax tecum*, & ab earum eccleſiarum pace ſeparari, quibus ipſæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt?" Agit autem ibi de epiſcopis *Romanis*, quibus ſemper præcipuus hic locus fuit, etiam in Oriente, idque ſcelus fuit ACACII: *ut mente ſenſuque omni captus primus ipſe papæ nomen e ſacris diptychis exemerit*, iuxta NICEPHORUM. Contra vero maxima fuit Pontificum contentio, ne ACACII in illis nomen eſſet, a *Romana* ſede exauctorati, quod ex GELASII aliorumque pontificum epiſtolis conſtat. In omnibus vero contentionibus cum eccleſia Orientali, quando de pace redintegranda actum fuit, hoc ſemper primum caput fuit, reſtitutio pontificii nominis in ſacris: Oſtenditurque idem in appendice ad miſſale *Lateranenſe* in eccleſia Orientali poſt TARASIUM, ſubſequentibus temporibus ſub PHOTIO, & pluribus eius ſucceſſoribus uſque ad CÆRULARIUM.

Hiſt. eccl. lib. XVI. c. 17.

Id hodie ſervant omnes, qui *græcum* ſequuntur ritum, & cum catholica eccleſia ſunt uniti etiam *Rutheni*: in *Ambroſiana* pariter & *Mozarabica* liturgia, quæ hodie ſolæ in Occidente ſervantur diverſæ a *Romana*, ſuo loco conſtanter papæ nomen habetur. Hoc iam olim ENNODIUS in defenſionem SYMMACHI P. adduxit, dum adverſarii LAURENTIUM *Mediolanenſem*, & PETRUM *Ravennatenſem* epiſcopos a communione papæ ſe ſuſpendiſſe obiicerent. „ULLONE ergo (inquit) tempore, dum celebrarentur ab his ſacra miſſarum, a nominis eius commemoratione ceſſatum eſt? an unquam pro deſideriis veſtris ſine ritu catholico & canonico more ſemiplenas nominatim antiſtites hoſtias obtulerunt?" In ſynodo *Lugd.* II. œcumenica an. 1224. Act. I. id conſtitutum, ut *in miſſæ ſacrificio papa cum aliis quatuor patriarchis in diptycha relatus memoretur*: quod pertinet ad eccleſiam Orientalem.

De ſynodo ſub Symmacho.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Meminimus ex S. Augustino, hoc ſingulare viſum eſſe ſedium apoſtolicarum, ſeu ad quas epiſtolæ apoſtolicæ ſcriptæ habentur, privilegium, atque notam catholicæ communionis, quod alibi ſæpe contra *Donatiſtas* idem S. Doctor urget. „De codicibus (inquit) non tantum noſtris recitamus eccleſias, quarum nomina hodie legunt, & quibus hodie non communicant: quæ cum recitantur in conventiculis eorum, lectoribus ſuis dicunt *Pax tecum*, & cum ipſis plebibus, quibus illæ litteræ ſcriptæ ſunt, non communicant.“ Ad apoſtolicas ſedes quidem *Alexandrinam* & *Antiochenam*, nullæ epiſtolæ apoſtolicæ habentur, earum tamen nomina in Oriente fuerunt in ſacrificio recitata, niſi indigni præſules eſſent, veluti de Dioscoro & Eustatio ex epiſtola S. Leonis ad Anatolium *Cpolitanum* conſtat. „De nominibus autem (inquit) Dioscori & Eustatii ad ſacrum altare non recitandis dilectionem tuam hoc decet cuſtodire, quod noſtri ibidem conſtituti faciendum eſſe dixerint, quodque honorandæ ſancti Flaviani memoriæ non repugnet, & a gratia tua chriſtianæ plebis animos non avertat. Nam iniquum nimis eſt atque incongruum, eos, qui innocentes & catholicos ſua perſecutione vexarunt, Sanctorum nominibus ſine diſcretione miſceri.“ Aliud diverſum exemplum in Occidente in S. Gregorii epiſtola ad Constantium *Mediolanenſem* habetur, ubi mutuo id ſibi officii præſtitiſſe præſules patet: „Quod autem ſcripſiſtis (reſcribit Gregorius) quia ſcandalizantur plurimi eorum, quia fratrem & coepiſcopum noſtrum Ioannem *Ravennatenſis* eccleſiæ inter miſſarum ſolemnia nominetis, requirenda vobis conſuetudo antiqua eſt: & ſi conſuetudo fuit, modo a ſtultis hominibus reprehendenda non eſt. Si vero conſuetudo non fuit, fieri non debet, unde quibusdam ſcandalum moveri poſſit; tamen ſollicite perquirere ſtudui, ſi idem Ioannes frater & coepiſcopus noſter vos ad altare nominet, quod minime dicunt fieri. Et ſi ille veſtri nominis memoriam non facit: quia neceſſitas cogat, ignoro, ut vos illius faciatis.“ De hac re mentio fit in Sigebaldi *Anglorum* regis epiſtola ad S. Bonifacium M. „Notum ſit tibi, quod ex eo tempore nomen tuum adſcriptum habuiſſem, cum miſſarum ſolemnia celebrarem (ita rex loquitur) ſimul cum nominibus epiſcoporum noſtrorum.“ Referri huc queat, quod in antiquiſſimo *San-Gallenſi* ſacramentario in ora paginæ additur, *memento Domine famuli tui* Remedii *epiſcopi.* Ubi papæ & antiſtitis nomen ſuo ordine ponitur, ut in aliis noſtris ſacramentariis etiam *Gallicano*; in miſſali *Francico* enim, ut iam notavi, utrumque deſideratur. In antiquiori vero noſtro *San-Blaſiano* poſt verba: *unacum famulo tuo papa noſtro*, recentiori manu adſcriptum eſt *N. & antiſtite noſtro N.* Auctor de Officiis divinis ſub nomine Alcuini apud Hittorpium de ea

Epiſcoporum. Abbatum &c.

Epiſt. 45.

Regeſt. lib. IV. ep. 39.

Epiſt. 49.

pag. 285.

re tamquam inolita loquitur: „Sequitur (inquit) *& antiſtite noſtro.* Sicut enim univerſalis eccleſia commemorationem apoſtolici pontificis, ita dignum & religioſum eſt, ut ſingulæ eccleſiæ commemorationem ſuorum ſubiungant antiſtitum, probantes ſe per illam orationem ſervare cum iis unitatem.“ Nihilominus auctori ſæculi XII. nempe PETRO *Bleſenſi* res nova eſt viſa in ſermone ad ſynodum: *Quod vero*, inquit, *quidam addunt de rege & antiſtite ſuo*, *nova eſt traditio.* At vero aliquot ante ſæcula inolita in *Alemannia* noſtra conſuetudo, qua ratione hodieque obtinet, epiſcopi noſtri memoriam faciendi, perſpicuum facit, quod ea de commemoratione apud AMALARIUM (ne quid de STEPHANO *Eduenſi*, & HONORIO *Auguſtodunenſi* dicam) & *Walafridum* STRABONEM legitur. Sic & *Rhabanus* MAURUS dicit: „Si epiſcopus miſſam celebrat, *pro antiſtite noſtro* dicere non debet, quia ipſe antiſtes eſt. Si presbyter miſſam celebrat, ille debet dicere *pro antiſtite noſtro.*“ INNOCENTIUS III. tamen epiſcopo *Aurienſi* ſciſcitanti, quid epiſcopus *Romanus* hic agat, ubi in Canone habetur *unacum papa noſtro*, reſpondit, Quod nos ibi dicimus, *una mecum indigno famulo tuo.* Forte ob ſuperiorem RHABANI rationem in miſſa ILLYRICI pontificali omittitur *& antiſtite noſtro*, cum tamen generatim pontificum, imo etiam abbatum mentio fiat: quorum nomen alicubi antiſtiti adiectum reperitur, alicubi loco antiſtitis habetur, ut in *Murbacenſi* miſſali ſæculi XIII. poſtea abraſum, & in mſs. *S. Galli*: idemque de veteri ſacramentario S. SYMPHORIANI monaſterii *Metis* obſervat MARTENIUS in *Itinere litterario.* Hic idem notavit *de antiqua eccleſiæ diſciplina* ex miſſali S. GERMANI *a Pratis*, quod ante nongentos annos iam ante dimidium ſæculi exaratum exiſtimavit: & *Angelus de* NUCE in miſſali *Caſinenſi* poſt papam omiſſo epiſcopi nomine. In miſſa ILLYRICI hic eſt contextus: *Imprimis unacum famulo tuo papa noſtro N. & omnibus orthodoxis, atque apoſtolicæ fidei cultoribus pontificibus & abbatibus, gubernatoribus & rectoribus eccleſiæ ſanctæ Dei, & pro omni populo ſancto Dei.* In ſacramentario *Sublacenſi* ſcripto an. 1075. ſub GREGORIO VII. quod modo extat in bibliotheca *Vaticana*, ſic habetur: *Unacum famulo tuo papa noſtro ill. & Imperatore noſtro, & antiſtitibus, ac abbatibus, & congregationibus noſtris, & omnibus orthodoxis &c.* P. VEZZOSIUS præfatione in Tom. V. opp. Ven. THOMASII p. XIV. ex mſc. bibliothecæ *Vallicellanæ Romæ* ſæculi ut videtur XII. eadem annotavit verba: *Unacum famulo tuo papa noſtro, & rege noſtro, & omnibus epiſcopis, & abbatibus, & congregationibus noſtris, & cunctis orthodoxis &c.*

De ord. ſacrament. c. 19.

P. II. p. 114.

Lib. I. c. 4.

Imperatoris. Regis.

XXIII. In ſacramentario *Gregorigno* S. ELIGII deeſt nomen antiſtitis, habetur

habetur autem regis, utrumque vero apud Pamelium, uti & in noſtris antiquioribus pariter, ac in miſſali *Francorum* & ſacramentario *Gallicano*, in miſſa item Illyrici, in Canone deſideratur, aliis tamen locis præſertim autem ſub oblatione *Pro rege & antiſtite &c.* in miſſa Illyrici oratio habetur. Hoc factum ſemper in eccleſia iuxta doctrinam D. Pauli I. *Tim.* 2. antiquiſſima docent teſtimonia etiam ſub ethnicis imperatoribus, uti habetur in *Apol.* 2. Iutsini M. Tertullianus ad ſcap. expreſſe dicit: „Itaque ſacrificamus pro ſalute imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius." a) Cap. 2.
Et in Apologetico etiam ratam orationis formulam deſignat: „Precantes ſumus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt." Hæc congruunt illis, quæ in actis S. Achatii epiſc. a

&

a) Singularis vero eſt Apologetici cap. 39. locus Tertulliani ſequens: „Coimus in cœtum, & congregationem facimus, ut ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro imperatoribus, pro miniſteriis eorum, ac poteſtatibus ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis." Ea quæ iam c. 32. edixerat ad illuſtrandum allatum locum faciunt in eo, quod *pro mora* finis factam orationem dicit: „Eſt & alia maior neceſſitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni ſtatu imperii rebuſque *Romanis*, qui vim maximam univerſo orbi imminentem ipſamque clauſulam ſæculi acerbitates horrendas comminantem *Romani* imperii commeatu, ſcimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, *Romanæ* diuturnitati favemus." Conſtat vel ex ipſis apoſtolicis ſcriptis, iam tum finem rerum non longe abeſſe, inſtareque antichriſtum fuiſſe exiſtimatum. Dum igitur orabant *pro mora finis*, pro incolumitate imperii *Romani* intercedebant, quod ad conſummationem ſæculi perennaturum credebatur. Sic idem ad Scapulam: „Chriſtianus (inquit c. 1.) nullius eſt hoſtis nedum imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto *Romanno* imperio, quouſque ſæculum ſtabit, tamdiu enim ſtabit." Idem in libro de Oratione contra hanc precandi formulam obiectionem facit ex illis orationis dominicæ verbis: *Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua*, ſic effatus; „Itaque, ſi ad Dei voluntatem, & ad noſtram ſuſpenſionem pertinet regni dominici repræſentatio, quomodo quidam protractum quendam ſæculo poſtulant? Quum regnum Dei, quod ut adveniat, oramus, ad conſummationem ſæculi tendat, optamus maturius regnare, & non diutius ſervire. Etiamſi præfinitum in oratione non eſſet de poſtulando regni adventu, ultro eerm vocem poſtulaſſemus feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum. Clamant ad Dominum in viſu animæ martyrum ſub altari: *Quonam uſque non ulciſceris, Domine, ſanguinem noſtrum de incolis terræ. Nam utique ultio illorum a ſæculi fine dirigitur. Immo quam celeriter veniat, Domine, regnum tuum.*" Ex illis verbis *quomodo quidam protractum quendam ſæculo poſtulant*, atque ex ſilentio reliquorum monumentorum liturgicorum forſan *Afros* tantum chriſtianos hac precandi formula uſos fuiſſe coniicit *Ioannes Dan.* Kluge, qui poſt *Io. Bapt.* Offii doctoris *Tigurini de mora finis & fine mora* orationem, *de antiquiſſimorum hominum chriſtianorum precibus ſolemnibus pro mora finis ad illuſtrandum* Tertulliani *apologeticum* cap. 39. commentarium anno 1744. edidit *Tremoniæ*.

Act. ſincer. p. 152. & mart. habentur apud Ruinartum: „Et cui magis cordi eſt, vel a quo ſic diligitur imperator, quemadmodum ab hominibus chriſtianis? Aſſidua enim nobis eſt pro eo, ac iugis oratio. Ut prolixum ævum in hac luce conficiat, ac iuſta populos poteſtate moderetur: & pacatum maxime imperii ſui tempus accipiat. Deinde pro ſalute militum & pro *pag. 182. 216. 294.* ſtatu mundi & orbis.“ In iisdem actis ſimilia de S. Dionysio epiſc. *Alexand.* & aliis leguntur. Apud Arnobium item contra gentes lib. IV. *Lib. IV. c. 4.* Inter eos vero, qui de liturgia expreſſe ſcripſerunt, ſunt S. Cyrillus *Hieroſolymitanus* & auctor libb. de ſacramentis. Hic locum videtur deſignare in quo conſecratio fiat, & pro regibus oretur. „Conſecratio igitur (inquit) quibus verbis eſt & quibus ſermonibus? Iesu Chriſti. Nam *Catech. XXIII. n. 8.* reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur. Oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris.“ Similiter Cyrillus habet. In Oriente *Hiſt. lib. VI. c. 31.* imperatoris nomen ſemper in ſacris tabulis fuit contentum, quamdiu orthodoxus habebatur, unde de Anastasio Imp. notat Evagrius, nonnullos eundem concilii *Chalcedonenſis* adverſarium exiſtimantes ex ſacris tabulis exemiſſe. Vid. *Chriſt. Aug.* Salig. de diptychis veterum c. 5. Idem arbitratur ex diptychis ortas miſſas quotidianas pro regibus, profertque eiusmodi miſſas ex Grimoldi abbatis libro ſacramentorum apud Pamelium: quales quidem in omnibus ſacramentariis complures imprimis in *Gelaſiano* reperiuntur; nuſpiam vero princeps in Canone legitur. Putat quidem ad diptycha referendam commemorationem Caroli *Craſſi* imperatoris apud *Augienſes* monachos, inſtitutam a Cadaldo epiſcopo *Novarienſi* apud Mabillonium Analect. f. 427. ed. recent. aliqualem diptychorum uſum oſtendere. Quod tamen exemplum potius eſt anniverſarii a vivente adhuc imperatore conſtituti: „ut ſingulis annis uno die.... omnes presbyteri intenta mente ac benigniſſima voluntate miſſam ſuam cum oblationibus decantarent: ceteri autem fratres cuncti pariter intenta mente ſinguli pro imperatore triginta pſalmos adimplere ſtuderent, & hæc commemoratio fieret in die conſecrationis, id eſt Epiphaniarum die. Poſt obitum vero Auguſti voluerunt & diſpoſuerunt, ut in Kalendario obitus illius omni tempore de anno in annum in ipſo anniverſarii die prædictum ſervitium in commune fratribus fieret, ac præfatæ commemorationis orationes pro anima illius procul dubio perficerentur.“ In *Gallia* religioſius ſemper eſt obſervatum, ut iuxta capitulare Caroli M. imperatoris nomen recitaretur in miſſa, decretaque ſynodorum *Arelatenſis VI. Remenſis II. Turonenſis III.* & *Cabillonenſis II.* quæ Martenius refert, firma manent. Idem apud nos nuper demum eſt reſtitutus uſus.

In

In noſtris libris liturgicis Mſſ. paſſim additum regis vel imperatoris nomen in hoc loco Canonis reperimus manu potiſſimum ſæc. XIV. Equidem ſæc. XIII. poſt NICOLAUM III. qui eo iam vergente ſedit, deſideratum hoc in dedicatione poſt mortem præfati pontificis, facta ab Anonymo ad tractatum magiſtri IORDANIS *Oſnabrugenſis* Canonici de *Rom.* Imp. „Nuper itaque, vacante ſede per mortem ſanctiſſimi Patris noſtri N. tercii, dum ego indignus peccator in civitate *Viterbien.* ſacrificium corporis & ſanguinis Domini noſtri IESU Chriſti conficerem, habui præ manibus librum, mihi utique ad hoc de capella *Romani* pontificis commendatum. Et cum ad illum locum Canonis perveniſſem, ubi ſancta eccleſia catholica orare conſuevit pro antiſtite & pro rege ac aliis orthodoxis. Memoriam quidem inveni antiſtitis, ut oportuit, ſed dignitatis regiæ memoriam non inveni: neque hoc caſu, vel ſcriptoris negligentia factum eſſe arbitror. Cum evidentia defectum in libris religioſorum & ſæcularium clericorum alia tam in urbe quam extra ſimiliter inveniſſem.“ In antiquiſſimo ſacramentario *Solodorenſi* per rubricam quidem literis tamen antiquis uncialibus poſt nomen papæ additur: *Et imperatore noſtro, & antiſtite noſtro omnibusque &c.*

XXIV. RADULPHUS *Tungrenſis* de Canonum obſervantia propoſ. 22. *Micrologum* citat, *Quod ſecundum antiquiores & emendatiores ſacramentarios in Canone ſuperfluunt ſequentia verba*: Primo ibi *& rege noſtro, & omnibus orthodoxis, atque catholicæ & apoſtolicæ fidei cultoribus.* Quæ quidem ſimul ſolent recentiori manu ſæc. XIV. potiſſimum adiici in ſacramentariis Mſſ., quandoquidem ipſi contextui non inſeruntur. At *Micrologus* loquitur de illis tantum verbis *& omnibus orthodoxis &c.* de rege nulla eſt apud eum mentio. Hæc vero ſunt eius verba ac ratio: „Item poſt nomen Domini papæ ſive proprii epiſcopi adiiciunt: *Et omnibus orthodoxis, atque catholicæ & apoſtolicæ fidei cultoribus*, ſed ſuperfluo. Nam ordo ſtatim in ſequenti verſu, ubi dicitur *Memento Domine famulorum famularumque*, nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus, quoſcunque voluerimus.“ Deſiderantur ea verba in *ſan-Blaſiano* ſacramentario S. GREGORII ex bibl. cubiculi deſcripto: eadem & in aliis veteribus codd. deeſſe notarunt Card. BONA lib. II. rer. liturg. c. 11. MENARDUS not. 34. & P. VEZZOSI T. VI. opp. Card. THOMASII p. 173. ad Canonem ſacramentarii *Gelaſiani*, in quo deſiderari mirum videri nemini debet, ſiquidem ea verba a S. GREGORIO M. adiecta fuerint, ut ſupra obſervavimus. In antiquiſſimo noſtro *Rhenaugienſi* plerumque ad *Gelaſianum* expreſſo ea non reperiri haud mirum eſt.

Et omnibus Orthodoxis &c.

Microl. c. 13.

Leguntur

Leguntur tamen verba illa in miſſali *Francorum*, in ſacramentario *Gallicano*, in Miſſali Illyrici, apud Pamelium, qui in margine adnotat reperiri particulam illam conformiter in omnibus Mſſ. codicibus. Habentur etiam in exemplari *Solodorenſi* per rubricam quidem ſed manu antiqua cum verbis *imperatore noſtro & antiſtite noſtro*, ut modo obſervavimus. In ſacramentario *Gregoriano* ex cod. *Othoboniano* (non vero in *Vaticano*) apud Muratorium, item apud Menardum S. Eligii *Rem.* Rodradi, verſ. *Græc. Georgii* Codini ſimilia adduntur verba. Ea pro genuinis agnoſcuntur apud Remigium *Altiſiodorenſem*, & auctorem de offic. ſub nomine Alcuini; meritoque iudicat non ſubſiſtere rationem *Micrologi* Menardus. „His enim (inquit) verbis & *omnibus orthodoxis &c.* fit commemoratio generalis omnium fidelium viventium; at in ſequentibus *Memento &c.* ſpecialis eſt commemoratio offerentium & quorumdam particularium, quorum nomina olim de diptychis legebantur.“

pag. 326. pag. 279. — *N. 34. in ſacram. S. Greg.*

Memento Domine famulorum &c.

XXV. Antiquiſſima hæc eſt in eccleſia conſuetudo, de qua S. Cyprianus epiſt. ad clerum ſuum *de lapſis:* „Ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum.“ Et in epiſtola ad epiſcopos Numidas *de redemtione captivorum:* „Ut autem fratres noſtros ac ſorores, qui ad hoc opus tam neceſſarium promte & libenter operati ſunt, ut ſemper operentur, in mentem habeatis in orationibus veſtris, & eis vicem boni operis in ſacrificiis & precibus repræſentetis, ſubdidi nomina ſingulorum, ſed & collegarum quoque, & conſacerdotum noſtrorum, qui & ipſi, quum præſentes eſſent, & ſuo & plebis ſuæ nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi.“ Apud Mabillonium in append. ord. *Rom.* adiungitur: „Qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur*“ agendæ ſunt; ut etiam in cod. *Einſidlenſi.* „Ad verba *Memento Domine famulorum famularumque tuarum.* Hic nomina vivorum nominentur, ſi volueris, ſed non dominica die, niſi certis diebus. Et omnium circumſtantium &c.“ In cod. *Tiliano* apud Menardum n. 88. & in ſacram. S. Greg. ubi eadem habentur, ſcribitur: *niſi cæteris diebus.* Nihil autem de hoc apud Hittorpium in ſimili append. Solet etiam in hodiernis miſſalibus hic interponi eius rei gratia bis littera N. & N. „Porro (inquit Clichtoveus) in hoc loco ſacerdos, aut tacita mentis cogitatione, aut ſubmiſſa vocis expreſſione debet recitare nomina viventium ſingillatim, pro quibus intendit in illa celebratione ſingulariter orare, quod inſinuatur per litteras illas maiuſculas N. & N. ſignificantes ibi eſſe locum illorum ſeriatim nominandorum per quandam copulationem.

T. II. Muſ. Ital. p. 560.

Olim

Olim apud *Græcos* fiebat per diaconum, apud *Latinos* autem per ſubdiaconum, ut habetur in ſacramentario S. Eligii: „Subdiaconi a regione altaris, ubi memoriam vel nomina vivorum & mortuorum nominaverunt & recitaverunt, procedunt poſt diaconum." Idem notavit Mabillonius ex Folcuino in chronico *Laubienſi*. Florus autem in exegeſi in Canonem miſſæ apud Baluzium: „Cum primum (inquit) dicitur *memento Domine famulorum famularumque tuarum*, & ſic deinde ſubiungitur, *& omnium circumſtantium* manifeſtum eſt, quod quaſi quidam locus ſit, ubi aliquibus ſpecialiter nominatis, etiam cæterorum, qui aſſiſtunt in ecleſia, commemoratio adiungatur: in quo utique loco aut liberum eſt ſacerdoti, quos deſideraverit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare; aut certe illud ab antiquis obſervatum eſt, ut ibi offerentium nomina recitarentur." Apud Pamelium ex codice *Colon.* in margine adſcriptum habetur: *Et eorum, quorum nomina ad memorandum conſcripſimus, ac ſuper ſanctum altare tuum ſcripta adeſſe videntur.* Ita Muratorius reperit adſcripta nomina in margine codicis *Othoboniani*; in noſtris vero manibus ſingularis fuit membrana, quæ incendio monaſterii *S. Blaſii* an. 1768. periit, in qua *Sanctus* cum notis muſicis indicium præbuit, nomina, quæ in membrana illa magno numero fuerunt conſcripta, ad hunc uſum diptychorum pertinuiſſe, cuius uſus in antiquioribus ſacramentariis adhuc notatur: veluti in edito ab *Hug.* Menardo dicuntur ſubdiaconi *a retro altari, ubi memoriam vel nominaverunt & recitarunt*, proceſſiſſe poſt diaconum. Pertinet huc *Gelonenſis* ſacramentarii oratio n. 316. *Prætende Domine miſericordiam tuam famulis & famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, vel quorum nomina ante ſancto altario tuo ſcripta adeſſe videntur, quorum numerum & nomina tu ſolus Dominus cognoſcis, dextera cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & qui digne poſtulant, aſſequantur, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium fidelium catholicorum hortodoxorumque, qui tibi placuerunt, quorum commemorationem agimus, vel quorum nomina ante ſancto altario ſcripta eſſe videntur, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piæ ſupplicationis conſequantur.* Colligit hinc poſt Baluzium Salig c. 4. de Diptychis non ſingula nomina ſuper altari poſita lecta fuiſſe ob maiorem forte numerum.

De liturg. Gall. lib. III. n. 12.

T. II Capitul. p. 1129.

T. I. Liturg. Rom. p. 2.

Tractat autem hæc Baluzius ad c. 25. libri I. Capitul. ab Anſegiso & Benedicto collect. ubi habetur, *ut nomina publice non recitentur ante preces ſacerdotales.* Quæ ſunt conformia ritui *Romanæ* eccleſiæ, de quo Innocentius I. in epiſtola ad Decentium epiſcopum, quam ex antiquiſſimo codice *Sm-Gallenſi* edendam duximus in fronte monumentorum litur-

gicorum: ubi non vult nomina eſſe recitanda, antequam precem ſacerdos faciat: ſcilicet ante Canonem, ſecus ac fiebat ritu *Gallicano* & *Mozarabico.* Huc quoque pertinet decretum concilii *Francofordienſis* de non recitandis nominibus, antequam oblatio offeratur: ubi oblatio latius eſt ſumenda, primum enim poſt oblationes ſuſceptas recitatio nominum fiebat. Unde Collectio poſt nomina in miſſalibus *Gallicanis* facta legitur ante Conteſtationem ſeu Immolationem miſſæ, quæ eſt Præfatio in Canonem, ſimul autem tunc vivorum & mortuorum nomina ſunt recitata. Atque etiam in antiquiſſimo noſtro ſacramentario, quod ex codice *Rhenaugienſi* edimus, poſt memoriam vivorum mox ſubiungitur altera mortuorum, licet deſit in conſimili *San-Gallenſi*, & etiam in *Rhenaugienſi* iterum poſt conſecrationem recurrat. Ritu *Gallicano* pertinet huc, ut diximus, *Collectio poſt nomina* ſacra nimirum diptycha recitata ante Immolationem miſſæ ſeu Conteſtationem, ubi ſimul nomina vivorum & mortuorum fuerunt recitata, ſicut in liturgia *Mozarabica*, ad imitationem Orientalis eccleſiæ. Exprimitur id nonnunquam in ipſa Collectione poſt nomina, veluti in miſſa in vigiliis Epiphaniæ miſſalis *Gothici*: *Præſentem itaque oblationem illabere, ut medelam viventibus, defunctis refrigerium præſtet. Et quorum texuit recitatio præmiſſa ſortem, inter Electos iubeas adgregare. Per.* Miſſæ in natali S. Clementis epiſcopi Collectio poſt nomina ſic orditur: *Nominum ſerie relata* defunctorum, *fratres cariſſimi, omnipotentis Dei miſericordiam ſupplices exoremus: ut interventu ſancti* Clementis *antiſtitis & martyris ſui, defunctis abſolutionem, viventibus tribuat ſalutem.* a) Morem hunc *Gallicanum* vituperaſſe Innocentium I. in epiſtola ad Decentium, iam meminimus. In miſſali *Francorum* cum Canone *Romano* utraque commemoratio vivorum & defunctorum ſuis locis habetur; deſideratur autem commemoratio mortuorum in ſacramentario *Gelaſiano* poſt conſecrationem. In miſſa vero Illyrici poſt multas ſingulares preces, quæ hic promiſcue ponuntur, ſimul etiam ſequitur: „Item pro ſalute vivorum & mortuorum: *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, & beatiſſimæ Virginis MARIÆ &c.* Hic recites nomina, quorum velis. *Iſtis & omnibus in fide catholica quieſcentibus &c.*" Pertinent hæc ad Canonem poſt conſecrationem, unde ſubditur *Nobis quoque peccatoribus.* Primum autem hoc loco ante conſecrationem habet: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum cunctorum ſcilicet conſanguinitate &c.*

In antiquiori noſtro ordine precum miſſæ ſingularis etiam notatur oratio

a) Legatur in miſſali *Gallicano* apud Thomasium T. VI. Opp. p. 369. prima ſtatim miſſæ S. Germani *Coll.* Conteſtationem proxime antecedens manca quidem haud dubie *Collectio poſt nomina.*

tio infra actionem dicenda: *Memento Dne famulorum famularumque tuarum N. præcipue deprecor pro his &c.* In codice *Theodoricenſi* notant editores S. Gregorii: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum omnis congregationis B. Dei genitricis MARIÆ, ſanctorumque confeſſorum* Medardi & Eligii. Et Martenius in ſacramentario carthuſiæ *Longipontanæ*: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum propter pietatem tuam Deus meus in bonum, & deleas peccata mea gravia, & efficias me toto orbe devotum, & patris mei &c.* Et in ſacramentario S. Symphoriani monaſterii *Metis* ante conſuetum *memento* additur: *Memento quæſo mei Dne &c.* atque hoc primum notat *Micrologus* cap. 13. Quid ſuperfluum ſit in Canone, diſquirens. „Interponere enim (inquit) ſolent quidam ibi ſuas orationes, ubi dicitur *Memento Dne &c.* & ante commemorationem defunctorum.“

Præfat. pag. V. Voyage litt. P. II. p. 152. p. 114.

XXVI. Idem *Micrologus* ſuperfluum eſſe dicit in Canone *Pro quibus tibi offerimus*, quæ quidem apud Pamelium habentur, atque in margine notat, illud habere omnes mſs. codices. Quod ego ſane in *Alemannicis* haud reperi antiquioribus, niſi quandoque recentiori manu in ora paginarum additum. Deſideratur etiam in editis apud Mabillonium in liturgia *Gallicana*, apud Menardum in ſacramentario *Gregoriano*, apud Muratorium in liturgia *Romana*. Nec refert, quod ea verba legantur in miſſali veteri *Lateranenſi*, quod ætatem *Micrologi*, id eſt Ivonis *Carnotenſis*, qui ſæculo XI. vixit, non ſuperat, qui hic ad antiquiora ſacramentaria provocat: „Item (inquit) poſt pauca addunt: *Pro quibus tibi offerimus*, cum in antiquioribus & veracioribus ſacramentariis non niſi ſub tertia perſona offerentes ibi reperiantur ſcripti,“ ut notatur item apud Radulphum *Tungrenſem*, qui rationem profert congruam, cur olim, dum oblationes ſuas fideles fecerunt, ea verba ſola ſub tertia perſona *qui tibi offerunt*, poſita fuerint, ac ſimul, cur ea ceſſante recte hæc addi potuerint. „Manifeſtum eſt (inquit auctor expoſitionis in Canonem *Rom.* apud Cassandrum, quem Beroldum, ſeu Bertholdum *Conſtant.* putat) non oportere aliquos in eccleſiam convenientes offerendi miniſterium, cum præcipue eorum memoria agatur in Canone, quorum fides per hoc maxime cognita dicitur & nota devotio, quia hoc ſacrificium laudis obtulerunt pro ſe ſuiſque omnibus &c. pro quibus hæc dicuntur, & in omnibus ſacramentorum libris habentur & recitantur, niſi pro his, qui iuxta præceptum Domini immolant Deo ſacrificium laudis &c. prius foras miſſis per vocem diaconi iuxta eccleſiaſticam inſtitutionem omnibus, quorum fides & devotio non probatur per ſacrificandi vel communicandi ſacramenta. Et melius profecto fuerit, hæc de cir-

Pro quibus tibi offerimus, *vel* qui tibi offerunt &c.

Micr. c. 13.

Prop. 22.

circumſtantibus, ſed minime offerentibus vel communicantibus Deo non promittere, quam ſalutem fidelium vel in offerendo, vel in communicando negligere contra morem priſcorum Patrum, qui voluerunt omnia fieri honeſte, & ſecundum ordinem.“ In ſenſum vero commodum interpretatur hæc iuxta recentiorem uſum *Gabriel* Biel: *Vel qui tibi offerunt, id eſt eorum circumſtantium fidelium, qui tibi mediate & ſpiritualiter offerunt. Offerunt enim circumſtantes mediate, ſacerdos celebrans immediate, offerunt & ſpiritualiter. Sic etiam ſpiritualiter dicuntur hoc ſacramentum manducare, pro quanto devote ſe humiliant in conſpectu corporis Chriſti &c.* De diverſo hic a *Romana* liturgia ritu *Gallicano* iam diximus: ad quem pertinet miſſale antiquum ſeu miſſa S. Martini, apud Card. Bona Rer. liturg. lib. I. c. 12. quam etiam multa habere cum ordine *Mozarabico* communia notat; in hac autem miſſa *oratio poſt nomina* rem ſingulariter explicat: *Auditis nominibus offerentium fratres chariſſimi, omnipotentis Dei inenarrabilem miſericordiam ſupplices poſtulamus, ut nomina noſtra, quæ in hunc celeberrimum diem in honorem ſancti antiſtitis ſui* Martini *offerimus benedicere & ſanctificare ipſo & ſuffragante dignetur: & quod illi collatum eſt ad gloriam, nobis quoque proficiat ad ſalutem.* Ubi animadvertes verba quædam ex Canone *Romano*, alia vero gemina iis, quæ in oblatione ſecunda habentur ante Præfationem ſeu Conteſtationem, quo loco in liturgia *Gallicana collectio poſt nomina* ponitur, quæ in miſſa S. Germani prima miſſalis veteris *Gallicani* apud Thomasium T. VI. opp. p. 369. ſic incipit: *Auditis nominibus offerentium &c.* Ritu autem *Romano* loco Canonis modo notato fuerunt recitata nomina, unde etiam in diptycho *Leodienſi offerentes* primo loco ponuntur.

Lect. 29.

Nomina Sanctorum. XXVII. Sequitur in Canone locus, qui ad articulum ſymboli, Sanctorum ſcilicet communionem, pertinet: „Communicantes & memoriam venerantes. Ad quod (inquit S. Augustinus) ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen a ſacerdote invocantur, Deo quippe non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum.“ Notabilis eſt locus *Walafridi* Strabonis *de reb. eccleſ.* c. 27. „Actio ſeu Canon (miſſæ) ex eo cognoſcitur maxime per partes compoſitus, quod nomina Sanctorum, quorum ibi communio & ſocietas flagitatur, duobus in locis poſita reperiuntur. Non enim verum eſt, quod quidam dicunt: ideo duos ordines nominum ibi factos, quia poſterius poſiti, nondum coronati fuiſſent, cum priores in illo Canone ſunt poſiti: cum ſciamus Ioannem *Baptiſtam*

Lib. XXII. de civit. Dei c. 10.

tiſtam ipſis Apoſtolis non tantum parem tempore, verum & priorem: Stephanum vero parem & utrumque ante apoſtolos coronatum. Cæteros quoque, qui in ſequenti ordine numerantur, iisdem fuiſſe temporibus, quibus fuere, qui prius ſunt poſiti. Unde conſtat, ſequentes eccleſiæ doctores, antiquis Patrum ſtatutis, quæ congrua viſa ſunt, addidiſſe, ut ſicut religioſorum aucta eſt multitudo, ita & religionis creſcerent inſtituta. Primam vero partem Canonis prædicti ex eo vel maxime antiquam eſſe cognoſcimus, quia in eo ordo Apoſtolorum non ita eſt poſitus, ſicut in emendatioribus evangeliis invenitur. Quod ideo fortaſſe evenit, quia pars illa prius compoſita, quam evangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud *Latinos*, corrigerentur. In prioribus enim editionibus, ut Hieronymus teſtis eſt, non ſolum evangeliſtarum mutatus eſt ordo, ſed etiam verborum, & ſententiarum erat confuſa commixtio.“ Putat Salig de diptychis c. 8. *Walafridum* eum etiam innuere Sanctorum ordinem, quo in duabus columnis ſeorſim apoſtoli ſeorſimque collocati nonnunquam reperiuntur martyres & alii Sancti, veluti in diptycho *Leodienſi* quadantenus cernere eſt, ubi ingens imprimis eſt numerus Sanctorum. In diptycho, quod itidem ex profano ſacrum eſt redditum, *Brixiano* ſcilicet, in altera tabula tres figuræ comparent cum ſuperſcriptis nominibus Geronimu. Agustinu. Gregoriu. quæ frequentius inter Sanctos occurrunt in Canone, quando, ut alii etiam quam martyres ponerentur, obtinuit. Ex his in cod. *Solodorenſi* adduntur nomina Gordiani & Epimachi iterum lituram paſſa. Confeſſores comparent nulli, quorum tamen in antiquiſſimis noſtris *Alemannicis* adduntur paſſim nomina Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. Hi omnes ſunt epiſcopi præter S. Hieronymum & S. Benedictum, qui non ſolum in monaſticis, ſed & in cathedralibus antiquioribus ſacramentariis inveniuntur, etiam *Ambroſiano*. In *Mozarabico* tamen ſolummodo epiſcopi & quidem maiori numero nominantur, ſed ante Canonem orationemque *Poſt nomina*, pariter ac in liturgia *Gallicana*. Ubi tamen in Miſſali *Francorum* in Canone *Romano* poſt apoſtolos & martyres ſolum Helarii & Martini nomina occurrunt: quibus in ſacramentario *Gallicano* Ambrosii, Augustini, Gregorii, Hieronymi, & Benedicti nomina adduntur, iidem excepto S. Ambrosio, qui in noſtris antiquiſſimis *Alemannicis* ex codd. *Rhenaugienſi* & *ſan-Gallenſi* nominantur. Quæ eadem nomina in alio antiquiſſimo codice *ſan-Gallenſi* reperi. *Ioſ.* Garampius in memor. de S. Clara p. 191. adhuc in miſſali *Peruſino* ſæc. XI. vel XII. eosdem Sanctos in Canone notavit. Habentur iidem in aliis ſacramentariis, variis codicibus *Gallicanis*, quos citat Martenius

De ant. eccl. rit. L. I. c. 4. a. 8. n. 16. NIUS cum SS. DIONYSIO, RUSTICO, & ELEUTHERIO, quod nomen etiam in *Gelaſiano* edito a THOMASIO & MURATORIO habetur cum lacuna ante & retro. Iidem leguntur exceptis SS. DIONYSIO, RUSTICO & ELEUTHERIO in codice S. ELIGII, quem edidit MENARDUS, qui æque, ac mox laudatus MARTENIUS, in notis citat alios codices, in quibus alii quoque pontifices & confeſſores adiunguntur, prout in noſtris *Alemannicis*, *ſan-Gallenſibus* præprimis, nonnunquam nomina SS. COLUMBANI & GALLI occurrunt. Hæc etiam unacum S. MAXIMINI nomine notavit MARTENIUS *P. II. p. 114.* in *itinere literario* in veteri ſacramentario S. SYMPHORIANI monaſterii *Voy. liter. a. 1724. p. 206.* *Metenſis*. In *Gladbacenſi* vero viſuntur nomina BONIFACII, LAMPERTI *& ſanctorum confeſſorum tuorum* SYLVESTRI, MARTINI, AUGUSTINI, GREGORII, HIERONYMI, GALLI, BENEDICTI, NICOLAI OUDALRICI, *nec non & illorum, quorum ſolemnitas hodie in conſpectu maieſtatis tuæ celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrarum, eorum quoque, quorum reliquiæ in hac ſancta eccleſia Dei condita ſunt, & omnium ſanctorum tuorum, quorum meritis &c.* Et in alio apud eundem fit comme- *p. 40.* moratio. DIONYSII, RUSTICI, ELEUTHERII, HILARII, MARTINI, AUGUSTINI, GREGORII, HIERONYMI, BENEDICTI, *& quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ maieſtatis celebratur Domine Deus in toto orbe terrarum, & omnium ſanctorum tuorum, quorum meritis &c.*

T. III. p. 285. Similia verba notant editores S. GREGORII in primo *Theod.* COSMÆ & DAMIANI *& illorum, quorum hodie ſolemnitas in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* Apud PAMELIUM in ſacram. *Colonienſi* poſt martyres hæc adduntur: *Et omnium Sanctorum, nec non illorum martyrum, quorum hodie per univerſum mundum in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* MENARDUS vero not. 42. id obſervavit in liturgiis *Græcis* SS. BASILII & CHRYSOSTOMI, atque ex cod. *Tiliano* & HITTORPIO in tractatu, qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſunt, *T. II. Muſ. Ital. p. 560.* uti etiam habetur apud MABILLONIUM in append. ad ordinem *Rom.* nosque inter monumenta liturgica *Alemanniæ* damus ex cod. *Einſidlenſi.* „Si fuerit natale Sanctorum hic dicat: *ſed & diem natalicii beati illius celebrantes. Et omnium Sanctorum tuorum.* *De reb. eccl. c. 22.* GREGORIO III. apud ANASTASIUM, *Walafridum* STRABONEM, BERNONEM, RADULPHUM *Tungrenſem* *De reb. ad miſſæ offic. pertin. c. 1.* tribuitur inſtitutio, ut in Canone dicatur: *Quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ maieſtatis celebratur, Domine Deus noſter toto orbe terrarum &c.* *De can. obſ. prop. 22.* Quæ reperi in codice ſæc. IX. vel X. *montis ſancti Andex.* In *Sublacenſi* vero ſacramentario ſcripto an. 1075. ſub GREGORIO VII. ſic legitur: *Nec non & illorum, quorum hodie ſolemnis in conſpectu gloriæ*

tuæ

Digitized by Google

tuæ celebratur triumphus, & omnium Sanctorum tuorum per eundem Dominum noſtrum. Amen.

Deinceps vero hæc omnia ſunt ſublata, hocque *Micrologus* etiam notat inter ea, quæ ſint ſuperflua in Canone: „Aliorum vero Sanctorum nomina annumerare non debemus, niſi quos in Canone invenimus antiquitus deſcriptos.“ Et INNOCENTIUS III. ex eoque *Gabriel* BIEL præſertim confeſſores excipit. c. 13. L.XXXII. in Canon.

XXVIII. Nota vero in miſſali *Francorum* poſtea de Sancto, cuius feſtum eſt, hanc orationem: „*Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ (quam tibi offerimus in honore Domni beati martyris tui ill. & pro peccatis atque offenſionibus noſtris &c.* In ſacramentario *Leonino* ſingularis habetur hic coniunctio oblationis virginum ſacrarum. *Hanc etiam oblationem Domine tibi virginum ſacratarum &c.* Apud MURATORIUM, & in *Gelaſiano* de Dedicatione obſervare licet: *Hanc igitur oblationem famuli vel famulæ tuæ illius &c.* Ubi etiam Sancti nominantur, in quorum honorem extructa eſt eccleſia, ac pro ipſis conditoribus oratur. In antiquiſſimis noſtris ſacramentariis etiam in votivis miſſis pro vivis, & defunctis præſertim, ſingulares hic habentur orationes. In miſſa ILLYRICI item ſingulares hic notantur orationes: „*Hanc igitur oblationem humilitatis meæ & devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis &c. Quam oblationem tu Deus in omnibus &c.* Iſtud profer in eodem Canone, quando concilium vel conſilium aliquod agitur, poſtquam dixeris *æterno Domino vivo & vero. Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro huius negotii qualitate, de quo in præſenti diſputationis actione ventilatur &c.*“ MARTENIUS in ſecundo *Itinere litterario* anni 1724. ex veteri ſacramentario deſcribit orationem ſatis prolixam: Infra orationem quotidianam S. AMBROSII *Mediolanenſis* archiepiſcopi. *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ ſuæ quæſumus dne placatus accipias, quam tibi devoto offerimus corde pro pace & charitate & unitate ſanctæ eccleſiæ &c.* Et MURATORIUS obſervat, ſecundis curis addi in codice *Othoboniano*: *Hanc igitur oblationem ac ſi indignus pro emendatione vitiorum &c.*

Hanc igitur oblationem &c. p. 327. lit. Rom. T. I. p. 331. p. 40. lit. Rom. T. II. p. 5.

Quæ vero hic ad communem orationem Canonis *Romani* habetur rubrica in noſtro antiquiori ſacramentario: „Hic inclinat ſe uſque ad altare (ſeu ut habet miſſale *Urſinenſe* ſæc. XIII.) Hic inclina te vertens ad ſiniſtrum cornu altaris & dicens: *Hanc igitur oblationem &c.*“ reperi non ſolum in Mſſ. ſed impreſſis etiam compluribus adhuc miſſalibus, idemque obſervat De MOLEON in *itinere liturgico* iuxta veteres etiam

ſcrip-

ſcriptores de rebus liturgicis, ex quibus in tractatu. Qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* faciendæ ſint, eadem habetur rubrica, cum iam ab uno & altero ſæculo præſcribatur: „Tenens manus extenſas ſuper oblata dicens *Hanc igitur &c.*

Verba conſecrationis. XXIX. Sequuntur verba evangeliſtarum ac Chriſti in ultima cœna Corpus & ſanguinem ſuum conſecrantis. *Qui pridie quam pateretur &c.* hæcque ſola extant in miſſali *Gothico Gallicano.* „Canonem quidem (inquit MABILLONIUS) miſſæ pro ſingulis miſſis diverſum, ſed breviſſimum exhibet miſſale *Gothico-Gallicanum*: at cum ad hæc verba: *Qui pridie quam pateretur* ventum eſt; ſequentia, quæ conſecrationem continere debebant, tanquam eo tempore vulgaria uno &c. comprehunduntur. Morem catholicum hac in re a noſtris obſervatum teſtatur GREGORIUS in cap. 16. *de Vitis Patrum.* Formam *Ambroſianam* in panis conſecratione adhibitam fuiſſe non dubitamus. Eſt autem huiusmodi: *Hoc eſt enim Corpus meum, quod pro vobis confringetur.* Ut etiam in *Mozarabico* habetur, tantum ut loco *confringetur*, *tradetur* poſitum ſit. Lego: *quod pro multis confringetur* in libro IV. de Sacramentis ſub nomine S. AMBROSII. Unde colligitur, auctorem illum antiquiſſimum, quisquis ſit, ritum *Ambroſianum* deſcripſiſſe a *Romano* hic multis verbis differentem: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in ſanctis manibus ſuis reſpexit in cœlum ad te ſancte Pater omnipotens æterne Deus &c.* Ubi in Canone *Romano* habetur *Et elevatis oculis in cœlum ad Deum patrem ſuum omnipotentem.*

præfat. in liturg. Gallic.

T. I. liturg. p. 302.

Hæc quidem apud evangeliſtas non leguntur, aliunde autem ex omnibus quatuor evangeliſtis conſtat, Chriſtum gratias acturum oculos in cœlum ſuſtuliſſe. Sic etiam non reperiuntur in evangeliis verba in conſecratione calicis *æterni teſtamenti*, *myſterium fidei*, quæ tamen INNOCENTIUS III. & ex eo *Gabriel* BIEL apoſtolos a Chriſto, & ab apoſtolis eccleſiam accepiſſe dicit. In *Mozarabico* non leguntur: ubi hæc eſt forma: *Hic eſt calix novi teſtamenti in ſanguine meo, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In *Ambroſiano* vero: *Hic eſt enim ſanguis meus.* In *Mozarabico* poſt conſecrationem panis additur: *Quotieſcunque manducaveritis hoc facite in meam commemorationem.* In *Romano* autem poſt conſecrationem calicis *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*, pariter ac in *Ambroſiano* aliis tamen verbis: *Mandans quoque & dicens ad eos: Quotieſcunque hæc feceritis, toties commemorationem mei facietis.*

Lect. 36.

Poſt quæ verba in antiquo *Ciſtercienſis* ordinis ſacramentario MARTENIUS reperit ſcriptum: „Unde & univerſalis eccleſia iugem memoriam

Voy. litter. an. 1724. p. 107.

Do-

Domini redemtoris ſui celebrat. Ipſe Dominus tradidit & apoſtoli generaliter omni eccleſiæ in his verbis, ſine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla civitas, id eſt, nulla pars eccleſiæ catholicæ conficere poſſit, id eſt conſecrare ſacramentum Corporis & Sanguinis Domini, quod apoſtolus manifeſte demonſtrat ad *Corinthios* ubi dicit: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus* Iesus *in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* Chriſti ergo virtute & verbis iſte panis & calix ab initio conſecratus eſt: Chriſti virtute & verbis ſemper conſecratur & conſecrabitur." Præclara etiam ſunt Gezonis in libro de Corpore & Sanguine Chriſti c. 40. verba, quæ hic exſcribam: „Et nunc illo præſto eſt Chriſtus, qui illam ornavit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita corpus Chriſti facit, & ſanguinem, ſed ille qui Crucifixus pro nobis eſt Chriſtus. Ore ſacerdotis verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. *Hoc eſt* (ait) *corpus meum.* Hoc verbo propoſita conſecrantur, & ſicut illa vox, quæ dixit: *Creſcite & multiplicamini & complete terram*, ſimul quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad eius adventum præſtat ſacrificio firmitatem." *Apud Muratór. T. III. Anecd. p. 278.*

Notat quidem De-Moleon in antiquo ordinario *Rothomagenſi* ſcriptum: „Clero *ſed libera nos a malo* reſpondente, officium conſecrationis perficiat." S. Gregorius, dum dicit in epiſtola ad Ioannem epiſcopum *Syracuſanum* morem apoſtolorum fuiſſe, ut ad ipſam ſolummodo orationem (dominicam) oblationis hoſtiam conſecrarent, induxit haud dubie Amalarium, ut ſcriberet lib. I. c. 15. de offic. eccleſiaſt. „Niſi eſſet admonitum ex *Romano* ordine, ut reſervaretur corpus Domini a quinta feria uſque in ſextam, non eſſet neceſſarium reſervari, quoniam ſufficeret ſola oratio dominica ad conſecrandum corpus, ſicut ſufficit ad conſecrandum vinum & aquam." Ita teſtatur ſe reperiſſe in tribus exemplis Hittorpius, ſecus ac in edito habetur: „Nam (inquit) animadvertit forte, quod ex divi Gregorii verbis collegerat, per dominicam orationem Corpus Domini conſecrari hoc ſe male collegiſſe, cum hoc non dicat D. Gregorius. Sed quum, eius verba ſunt, quod ad ipſam ſolummodo orationem dominicam oblationis hoſtiam apoſtoli conſecrarint, non dubium, quin per ipſa conſecrationis verba, quæ Chriſti verba ſunt, & quibus ipſa conſecratio perficitur. Ad quam ipſos orationem dominicam deinde adieciſſe divi Gregorii ſententia eſt." *Voyage liturg. p. 289.* *P. II. pag. 594. 595.*

Referenda hic adhuc eſt, quæ in ordine miſſæ monaſterii *Urſinenſis* ſæc. circ. XV. habetur „Intentio ante conſecrationem, quæ tamen dicitur ſine ſtrepitu verborum. *Intendo nunc clementiſſime Deus conſecrare*

panem in corpus & vinum in ſanguinem Domini noſtri Iesu *Chriſti in memoriam paſſionis & mortis eius per verba eiusdem ſalvatoris noſtri* Iesu *Chriſti. Qui pridie &c.*"

Elevatio.

XXX. In Mſc. miſſali eiusdem monaſterii *Urſinenſis* ſæc. XIII. ad verba: *Qui pridie &c.* hanc inveni rubricam: „Hic cape hoſtiam cum duobus digitis ſiniſtræ manus, & quantum potes eleva dicens: *Accepit panem.* Hic adde digitos ſecundæ manus *in ſanctas ac venerabiles &c.* Hic depone hoſtiam dicens: *Hoc eſt enim corpus meum.* Hic leva calicem digitis ſiniſtræ manus in medio calicis firmiter circumplexis dicens: *Simili modo &c.* Hic appone manum dextram dicens *in ſanctas.*"

Prohibita eſt hæc elevatio ante conſecrationis verba in concilio *Monaſterienſi* an. 1279. *Colonienſi* an. 1261. & *Leodienſi* an. 1287. ſtatuta vero altera, quæ hodie ſervatur adorandi cauſa: „Sacerdos non elevet hoſtiam ad oſtendendum populo, niſi poſtquam dixerit hæc verba: *Hoc eſt enim Corpus meum*; & tunc pulſetur campana tribus ictibus ex una parte, ut fideles, qui audierint, ubicumque fuerint, adorent." Tres illi ictus haud dubie pertinent ad conſuetam hic apud nos trinam pectoris tunſionem, more antiquiſſimo apud Chriſtianos ad adorationem uſitatam. „Adorans autem (inquit S. Cyprianus) fratres dilectiſſimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum *Phariſæo* publicanus oraverit: non allevatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus inſolenter erectis, ſed pectus ſuum pulſans, & peccata intus incluſa conteſtans divinæ miſericordiæ implorat auxilium." De elevatione vero immediate poſt verba conſecrationis P. le Brun ſtatuta variorum ordinum ſæc. XII. & XIII. refert. Durandus in Rationali eam fieri dicit; „Ut populus non præveniens conſecrationem, ſed ex hoc cognoſcens illam factam eſſe, & Chriſtum ſuper altare veniſſe, reverenter ad terram proſternatur." In concilio *Moguntino* an. 1261. quod iisdem verbis repetitur in altero *Mogunt.* an. 1310. præſcribitur: „Sacerdos vero quilibet plebem ſuam doceat diligenter, ut, cum in celebratione miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, quilibet devote flectat genua ſua, vel ſaltem reverenter ſe inclinet." In concilio *Herbipol.* an. 1298. ſacerdotibus præcipitur: „Ut quando inceperint in Canone miſſæ: *Qui pridie &c.* tenentes hoſtiam non elevent eam, ſed ante pectus detineant, donec dixerint *Hoc eſt Corpus meum*, & tunc elevent eam decenter, ita ut poſſit videri." In ſynodo *Olmucenſi* an. 1342. cap. 17. ſic habetur: „Ei, qui in elevatione hoſtiæ ſalutaris humiliter & devote a tempore elevationis uſque poſt elevationem flexerit & inclinaverit X. dies de iniunctis pœnitentiis in Domino relaxamus: ut autem ad præmiſſa Chriſti

T. XIV. Conc. Ed. Ven. pag. 1120. c. 23.

De orat. Dom.

Explic. lit. art. 8.

T. III. Conc. Germ. p. 597.

T. XIV. Conc. Ed. Ven. pag. 1485.

T. IV. Conc. Germ. p. 25.

pag. 340.

fideles

fideles commodius ſe aptare poſſint & valeant, volumus & mandamus, ut cum ipſa S. Euchariſtia elevatur, iteratis vicibus ſonitus campanæ pulſetur.“ Concilium *Friſingenſe* an. 1440. hæc ſtatuit: „ Volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut nullus divina miſſarum ſolemnia ſine lumine celebrare præſumat, nec hoſtiam ante conſecrationem in altum quoquo modo elevare, ne adorando hoſtiam non conſecratam populum idololatriam committere contingat.“ *T. XIX. p. 11.*

Mabillonio elevatio poſt conſecrationem in *Gallia* poſt medium ſæculi XI. videtur fieri cœpta. Sæculo vero XIII. ineunte idem notat, Guilielmum *Pariſienſem*, & in *Germania* Guidonem Cardinalem ſtatuiſſe, ut ad elevationem campanula pulſaretur. Eodem ſæculo Gregorius X. in ceremoniali apud Mabillonium præſcribit: „ Ut in elevatione Corporis Chriſti proſternant ſe ad terram & adorent reverenter in facies cadendo: & ſic proſtrati ſtent uſque ad *Per omnia.*“. Dubitat laudatus Mabillonius, an in eccleſia *Romana* paullo ſerius ac in *Gallia*, hoc eſt poſt medium ſæculi XI. elevatio fuerit cœpta. Ex mſs. miſſalibus epocha hic certa ſtatui non poteſt, cum rarius rubricas adiectas habeant. *Comment. in ord. Rom. pag. XLIX.*

XXXI. In miſſis liturgiæ *Gallicanæ* recitari ſolet ſingularis ſemper oratio *Poſt myſterium*, *Poſt Secreta* e. g. *Hac facimus Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, commemorantes & celebrantes paſſionem unici Filii &c.* Et: *Credimus Domine adventum tuum: recolimus paſſionem tuam. Corpus tuum in peccatorum noſtrorum remiſſione confractum &c.* Etiam Canon *Romanus* commemorat Chriſti myſteria, verbis aliquando nonnihil diverſis: ut in ſacramentario *Gladbacenſi* notavit Martenius. *Unde et memores &c. Oratio pro ſacerdote.* *Voyage litter. a. 1724. p. 206.*

Quodque facere ſolent *Carthuſiani*, ut manus latius extendant, præſcriptum reperi in miſſali *Urſinenſi* ſæc. XIII. „Hic extende brachia quantumcunque potes dicens: *Supra quæ propitio &c.*“ Sequitur: „ Hic inclina te ad dextrum cornu altaris dicens: *Suplices te rogamus &c.* Hic oſculare in dextra parte altare coram corporali dicens: *Altaris participatione &c.*“ Meminit De-Moleon in *itinere liturgico* hic alicubi manus cancellatas præſcribi. In noſtro ſacramentario *ſan-Blaſiano*, quod edimus, quove nullum antiquius reperi, in quo rubricæ ad oram antiqua manu annis abhinc 900. appoſitæ ſunt, ad verba: *Suplices te rogamus*, præſcribitur: „ Hic inclinat ſe ante altare dicens: *Suplices te rogamus omnipotens Deus.*“ Et mox: „ Hic orat apud ſe quod voluerit, deinde dicit: *Iube hæc.*“ In miſſali ſæculi XII. monaſterii *Einſidlenſis*: „Hic orat apud ſe inclinatus, quæ velit. *Iube.*“ Idemque indulgetur in tr. „ qualiter quædam orationes & cruces faciendæ ſunt *in Te igitur.* in codice *Einſidlenſi*, *p. 200.*

uti etiam apud Hittorpium & Mabillonium in appendice de ordine *Romano* habetur.

Atque hinc eſt oratio illa ſeu *Memento* ſingulare pro ipſo ſacerdote, quod hic nonnunquam in antiquis miſſalibus invenitur: ſed tamen immediate ante *Memento* mortuorum, veluti in miſſali *ſan-Gallenſi* ſæculi XI. oratio ſequens legitur rubro diſtincta: *Memento mei quæſo Domine, & miſerere. Et licet hæc ſancta indigne tibi ſancte Pater omnipotens, ac æterne Deus meis indignis manibus offerantur ſacrificia, qui nec invocare ſanctum ac venerabile nomen tuum dignus ſum. Qui nec pro peccatis meis dignus ſum ut ſim vivens. Qui nil aliud dignus ſum, niſi ut vivus deſcendam in inferno inferiore. Sed quoniam Domine in honore, laude & memoria glorioſiſſimi dilecti Filii Domini noſtri* Ihesu *Chriſti offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ cum odore ſuavitatis accendantur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Memento etiam Domine &c.* Convenit hæc oratio fere cum illa, quam hic notat Martenius in *itinere litterario* utroque, atque editor S. Gregorii ex Congr. *S. Mauri* in utroque codice *Theodoricenſi*, ac *Gemeticenſi*, quam pariter Muratorius teſtatur manu licet recentiori additam eſſe in codice *Othobon*. In Mſc. ſacrament. *Sublacenſi* an. 1075. hæc habetur: *Memento mei Domine peccatoris, & miſerere. Hæc tibi, ſancte Pater, licet meis manibus offerantur indigne, qui nec invocare ſanctum ac venerabile nomen tuum dignus ſum: ſed quia per ſanctum atque ſanctificatum Filii tui nomen offero ſicut incenſum in conſpectu tuo, cum odore ſuavitatis aſcendant. Per eundem Dñm noſtrum.* Noſtra expreſſius refert cauſam, humilitatis ſcilicet, cur cum mortuis ſui commemorationem faciat ſacerdos. Aliam notat Pfaffius in quodam miſſali ſatis verboſam. *Omnipotens ſempiterne Deus dignare ſuſcipere hanc oblationem & hoc ſacrificium &c.* Plures eiusmodi leguntur in miſſa Illyrici.

P. II. pag. 18. an. 1724. p. 206.

Memento mortuorum, ubi de diptychis mortuorum in miſſa.

S. Chryſoſt. hom. 69. ad pop. Antiochen.

XXXII. Commemorationem mortuorum in ſacrificio ab apoſtolis ſancitam S. Chrysostomus dicit: „Neque enim (inquit) temere ab apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio.“ Iam memini in antiquiſſimo noſtro ſacramentario bis poni hanc commemorationem mortuorum hic poſt conſecrationem, & prius ſtatim poſt memoriam vivorum, quod quodammodo eſt ſecundum veterem ritum *Gallicanum*, iuxta quem tamen ante ipſum Canonem recitabantur nomina. Huc pertinet oratio ſecreta antiquiſſimo noſtro ſacramentario in miſſa votiva adhiberi ſolita: „Pro iis, qui ſibi in corpore vivi miſſam cantare rogant. *Auditis nominibus offerentium fratres clariſſim rogemus Deum*

Deum Patrem omnipotentem, ut oblationem famuli tui ill. inter Sanctorum tuorum dona conſtituas, per quorum ſuffragia pia devotione poſtulamus. Per." Apud BURCHARDUM lib. V. c. 51. refertur ex concilio *Aurelianenſi*: „Diaconus obliviſcens oblationem offerre donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pœnitentium, ſimiliter pœniteat." Supra retuli, quæ INNOCENTIUS I. contra hunc uſum ad epiſc. *Eugubinum* ſeu *Capuanum* ſcribit de non recitandis nominibus, antequam precem ſacerdos faciat. Ad mutatum iam hunc uſum ſpectat Canon concilii *Cabilon.* II. an. 813. *Viſum præterea nobis eſt, ut in omnibus miſſarum ſolemniis pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur.* Hunc uſum ſequitur ritus *Mozarabicus*, licet primum poſt conſecrationem in liturgiis *Græcis* fiat memoria tam vivorum quam defunctorum. „Poſtquam vero (ſunt verba CYRILLI *Hieroſolymitani*) perfectum eſt ſpirituale ſacrificium, incruentus cultus, ſuper illam propitiationis hoſtiam obſecramus Deum pro communi eccleſiarum pace: pro recta mundi compoſitione: pro imperatoribus; pro militibus & ſociis: pro iis, qui infirmitatibus laborant; pro his, qui afflictionibus premuntur, & univerſim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes, & hanc victimam offerimus. Poſtea recordamur eorum, qui obdormierunt; primum patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus & legationibus orationem noſtram ſuſcipiat. Deinde & pro defunctis ſanctis patribus & epiſcopis & omnibus generatim, qui inter nos vita functi ſunt, maxime hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum ſancta & perquam tremenda coram iacet victima." Modum huius commemorationis generalis in *Africa* S. AUGUSTINUS initio libri *de cura pro mortuis* declarat his verbis: „Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus, ſub generali commemoratione ſuſcepit eccleſia: ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicunque agnati, vel amici ab una eis exhibeantur pia matre communi." In miſſa ILLYRICI inter quatuor oblationes pro defunctis prima eſt pro defuncto, ſecunda pro defunctis *animabus famulorum famularumque*, tertia *pro omnibus in tui nominis confeſſione defunctis*, quarta generalis poſt conſecrationem pro vivis & defunctis: *ſuſcipe S. Trinitas hanc oblationem, quam pro ſeniore noſtro & cuncta congregatione* S. PETRI, *meisque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus amicis, meisque propinquis, & omnibus circumſtantibus, qui ſe mihi comendaverunt, & qui pro me orant, ſeu pro quibus debitor ſum exorare tam vivis quam defunctis tibi offero, quatenus te Domino*

Catech. V. myſtag. n. 8. & 9.

mino miſerante, eis & mihi remiſſio & indulgentia peccatorum concedatur, & vita æterna condonetur. Per. Ex ritu *Gallicano*, quem ſupra indicavimus, defunctorum ſimul cum vivis memoriam faciendi, in vicinam *Alemanniam*, ad quam pertinet miſſa Illyrici, hoc perveniſſe credendum eſt. In ſacramentario Grimoldi abbatis apud Pamelium T. II. liturg. p. 463. extat *miſſa pro ſalute vivorum vel in agenda mortuorum* cum hac oratione ſecreta ad modum collectæ *poſt nomina* ritu *Gallicano*: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris & has oblationes, quas pro incolumitate famulorum famularumque tuarum & pro animabus omnium fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum nomina ante ſanctum altare tuum ſcripta adeſſe videntur, nomini tuo conſecrandas deferimus, benignus adſume, ut ſacrificii præſentis oblatio ad refrigerium eorum, te miſerante, perveniant, Per.* Dubitat Vezzosius ad Canonem *Romanum* ſacramentarii *Gelaſiani*, ubi deeſt *Memento mortuorum*, an id aliquid ritus *Gallicani* indicet.

T. VI. opp. Thomaſ. p. 375.

Sic etiam in *ſan-Gallenſi* ſacramentario, quod alias concordat cum antiquiſſimo *Rhenaugienſi*, prorſus hic deeſt *memento mortuorum*, cum tamen nec etiam perinde ac in *Gelaſiano* ante conſecrationem habeatur. In noſtro antiquiori *ſan-Blaſiano* recentiori manu adſcriptum eſt pariter ac in coævo *Petersbuſano*, ubi eſt ad marginem. Idem reperi in miſſali ſæc. XI. vel XII. *ſan-Gallenſi*, & *Rhenaugienſi* eiusdem ætatis, ac in *Murbacenſi* ſæc. XI. lineis undecim abraſis, ubi forte habebantur ipſa nomina ſcripta. In aliis autem recenſitis, ubi vel non tantum ſpatium, vel etiam nullum relictum eſt, puto ex peculiaribus tabulis ſeu diptychis eſſe lecta nomina. Cuiusmodi ſpecimen diptychorum exhibet Mabillonius, quæ quondam in parthenone Aureliani epiſcopi *Arelatenſis* uſui erant, ex codice regularum, ubi ad finem regulæ Aureliani hæc leguntur: *Simulque precantes oramus etiam, Domine pro animabus famulorum tuorum Patrum atque inſtitutorum quondam noſtrorum,* Aureliani, Petri &c. In epiſtolis S. Bonifacii de transmiſſis defunctorum nominibus, inter miſſarum ſolemnia legendis fit mentio, ſocietate inter ſacerdotes & monachos peculiari inita. Quo referenda ſunt verba in Mſc. ſacramentario *Sublacenſi* an. 1075. *Memento etiam Domine famulorum fratrum noſtrorum ac ſacerdotum, quorum commemorationem agimus & eorum qui &c.* Martenius ex Mſc. ordine *Rom.* ad uſum eccleſiæ *Ambianenſis* accommodato an. 1120. longam transſcribit nominum ſeriem: *Memento etiam Domine & eorum nempe* Firmini *confeſſoris*, Honorati, Salvii &c. Refertque ibi, hoc ipſum in eadem eccleſia Cardinalem *Antonium* de Crequy epiſcopum *Ambianenſem* ordinaſſe an. 1574. in teſtamento, ut dia-

De lit. Gall. lib. I. c. 5. n. 12.

De rit. eccl. lib. I. c. 4. a. 8. n. 24.

conus

conus alta voce ſuggereret hæc verba ſacerdoti: *Memento Domine animarum ſervorum ſuorum Ioannis & Antonii de* Crequy. Idem in eccleſia *Pariſienſi* a Cardinale *de* Gondy; in *Rothomagenſi* vero a Card. Georgio de Ambasia fuit præceptum, teſte De Moleon in *itinere liturgico.* *pag.* 374.
Uſus diptychorum nec quidem in miſſis publicis medio ſaltem ævo fuit communis. In chr. Ioan. diaconi apud Muratorium de Athanasio epiſcopo *Neapol.* ſæc. IX. legitur: „Ordinavit etiam, ut in eccleſia ſalvatoris omni die miſſa cum Dipticis celebretur.“ Auctor de divinis officiis ſub nomine Alcuini, ſic de hoc uſu loquitur: „Poſt illa ergo verba, quibus dicitur *In ſomno pacis*, uſus fuit antiquorum, ſicut etiam uſque hodie *Romana* agit eccleſia, ut ſtatim recitarentur ex diptychis, id eſt, tabulis nomina defunctorum: atque ita poſt lectionem nominum, ſubiungerentur verba ſequentia *Ipſis*, videlicet, quorum nomina memorantur & *cæteris omnibus in Chriſto quieſcentibus &c.*“ Quæ eadem verba habentur in veteri expoſitione miſſæ Mſc., quam edimus ex codd. *Alemannicis*. *Micrologus*, prout alia vivorum, alia defunctorum erant diptycha, de utrisque loquitur: „Sciendum eſt autem, quod *Romana* auctoritas nomina vivorum fidelium internumerare permittit, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque: ſimiliter & defunctorum, ubi iterum dicitur: Memento etiam & aliorum nomina.*“ Quam vocem poſtremam idcirco ceſſante recitatione nominum abundare & quidem gravibus verbis dicit Radulphus *Tungrenſis.* „Item (inquit) in ſecundo *Memento*, ſic habet: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præceſſerunt cum ſigno &c.* ſed hoc antiquæ *Romanæ* traditionis exercitio, iam non ſine ſcandalo locum habere videtur.“ In miſſali *Francorum* idcirco parentheſi includitur apud Mabillonium: *Memento etiam Domine & eorum* (nomina) *qui nos præceſſerunt &c.* In antiquiſſimo miſſali *ſan-Gallenſi*, cuius ſcriptura ad *Merovingicum* characterem accedit, hic notatur: „Si fuerit, ut nomina defunctorum recitentur, dicit ſacerdos: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormierunt in ſomno pacis.* Et recitantur deinde. Poſtquam recitata fuerint, dicit ſacerdos: *Ipſis Domine &c.*“ Et in Mſc. miſſali *Murenſi* ſæc. XII. „ſi placet, ut nomina defunctorum recitet, faciat poſt iſtud: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præceſſerunt &c.*“ In miſſali *Einſidl.* eiusdem ſæc. præciſe habetur: *Memento* &c. „Hic nomina defunctorum recitanda ſunt. *Ipſis Domine &c.*“ Miſſale *Monacenſe* PP. *Theatinorum* quod an. 1060. ſcriptum eſt a Liemaro archiepiſcopo: *Memento etiam Domine & eorum nominum, qui nos &c.* In margine habetur *ſuper dypticos. Poſt lecta nomina.* Sic in tr. apud Hittorpium *pag.* 588.

T. I. P. II. Rer. Ital. p. 317.
De celebrat. miſſæ.
c. 13.
De Canon. obſerv. prop. 23.
De lit. Gal. p. 328.

&

pag. 566.] & Mabillonium in appendice ord. *Roman.* atque in Mſc. *Einſidlenſ.* Qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſunt, ſequens rubrica adponitur: „Hic orationes duæ dicuntur, una ſuper dypticos, altera poſt lectionem nominum. Et hoc cottidianis vel in agendis tantummodo diebus. *Memento etiam Domine & eorum nominum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Et recitantur deinde. Poſtquam recitata fuerint, dicat. *Ipſis Domine &c.*" Quæ eadem habentur in fragmento veteris ordinis *Romani De miſſa pontificali*, ut quarto loco ponitur apud Mabillonium. Congruunt hæc cum eo, quod antea notatum fuit ad memoriam vivorum in tr. qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſunt: *Hic nomina vivorum memorentur, ſi volueris, ſed non dominica die.*

T. II. Muſ. Ital. p. 61.

Adnotantur hic etiam in codice *Otboboniano* apud Muratorium T. II. p. 6. nomina. Separatim vero adhuc ſervantur tabulæ in monaſterio *Weſſofontano*, memoranturque in hiſtoria eius monaſterii ſæc. III. cap. 2. §. 4. ac poſtea inſeruntur inter Monumenta miſcellanea P. II. p. 45. &c. Sunt autem inſerta in libro evangeliorum pro celebratione miſſæ pretioſiſſime compacto. Diptycha hæc libris etiam ſcribi ſolita fuiſſe, luculentum habes teſtimonium inter monumenta noſtra liturgica de inſtitut. div. off. ex codice ann. 600. poſt illam Canonis orationem: *Suplices te rogamus . . . benedictione cœleſti & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* „Hic duæ orationes dicuntur, una ſuper diptytios. Dypticha græce, latine tabulæ: unde dicitur ſuper dypticios, id eſt, ſuper nomina in tabulis ſcripta, quæ nunc potius in libris conſcribuntur. Altera oratio poſt lectionem nominum, & hoc cottidianis, vel in agendis tantummodo diebus."

Et extra miſſam.

XXXIII. Necrologiorum originem hinc iam ſupra repetivimus, & in epiſtolis S. Bonifacii M. ſæpe de transmiſſis defunctorum nominibus fieri mentionem paullo ante notavimus. Sic fratrum defunctorum nomina ſe mittere Aldherio abbati ſcribit epiſt. 24. Eodem pertinet epiſt. 52. ſcripta nomine trium monaſteriorum, in qua etiam de nominibus ſanctimonialium, hunc in finem transmiſſis, habetur teſtimonium: „Nomina noſtrarum defunctarum ſororum ego Cneyburg memorialiter te habere o Witberte, presbyter fidelis, deprecor, & omnibus circumquaque amicis transmittere, quarum prima fuit Quongyth ſoror mea germana, & Ellu. Et epiſt. 74. Nomina presbyterorum veſtrorum diaconorumque, ac monachorum vel monacharum per monaſteria & eccleſias noſtræ diœceſis direximus." Alias epiſtolas eiusdem S. Martyris ad abbatem *Caſinenſem*, & alios in eandem rem iam indicavit Salig c. 20. *de communione per diptycha* ſeu necrologia, qualem addit confraternitatem ex Goldasto *Rer. Alem.* T. II. P. II. p. 180. inter monaſterium *S. Galli* & *Augienſe* in noſtra *Alemannia* an-

an. DCCC. conſtitutam : „ Ut quandocumque frater aliquis obierit, & loco, vel ſenioribus ibidem commorantibus adnuntiatum fuerit, eo die presbyteri tres miſſas & cæteri fratres pro eo pſalterium ac celebrationem vigiliæ decantent, communisque oblatio ab omnibus fiat. Item in die ſeptima triginta pſalmos, trigeſimo autem presbyteri omnes pro eo unam miſſam & cæteri L. pſalmos impleant. Cæterum vigilias pro defunctis in capite ſingulorum menſium ex more iugiter celebrent, in quibus vigiliis omnium ſimul defunctorum fratrum, qui in ipſorum conſortio adunati ſunt, commemoratio fiat: eoque die commemoretur & nomen nuper defuncti, fiatque oblatio omnium fratrum ſimul tam pro illo, quam & generaliter pro omnibus. Et poſt hæc unusquisque presbyter cantet unam miſſam, & cæteri fratres L. pſalmos. Præter hæc quoque ſemel in anno ſub die XVIII. Kal. *Decembris* commemoratio omnium ſimul fiat pro annuali ſingulorum videlicet defunctorum memoria, ipſoque die presbyteri ternas miſſas, & cæteri fratres pſalterium decantent, ac celebratio vigiliæ communisque oblatio ab omnibus fratribus fiat.“ Renovato deinde poſt centum quadraginta annos huic pacto ſequens adiecta eſt clauſula: „ Ut hæc ſaluberrima pactio nullo modo a poſteris noſtris ignorantia aut negligentia ulterius omittatur, placuit nobis, ut in libello regulæ noſtræ litteris commendetur, & frequentius in conventu congregationis recenſeatur.“ Recitata nempe fuerunt diptycha, ubi capitulum regulæ recitari mos etiamnum eſt. Damus hic eiusmodi commemorationes mortuorum ex ord. operis Dei monaſterii *S. Blaſii* ſæculi XIV. extra ſacrificium miſſæ poſt Primam factas iuxta conſuetudinem Ord. S. Benedicti. a) XXXIV.

a) Sprechent nach unſerem Orden. Gedenckent de Selen der jarzit huit vallet, oder eines tags dirre wuchen. Gedenkét unſerer Herren de aepten N. gedenkent unſerer herren der Prieſteren (N) gedenckent unſer ungelerten herren (N) gedenckend unſer herren, de frouwen, und der bruoder, wa ſi verſcheiden ſigen in der gehorſamp des gueten herren Sant Blesi, es ſi hie, ze *Beraw*, ze *Wiſlikon*, ze *Wittnaw*, ze *Birglon*, ze *Sitzenkilch*, ze *Guotnow*, ze *Schanouw* oder ze *Tottnouw*. gedenkent der bruoder im Spital (N) gedenkent gotzhus diener (N) gedenkent unſer Knechten (N.) -- gedenkent aller gotzhus lüten gedenkent aller die dem gotzhus mit trüwen und mit warheit bi ſigend geſtanden unz uff ir ende. gedenkent aller der die ditz gotzhus oder dehein unſer gotzhus, das dem gueten herren Sant Blesin undertennig iſt, geſtift oder geſtüret hant mit ir ligen oder varende guot, der vælle oder erbe uns worden ſy, der namẽ an unſeren buochen verſcriben ſtant, de Lichnam ruowe in unſren Kilchoffen, ald in keinem gewichten Kilch[illegible]. gedenkent aller gelœwbigen Selen, und bittend unſeren herren wa die Selen in nœiten oder in arbeiten ſigen, das ers daruſs geruoch erlœiſen, und in geb die ewigen frœid, unde die ewigen ruowe. Amen. darüber ſprech uirer jeglicher den pſalmen *de profundis* in der ſtillen Meeſse, der das nit kœnne, der ſprech ein *Pater noſter*.

Secunda Sanctorum commemoratio.

Expoſitio miſſæ lect. 59.

L. de Virginit. c. 25.

XXXIV. Sequitur iterata commemoratio Sanctorum. Id INNOCENTIO III. & ex hoc *Gabrieli* BIEL argumento eſt: „Quod Canon non ſimul ab uno eſt compoſitus, ſed ſucceſſivis temporibus particulatim a pluribus. Unde in hac commemoratione ſupplentur ex magna parte, qui de primitivæ eccleſiæ Sanctis deeſſe videbantur in commemoratione prima.“ Ac quidem S. ALDELMUS S. GREGORIO hoc videtur tribuere, de S. AGATHA differens & S. LUCIA. „Quas (inquit) præceptor & pædagogus noſter GREGORIUS in Canone quotidiano, quando miſſarum ſolemnia celebrantur, pariter copulaſſe cognoſcitur.“ In nonnullis Mſſ. *Alemannicis* miſſalibus, veluti antiquiſſimo *Solodorenſi* per rubricam, *Monacenſi* LIEMARI archiepiſcopi manuſcripto an. 1060. & *Rhenaugienſi*, ubi Canon manu recentiori ſæc. XIV. eſt ſuppletus, cæteris, qui hodie leguntur, Sanctis iungitur etiam S. EUGENIA, uti etiam in ſacramentario *Gallicano* apud MABILLONIUM. Ubi eadem laudatur in conteſtatione miſſæ pro vigilia Natalis Domini. In liturgia ſub S. PETRI nomine adduntur BARBARA, & IULIANA. In cod. *Tiliano* EUPHEMIA. In codice *Gemet.* ATHELDRYTHA, & GERTRUDIS, ut annotant editores S. GREGORII. MARTENIUS vero in *itinere litterario* an. 1724. p. 206. in Mſc. *Gladbacenſi* reperit nomina AGNÆ, CÆCILIÆ, BEATRICIS, EUGENIÆ, MARGARITHÆ, ANASTASIÆ, SOPHIÆ, FIDEI, SPEI & CHARITATIS. Iuxta eundem in vetuſtiſſimo cod. regio & *Turonenſi* aureis characteribus deſcripto inſeruntur nomina GENOVEFÆ & EUPHEMIÆ, in alio autem *Turonenſi* 800. ann. reperitur hæc oratio: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem largiri digneris cum tuis ſanctis apoſtolis & martyribus & confeſſoribus, nec non & virginibus cum* IOHANNE. . . . PETRO, DIONYSIO & MAURITIO, LAURENTIO, QUINTINO, MARTINO, HILARIO, GERMANO, BRICTIO, GREGORIO, PERPETUO, SULPITIO, FELICITATE, PERPETUA, AGATHA, LUCIA, AGNE, CECILIA, ANASTASIA, EUPHEMIA, SCHOLASTICA. In pontificali etiam eccleſiæ *Veſuntinenſis* antiquiſſimo poſt nomen S. PETRI additur: SEBASTIANO, VINCENTIO, BENIGNO, CHRISTOPHORO, NICOLAO, MARTINO, ANTIDIO. In ſæpe laudato ſacramentario *Sublacenſi* an. 1075. CÆCILIA, VICTORIA, ANATHOLIA, ANASTASIA, *& cum omnibus Sanctis tuis. Chriſt.* PFAFFIUS, cui noti eſſe potuerunt codices ex ſpoliis eccleſiarum *Wirtembergiæ* in *Alemannia*, perhibet de liturgiis poſteriori huic Sanctorum indici inſeri alicubi HILARIUM, MARTINUM, AUGUSTINUM, IULIANAM, EUPHEMIAM. *Romæ* in Mſc. monaſterii S. GREGORII ad clivum *Scauri* nomen S. BLASII additum vidiſſe me memini, in hoc ni fallor loco Canonis.

Muſ. Ital. T. I. P. II. p. 281.

T. III. p. 4.

De rit. eccl. lib. I. c. 8. n. 25.

XXXV.

Benedictio diverſarum rerum ad Per quem hæc omnia &c.

XXXV. In antiquiori noſtro ſacramentario *ſan-Blaſiano* in feſto S. Xysti habetur benedictio Uvæ ad ea verba Canonis. *Per quem hæc omnia Domine &c.* ut in ſacramentario S. Gregorii. De qua nihil in *ſan-Gallenſi* antiquiſſimo (ex quo ad ſacramentarium *Rhenaugienſe* feſtum S. Xysti ſupplevimus) uti nec in *Leonino*, ubi plures miſſæ de S. Xysto habentur, nec in *Gelaſiano*; ſed tamen in hoc ſacramentario ad feſtum Aſcenſionis Domini, quod huc referendum eſt, legitur: *Inde vero modicum ante expletum Canonem benedicas novas fruges.* Benedictio vero ſolum ad fabas pertinet. *Benedic, Domine, & has fruges novas fabæ.* In ſacramentario *Gallicano* habetur *Benedictio omnis creaturæ pomorum*, in cuius fine eadem Canonis *Romani* ponuntur verba. *Per quem hæc omnia &c.* Præcedit benedictio Agni paſchalis, cuius etiam meminit ordo *Romanus*, notatque De-Vert ad hunc Canonis locum, in antiquo miſſali *Vaticano* & ſacramentario *Corbeienſi* poni ad hunc locum; vehementer vero carpit *Walafridus* Strabo ſingulari capite: „Quid offerendum ſit in altari. (Citat vero Canonem apoſtolorum IV.) offerre non liceat aliquid ad altare, præter novas ſpicas & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt incenſum, tempore, quo ſancta celebratur oblatio.“ Citat porro, quæ apud Damasum ſeu Anastasium bibliothecarium in vita S. Eutychiani P. leguntur: *Hic conſtituit fruges fabæ & uvæ ſuper altario benedici.* Extat in eandem rem ſuppoſititia eiusdem epiſtola ad epiſcopos *Bæticæ* provinciæ conformiter ad laudatum canonem apoſtolorum quartum, ac quintum etiam, de reliquis fructibus omnibus non in altari offerendis. Huc pertinet canon concilii *Carthag.* III. „In ſacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum. Et infra: nec amplius in ſacrificiis offeratur, quam de uvis & frumentis.“ Ut apud Gratianum legitur, notantque correctores *Romani*, alios codices pro *in ſacrificiis* habere *in ſanctuario.* Mox ſubditur canon ſynodi VI. „Didicimus, quod in quibusdam eccleſiis ſacerdotes ſacrificio oblationis coniungant uvas, quæ ſecundum uſum in altari offeruntur, & ſic ſimul utraque populo diſpenſent. Præcipimus igitur, ut nullus ſacerdos hoc ulterius faciat, ſed in remiſſionem peccatorum populo oblationem ſolam diſtribuat, & uvas ſeorſim benedictas populus, qui petierit, accipiat, & fructuum gratias agat.“ Datori ſcilicet iuxta Græcum textum πρὸς τὴν τȣ̃ δωτῆρος εὐχαριςίαν.

T. I. Muſ. Ital. P. II. p. 390.

Explic. T. IV. p. 239.

De reb. eccl. c. 18.

Can. 44. De Conſecr. Diſt. II. c. 5.

Ad hunc Canonis locum collocatur etiam benedictio lactis & mellis, quæ antiquiſſimo eccleſiæ uſu baptizatis guſtanda erant: *Benedic, Domine, & has creaturas fontis, lactis, & mellis in Chriſto* Iesu *Domino noſtro. Per quem hæc omnia*: ut cum aliis pluribus videre eſt apud lauda-

Aaa 2 tum

T. IV. pag. 119. ſeqq. pag. 132. 199. 220. 433. tum De Vert, & apud De Moleon in *in itinere liturgico* de veteri ac præſenti uſu in diverſis *Galliæ* eccleſiis, *Turonenſi* S. Martini, S. Crucis & S. Aniani *Aurelianenſi*, & aliis eccleſiis, præſertim *Lotharingiæ* ex impreſſis etiam miſſalibus; quale eſt etiam *Conſtantienſe* ſub Ottone IV. epiſcopo circa finem ſæc. XV. impreſſum, ubi in feſto S. Agathæ ad hæc verba *Per quem hæc omnia:* benedictio præſcribitur, quam in noſtro S. Blasii exemplari in ſeparata ſchedula adhuc recentiori manu adſcriptam reperi huiuſcemodi: *Deus miſereatur noſtri &c. Gloria Patri. Kyrie eleiſon, Chriſte &c. Pater noſter. Et ne nos &c. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Qui &c.* ℟. *Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc. Ora pro nobis beata Agatha. Ut digni efficiamur promiſſionibus. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine* Iesu *Chriſte fili Dei, qui es panis vivus, qui de cœlo deſcendiſti, Bene†dic & Sancti†fica hos panes, fructus, cereos, aquam, vinum oleum, & ſchedas, & cetera hic poſita in honorem B. Agathæ virginis & martyris tuæ deportata: & concede per interceſſionem eiusdem virginis & martyris, ut ubicunque contra ignem comburentem miſſa, vel poſita fuerint, illico ignis evaneſcat, & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo &c. Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiri†tus per interceſſionem beatæ Agathæ virginis & martyris tuæ deſcendat ſuper hos panes, & ſuper omnes ex eis guſtantes. Amen.* Aſpergantur aqua benedicta. *Per eundem Dominum &c. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas.* In ſacerdotali *Romano* ſæpius *Venetiis* ſæc. XVI. recuſo auct. P. Castellano plures habentur benedictiones faciendæ hic ſub Canone. Panis in feſto S. Agathæ contra ignis periculum. In feſto S. Stephani pabuli pro brutis. S. Ioannis vini, S. Blasii panis, vini, fructuum, ſeminum. Converſus ad populum ſacerdos dictas peragebat benedictiones.

Elevatio minor. XXXVI. Sequitur *elevatio minor* dici ſolita ab eo tempore, quo maior mox poſt verba conſecrationis fieri conſuevit. „Sacerdos vero (ut habet breviarium eccleſiaſtici ordinis) cum venerit, ut dicat *per ipſum & cum ipſo*, elevat oblationes proprias de altare & mittit in ore calicis, tenente ipſo calice a diacono, ſublevans eum modice uſque dum dixerit *Per omnia ſæcula ſæculorum Amen.* Sacerdotes vero & diaconi uſque in iſtum locum ſemper manent inclinati, præter tantum diaconus, qui ipſum calicem ſublevatur.“ Amalarius lib. III. c. 26. eccleſ. offic. & in ecloga calicem tunc involvi ſudario dicit, iuxta ord. *Rom.* IV. apud Mabillonium, ſeu tr. „Qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſunt,“ ubi ita præſcribitur: „Hic archidiaconus erigens ſe venit, &

& involvens calicem mappula levat illum contra domnum papam. *Per quem hæc omnia* &c. Hic levat domnus papa oblationes duas uſque ad oram calicis, & tangens eum de oblationibus tenente illum archidiacono *Per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*" Solet hic etiam fieri ſonus cymbali præſertim in *Gallia*, ubi incenſum adoleri, & genuflecti alicubi teſtantur De Vert, ac De Moleon. Hic etiam perhibet *Viennæ* ac *Lugduni* elevationem hanc fieri cum reverentia ſub ipſa oratione dominica ad verba *ſicut in cælo & in terra.* apud *Lingonas* vero ad verba *Panem noſtrum.* *Explic. T. III. p. 305. 306. T. IV. p. 225. ſeq. Voy. liturg. p. 11. 58.*

XXXVII. Qui ſacramentarium ſub Gelasii nomine a V. Thomasio editum ei pontifici abiudicarunt Basnagius, Pfaffius, & Buddeus, hoc etiam uſi ſunt argumento, quod oratio dominica in eo poſt Canonem habeatur (uti etiam in antiquiſſimo noſtro, quod cum *Gelaſiano* multum convenit) cum id S. Gregorius inſtituiſſe colligi videatur ex eius epiſtola ad Ioannem *Syracuſanum*, ubi dicit: „Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem (orationem) quam ſalvator noſter compoſuit, ſuper eius Corpus & Sanguinem taceremus." Oratio dominica.

Ex quibus verbis colligitur, aliquem neglectum hic fuiſſe, qualis etiam notatur in concilio *Tolet.* IV. in *Hiſpania*: „Nonnulli ſacerdotum in *Hiſpaniis* reperiuntur, qui dominicam orationem, quam Salvator noſter docuit & præcepit, non quotidie, ſed tantum die dominica dicant." Patet quidem ex ſequentibus hæc ad alia etiam officia in publico & privato referri. Ioannes diaconus in libello de eccleſia *Lateranenſi* c. 7. „De oratione dominica, quæ in omni officio frequentatur, Hæc (inquit) reſervans apoſtolicam inſtitutionem non niſi dominica in officiis utitur oratione." Quod Durandus ſumpſit, ac ſi in miſſa & in omnibus horis loco orationis ſeu Collectæ oratio dominica dicatur. Hincque *Dom.* Georgius ſæc. XIII. hunc ſingularem uſum fuiſſe eccleſiæ *Lateranenſis* intulit, etſi de miſſa verba ibi non faciat Ioannes diaconus, ubi ſuis locis in omnibus ſacramentariis etiam *Lateranenſi* habentur orationes præter dominicam. De hac id ſingulare habetur in epiſtola canonica Leonis VII. ad *Gallos* & *Germanos* intra annum 936. & 939. quibus in cathedra *Romana* ſedit, ſcripta: „Poſt hæc conſuluit: Si dominica oratio in benedictione ciborum debeat uſitari. Quod fieri non oportet, quia in ſanctificatione Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESU Chriſti, hanc ſolummodo orationem ſancti apoſtoli decantabant." Et S. Gregorius in laudata epiſtola ad Ioannem *Syracuſanum*: „Orationem (inquit) dominicam mox poſt pre- *Can. 9. Muſ. Ital. T. II. p. 566. Ration. lib. IV. c. 17. n. 27. De lit. Rom. Pont. lib. V. n. 4.*

cem dicimus, quia mos apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent.“ Hoc auctores medii ævi de rebus liturgicis paſſim repetunt, ac nonnunquam in libris liturgicis oratione dominica officium conſecrationis perfici dicitur, veluti in ritu antiquo celebrandæ miſſæ apud Menardum. In concilio *Colonienſi* an. 1146. damnantur hæretici „aperte confeſſi, quod in menſa ſua quotidie, cum manducant, ad formam Chriſti & apoſtolorum cibum ſuum & potum in Corpus Chriſti & Sanguinem per dominicam orationem conſecrant.“ Ad eccleſiæ catholicæ, qui hodieque obtinet, uſum ſpectat, quod S. Augustinus ad S. Paulinum ſcribit: „Quam totam petitionem omnis fere eccleſia dominica oratione concludit.“ Idem homilia 58. in Matthæum: „In eccleſia (inquit) ad altare Dei quotidie dicitur dominica oratio, & audiunt illam fideles.“ Atque ex alio eiusdem Doctoris ſermone colligimus pectus tundi ſolitum ad illa verba *Dimitte nobis &c.* „Nam (inquit) ſi non habemus peccata, & tundentes pectora dicimus, *dimitte nobis peccata noſtra*, ex hoc ipſo certe & graviter nullo dubitante peccamus, cum intra Sacramenta mentimur.“ Sacramenta, uti etiam alibi, conſecrationem Corporis & Sanguinis Domini ſeu ſacrificium vocat. Ita etiam aperte S. Hieronymus teſtatur: „Sic docuit Chriſtus apoſtolos ſuos, ut quotidie in Corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui: *Pater noſter qui es in cœlis.*“ Ubi indigitat præfationem illam, quæ orationi dominicæ præmitti ſolet.

T. III. Opp. S. Greg. p. 256.
T. III. Concil. Germ. p. 354.
Epiſt. 149.
Lib. III. cont. Pelag.

Ritu vero *Gallicano* & *Mozarabico* peculiaris ſolet præmitti *Collecta* ſeu oratio *ante orationem dominicam.* Atque in ſacramentario *Gallicano* poſt *Romanum* Canonem hæc eſt formula: „Divino magiſterio edocti, & divina inſtitutione audemus dicere *Pater.*“ Haud abſimilis *Ambroſianæ* eſt altera: „Divino magiſterio edocti, & ſalutaribus monitis inſtituti audemus dicere *Pater* &c.“ Ritu *Mozarabico* populus ad ſingulas petitiones reſpondet *Amen*, præterquam ad illam *Panem noſtrum* &c. ad quam reſpondetur *Quia tu es Deus.* Diſcrimen hoc eccleſiæ *Romanæ* a *Græca* indicat S. Gregorius in laudata epiſtola ad Ioannem *Syracuſanum*: „Dominica oratio apud *Græcos* ab omni populo dicitur, apud nos vero a ſolo ſacerdote.“ Ritu etiam *Gallicano* non a ſolo ſacerdote, ſed & ab adſtante populo prolatam fuiſſe orationem dominicam in miſſarum ſolemniis, colligitur ex Gregorio *Turonenſi* lib. II. de miraculis S. Martini, ut notavit Vezzosius ad miſſalis *Gothici* hanc Præfationem *ante orationem dominicam* pag. 232. Tom. VI. opp. V. Thomasii: „His precibus te Deus Pater omnipotens deprecamur, quibus nos Dominus noſter Iesus Chriſtus Filius tuus orare præcepit dicens: *Pater noſter &c.*“

Nota

Nota vero, quod in Halitgarii epiſcopi *Cameracenſis* pœnitentiali *Romano* cavetur: „Si titubaverit ſacerdos ſuper orationem dominicam, quæ dicitur *periculoſa*, una vice L. pſalmos, ſecunda vice centum plagis." Quod etiam in decreto Burchardi legitur. Adnotat vero Menardus: „Appellatur hic oratio dominica *periculoſa*, quia olim illam in miſſa cum tanta reverentia & cautela recitabant ſacerdotes, ut grande piaculum ſe admiſiſſe crederent, ſi inter recitandum vel leviter titubaſſent." *Lib. VI. c. 10.*

Nuſpiam vero reperi in antiquis monumentis liturgicis, quod in Ioannis XXII. decretali præſcribitur: „Et quia de miſſarum ſolemniis ad Deum conſueverunt preces effundi devotius, de eorundem fratrum conſilio ordinamus, quod in ſingulis miſſarum celebrationibus poſt dictum a celebrante *Pater noſter*, reſponſioneque ſecuta, antequam in miſſa ulterius procedatur illud canticum *Lætatus ſum in iis, quæ dicta ſunt mihi*, totum cum *Gloria Patri* a religioſis clericis & aliis litteratis præſentibus cum devotione dicatur. Et primo dicantur *Kyrie &c.* Et poſt iſti verſiculi ſubſequuntur: *Domine ſalvos fac reges &c.* Collecta, *Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte &c. Hoſtium noſtrorum &c.* Benedicat celebrans conſequenter." *Extravag. Comm. lib. III. tit. 11.*

XXXVIII. In liturgia *Gallicana*, uti ante orationem dominicam, ita poſtea notatur peculiaris oratio, quæ reſpondet illi, quæ etiam ritu *Mozarabico* vocatur *Embolis*, ſeu *Emboliſmus* orationis dominicæ *Liberati a malo* &c. ab Amalario vocata *concluſio orationis dominicæ*, ſoletque ritu *Ambroſiano*, uti etiam *Lugduni* apud S. Ioannem; teſte De-Moleon, eodem tenore cum oratione dominica cani. Eadem habetur in liturgia *Romana* adiuncto nomine S. Ambrosii. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Solodorenſi* poſt verba *atque* Andrea, in contextu ſequitur *& ſanctis martyribus tuis* Stephano, Laurentio, Cyriaco, Nazario, Ioanne & Paulo. In Miſſali *Murenſis* monaſterii ſæc. XII. additur.... Maria *& ſancto* Michaele *archangelo & omni virtute cœleſti & beatis apoſtolis* &c. In miſſali *Rhenaugienſi* circa finem ſæc. XV. ſcripto legitur: *Dei genitrice* Maria *& electo* Michaele *archangelo tuo & beatis apoſtolis* &c. Alias varia Sanctorum nomina ſubdi ſolent in antiquioribus monumentis S. Andreæ, uti in codice Christinæ reginæ *Suecorum*: *Nec non & beato* Dionysio *martyre tuo atque pontifice cum ſociis ſuis* Rustico & Eleutherio *& beato* Clodoaldo. In cod. *Tiliano*: *Nec non beatis martyribus tuis* Gervasio & Protasio. In S. Eligii: *Nec non & beato* Stephano *protomartyre tuo.* In ſecundo Theodor. ut notant editores S. Gregorii. *Nec non & ſanctis martyribus tuis* Stephano, Quin-

Emboliſmus orationis dominicæ. *Lib. I. de off. c. 34.* *Voy. liturg. p. 58.* *T. III. p. 291.*

TINO,

TINO, *atque* NICASIO, *ſed & beatis confeſſoribus tuis* GREGORIO, MEDARDO *atque* ELIGIO. In S. SYMPHORIANI *Metenſis* monaſterii ſacrament. apud MARTENIUM: *Atque* IOHANNE *& ſanctis martyribus tuis* STEPHANO, LAURENTIO, DIONYSIO, NAZARIO, CYRIACO; *ſed & venerabilibus confeſſoribus tuis* EUCHARIO, VALERIO, MATERNO, MARTINO, MAXIMINO, PAULINO *atque* BENEDICTO. Et in *Gladbacenſi* apud eundem in *itinere litterario* an. 1724. STEPHANO, BONIFACIO, *ſanctis confeſſoribus* GREGORIO, NICOLAO, BENEDICTO. In cod. *Colonienſi* apud PAMELIUM: *Nec non & beato* CYRIACO *martyre tuo*, *& ſancto* MARTINO *confeſſore tuo.* Teſtaturque idem De MOLEON in aliis aliorum aliquot nomina reperiri.

Voy. litter. P.II. p.114.

pag. 206. T. II. p. 283.

Quod iuxta ordinem *Rom.* hoc ſolo loco licere aſſerit *Micrologus* c. 23. atque etiam RADULPHUS *Tungrenſis.* Nempe ut habetur ord. IV. apud MABILLONIUM: „*Libera nos quæſumus Domine* uſque: PETRO, PAULO atque ANDREA. Hic nominatim quales voluerit Sanctos, vel quantos commemorat. Deinde infert *cum omnibus Sanctis.*“ Prout etiam habetur in appendice apud eundem, apud MENARDUM, & apud HITTORPIUM: „Qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſunt.“ In noſtro vero exemplari hæc leguntur: „*Et ſancto* STEPHANO *martyre tuo & beatis confeſſoribus tuis* HILARIO, MARTINO, *atque* BENEDICTO. Hic nominat, quales voluerit Sanctos vel quantos commemorat.“ Similem rubricam in miſſali *Murbacenſi* ſæc. XIII. reperi. Solos tamen apoſtolos PETRUM & PAULUM & ANDREAM notant hic RHABANUS *Maurus* & REMIGIUS *Antiſiodorenſis*, qui ſubdit: „In qua poſtulatione non cæterorum interceſſio Sanctorum prætermittitur, ſed in iſtorum commemoratione ſuffragia expetuntur &c.“ Cur hi ſoli nominentur varias rationes affert *Gabriel* BIEL lect. 80. expoſ. Can. miſſæ.

De Canon. obſerv. prop. 23.

pag. 62.

De ord. Sacram. c. 19.

De celebr. miſſa. T. XIV. Bibl. PP. p. 960.

Benedictio epiſcopalis.

XXXIX. De benedictionibus epiſcopalibus egimus ſupra, de noſtro antiquiori ſacramentario *ſan-Blaſiano* tractantes, in quo, uti in aliis, ad calcem habentur. Benedictionale eiusmodi edidit LAMBECIUS ex codice *Vindobonenſi*, qui creditur fuiſſe *Augienſis* monaſterii: inde MENARDUS, uti etiam ex codice pervetuſto S. THEODERICI prope *Remos*, ſupplementa edidit ad eas benedictiones, quæ in codice S. ELIGII habentur. Notat paſſim earum uſum De MOLEON in *itinere liturgico* hodieque in *Gallia.* MARTENIUS in *itinere literario* ex ſacramentario *Auguſtodunenſi* etiam imaginem ſacerdotis benedicentis, atque perſonarum ad benedictionem ſeſe inclinantium affert cum hac inſcriptione: *Hic benedicit popolum.* In altero itinere an. 1724. refert, *Leodii* in feſto S. LAMBERTI titulari ſe præ-

T. II. Bibl. Cæſar. c. 5. p. 2.

P.II.p.154.

pag. 192.

præſentem miſſæ pontificali benedictionem hoc loco ante *Agnus Dei* percepiſſe. Videtur hic ritus ex dimiſſione non communicantium relictus.

Forte ZACHARIAS P. in epiſtola ad S. BONIFACIUM magis incompoſitum contextum, quam ipſum benedictionis ritum vituperat. „Pro benedictionibus autem, quas faciunt *Galli* (inquit) ut noſti frater, multis vitiis variantur. Nam non ex apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per vanam gloriam adhibentes ſibi damnationem. . . . Regulam itaque catholicæ traditionis, quam a ſancta *Romana* eccleſia, cui Deo auctore deſervio, accepiſti, omnibus prædica.“ Hinc putat MABILLONIUS verba in ſecundum ordinem *Romanum* intruſa eſſe, quæ pertinent ad hanc benedictionem hoc loco. Quæ tamen etiam in ord. VI. notatur his verbis: „Statimque epiſcopo dicente *Per omnia ſæcula ſæculorum*, accipiat benedictonalem librum, & converſus ad populum dicat: *Humiliate vos ad benedictionem*, & clero reſpondente *Deo gratias*, porrigat epiſcopo librum. Expleta autem benedictione veniens presbyter accipiat pacem ab epiſcopo, eandem cæteris oblaturus.“ Nempe accommodari ſolebant ordines eiusmodi pro variis eccleſiarum ritibus.

Comment. in ord. Rom. p. LII. pag. 75.

In miſſa RATOLDI apud MENARDUM idem notatur ritus: „Poſt orationem dominicam dum finierit *Libera nos a malo*; annuente epiſcopo dicat diaconus: *Humiliate vos ad benedictionem.* Et populus reſpondet *Deo gratias.* Et epiſcopus dicat hanc benedictionem: *Benedicat* &c.“ In pontificali *Moguntino* apud MARTENIUM eadem præſcribuntur cum reliquo ritu: „Diaconus converſus ad populum dicat: *Humiliate vos ad benedictionem.* Clerus *Deo gratias.* Hic epiſcopus reſumtis mitra, annulo & baculo, & converſus ad populum dicat benedictionem pontificalem diei competentem.“

T. I. de rit. eccl. p. 566.

Ritu *Mozarabico*, ubi idem præſcribitur, epiſcopus ſolum ſe convertit ad populum. Arguuntur autem canone 18. concilii *Toletani* IV. qui „poſt dictam orationem dominicam ſtatim communicant, & poſtea benedictionem in populo dant.“ Ac ſtatuitur: „Ut poſt orationem dominicam & coniunctionem panis & calicis benedictio in populum ſequatur.“ In miſſali *Gothico* legitur eiusmodi *Benedictio populi* in prima ſtatim miſſa, ſeu parte miſſæ vigiliæ Natalis Domini, conſtat autem orationibus quinque: T. VI. Opp. C. THOMASII pag. 233. In veteri *Gallicano* eadem eodem loco notatur benedictio, itemque in expoſitione antiquæ liturgiæ *Gallicanæ* apud MARTENIUM, qui in admonitione prævia obſervat diſcrimen benedictionis epiſcopi ac ſacerdotis ſimplicis, quod illa tribus orationibus, hæc brevi hac oratione eſſet completa: *Pax, fides, & charitas, & communicatio Corporis & Sanguinis Domini ſit ſemper vobiscum.* Sunt autem hæc

T. V. Coll. ampl. p. 96.

S. Germani, qui auctor eiusdem expoſitionis creditur, verba: „Sacerdotibus mandavit Dominus benedicere populum; ſed tamen propter ſervandum honorem pontificis, ſacri conſtituerunt canones, ut longiorem benedictionem epiſcopus proferret, breviorem presbyter funderet. Dicit: *Pax, fides* &c." Quæ reſpondent verbis ritu *Romano* pronunciandis: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Facit huc canon concilii *Agathenſis* an. 506. quadrageſimus quartus: „Benedictionem ſuper plebem in eccleſia fundere, aut pœnitentem in eccleſia benedicere presbytero penitus non licebit." Ab aliis eſt obſervatum ad orationem ſuper populum fundendam pertinere ſequentem eiusdem concilii canonem quadrageſimum ſeptimum: „Miſſas die dominico ſecularibus totas tenere ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat." Id explicatius legitur in concilio *Aurelianenſi I.* a. 611. celebrato, c. 26. „Populus non ante diſcedat, quam miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat ſacerdotis." *Aurelianenſe* III. vero ſtatuit c. 29. „De miſſis nullus laicorum ante diſcedat, quam dominica dicatur oratio; & ſi epiſcopus fuerit præſens, eius benedictio exſpectetur." Quod quidem Walafridus de ultima oratione interpretatur. At iuxta veterem ritum ad hanc benedictionem referri poteſt ante communionem, dum, qui non communicabant, nec intereſſe communioni ſolebant: eodemque, iuxta expoſitionem miſſæ *Gallicanæ* modo laudatam, ſpectat canon *Agathenſis*: „Ut ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat." Quod declarat Cæsarius *Arelatenſis*: „Ideo qui vult miſſas ad integrum cum lucro ſuæ animæ celebrare, uſquequo oratio dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde ſe debet in eccleſia continere." Et poſtea: „Quoties diaconus clamaverit, ut vos ad benedictionem inclinare debeatis, & corpora & capita fideliter inclinetis." Huc etiam referri debent, quæ paullo ante ex decretali Ioannis XXII. retulimus de pſalmo *Lætatus*, ac precibus mox poſt orationem dominicam dicendis, ſubditurque: *Benedicat celebrans conſequenter*: quod *Avenione* tunc degentem iuxta ritum *Gallicanum* ſtatuiſſe, dici poteſt.

T. IV. Conc. ed. Labb. p. 1390.
Vid. T. VI. opp. Thomaſ. p. 177. n. 1.
T. IV. Conc. ed. Labb. 1408.
Can. 47.
Serm. V. de div. myſt.

L. I. de off. eccl. c. 34. De eodem ritu loquitur Amalarius: „Simulque hoc notandum, quod orationem illam, quam epiſcopi ſive advocati ſolent facere ſuper populum cum ſigno ſanctæ Crucis, ille ſolebat facere eam, poſtquam comminuebat Corpus Domini ad diſtribuendum: quam orationem vocat poſtulationes." Sermo illi eſt de S. Augustino in laudata ad S. Paulinum epiſtola. Non video autem, unde benedictionem tardius ritu *Africano* factam fuiſſe colligat Amalarius. In miſſa quidem ex codice *Tiliano* apud Menardum commixtionis fit mentio primum, ac deinde ſubditur:

tur: „Poſtquam autem benedictio epiſcopalis expleta eſt, accipiens partem, quam antea affregit, tenensque ſuper calicem frangat, & dicat *ſancti Sanguinis commixtio* &c.“ Sed hic fractio ac commixtio ſacerdotis ſimplicis ac epiſcopi eſt diſtinguenda. Unde in miſſa Illyrici ita præſcribitur: „Non mittat epiſcopus in calicem partem oblatæ, ut presbyteri ſolent, ſed exſpectet, donec finita benedictione epiſcopus communicare debeat.“ Sic etiam explicantur, quæ iisdem verbis, eodemque ordine ac in miſſa *Tiliana*, in pontificali *Salisburgenſi* præſcribuntur apud Martenium T. I. de rit. eccl. p. 559.

Gabriel Biel adhuc agit de hac benedictione ſolemni epiſcopis propria, ac reliquis ſacerdotibus interdicta: „Hanc (inquit) eſſe puto, quam epiſcopus præmiſſa exhortatione diaconi, *Humiliate vos ad benedictionem*, poſt ſacramenti fractionem ex pontificali legit, cui ſubiungit, *Et pax eius ſit ſemper vobiſcum.* Sequitur *Agnus Dei.*“ *Lect.* 89.

XL. Fractio hoſtiæ ritu *Ambroſiano*, *Mozarabico*, & *Gallicano* etiam, veluti patet in expoſitione miſſæ apud Martenium, orationem dominicam antecedebat. Idem uſus ante S. Gregorium obtinuiſſe creditur in eccleſia *Romana*. Aliter tamen habent ordines *Romani*, ac antiquiſſima noſtra monumenta, breviarium, capitulare, & inſtructio ordinis eccleſiaſtici. Ex quibus omnibus duplex fractio, ac immixtio particulæ in calicem colligitur. Quæ omnia ex Inſtructione noſtra ordinis eccleſiaſtici referimus: „Inde ponet eam (patenam) diaconus ſuper altare ad confrangendum, pontifex duas oblationes proprias, quas diximus, ponet in ipſa patena & frangit modicum de ipſa oblatione & mittit in calice, & dicit. *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, reſpondentibus omnibus, *Et cum ſpiritu tuo.* Facit populus pacem. Hoc facto domnus apoſtolicus redit ad ſedem ſuam, diaconus vero tollit patenam de altari, & dat ſubdiaconibus duobus, & ponent eam ante pontificem & tunc diaconi petunt benedictionem a pontifice, & confrangunt in præſentia ipſius, archidiaconus vero reliquas oblationes de altare tradit acolythis in ſacculis lineis, quæ appenduntur ad cervices eorum, ipſi autem acolythi tenent ad confrangendum ante epiſcopos vel presbyteros, ſeu & ſubdiacones, & confrangant ſeparate unusquisque in ordine, cantantibus omnibus ſemper *Agnus Dei qui tollis peccata mundi.* Tunc archidiaconus levat calicem de altare, & tradit eum ſubdiacono, ille vero portat ipſum ante domnum apoſtolicum, & ita pontifex accipit particulam corporis Domini in manu ſua, communicat ex eo, & quod remanet, ponit in calice.“ Quibus verbis explicantur, quæ paul-

Fractio hoſtiæ.
T. V. Theſ. novi Anecd. p. 96.

lo ante ex miſſa ILLYRICI retulimus, habenturque iisdem verbis in ordine ann. circ. 700. quem ex codice monaſterii S. GREGORII in valle *Gregoriana* diœceſis *Baſileenſis* vulgavit MARTENIUS in ampliore edit. in fol. „Non mittat in calicem partem oblationis, ut presbyteri ſolent. Sed exſpectabit, donec communicare debeat, & accipiens partem, quam antea fregerat, tenensque ſupra calicem frangat & dicat: *ſancti ſanguinis commixtio* &c.

De ritibus eccl. lib. I. c. 4. a. 12. p. 600.

Nota hic immixtionem ſecunda tantum vice præſcribi, cum in noſtra inſtructione bis facienda deſignetur. Utrumque auctoritatem ex ordinibus *Romanis* habet, atque ita conciliatur, ut prima immixtio non ex fracta hoſtia, ſed ex præſanctificata facta fuerit. Quam enim primum fregerat partem pontifex, in altari relinquebat, ac iterum fractam particulam in calicem mittebat: quod ordo *Salisburgenſis* apud MARTENIUM poſt benedictionem epiſcopalem ponit: „Poſtquam autem benedictio epiſcopalis expleta eſt, accipiens partem, quam antea affregit, tenensque ſuper calicem frangat & dicat: *ſancti Sanguinis commixtio &c.*" AMALARIUS hic aliter idem diſcrimen notat: „Immiſſionem panis in vinum cerno apud quosdam varie actitari, ita ut aliqui primo mittant de ſancta in calicem & poſtea dicant: *Pax Domini*: econtra aliqui reſervent immiſſionem, uſque dum pax celebrata ſit & fractio panis." RHABANUS *Maurus* in add. libri I. de inſtitutione Cler. apud HITTORPIUM: „Immiſſio (inquit) panis in vinum varie apud quosdam habetur & agitur. *Itali* primo mittunt de ſancto pane in calicem & poſtea dicunt *Pax Domini*, aliqui vero reſervant immiſſionem, uſque dum pax celebrata ſit, & fractio panis. *Romani* vero, cum dicunt *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* mittunt corpus Domini in calicem oblatæ particulæ." Prius illud attinet immiſſionem illam particulæ præſanctificatæ, de qua peculiare poſtea habet caput AMALARIUS. *De parte oblatæ, quæ remanet in altari.* Unde ipſi controverſia illa mota eſt de corpore Chriſti tripartito. Cuius ſententia breviter ita apud GRATIANUM exprimitur: „Triforme eſt Corpus Domini. Pars oblatæ in calicem miſſa corpus Chriſti, quod iam reſurrexit, monſtrat. Pars comeſta ambulans adhuc ſuper terram. Pars in altari uſque ad finem miſſæ remanens, corpus iacens in ſepulchro." Idem fere habet citato mox loco RHABANUS *Maurus.*

T. I. de rit. eccl. p. 559. — *Lib. III. c. 31.* — *Cap. 35.* — *Part III. diſt. II. c. 22.*

Nota vero cauſam huius rei in ord. *Rom.* I. „Quia obſervant, ut dum miſſarum ſolemnia peraguntur, altare ſine ſacrificio non ſit." IOAN. *Abrincenſis* aliam reddit rationem: „Tertiam viaticum, ſi opus fuerit, in patina uſque ad finem miſſæ reſervet." Hanc eandem habet *Micrologus*, miſſa vetus apud MENARDUM, & vetus ordinar. *Rothomagenſe* apud De MOLEON in *itinere liturgico* p. 290.

De offic. eccleſ. p. 23. — *T. III. opp. S. Gregor. c. 17. p. 256.*

XLI.

XLI. Ordines *Romani*, etiam primus antiquiſſimus, aliique noſtri ordines operis Dei ſub confractione *Agnus Dei* cantum præſcribunt. Iuxta mox explicatum ritum commixtio haud raro demum poſt *Agnus Dei* præſcribitur, veluti in ſacramentario *Sublacenſi* an. 1075. „Dicto ter *Agnus Dei*, dicit: *Fiat commixtio & conſecratio Corporis &c*" ac etiam in *Germanico Einſidlenſi*, ex quo Canonem cum aliquot miſſis ſpeciminis loco inter monumenta theotiſca damus. *Agnus Dei.*

Agnus Dei deeſt in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis *Rhenaugienſi* & duobus *ſan-Gallenſibus*, uti nec in *Gelaſiano* reperitur. Ritu *Ambroſiano* dicitur tantum in miſſis defunctorum. In antiquioribus ſacramentariis ſemel tantum ſcribitur *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, *miſerere nobis.* Quodſi vero ter repetitum fuit, ſingulis ſaltem vicibus *miſerere nobis* dicebatur. Et forte ritu *Romano* tamdiu numero indeterminato repetebatur, donec confractio expleta fuerat. Unde nec hodie eccleſia *Lateranenſis* aliud, quam *miſerere nobis*, canit. „Secundum antiquam conſuetudinem (inquit Durandus) ſcholæ cantorum in eccleſia *Romana*, quam adhuc ipſa ſchola obſervat, nullatenus variatur, ſed tribus vicibus uniformiter dicitur *miſerere nobis*. . . . Eccleſia etiam *Lateranenſis* nunquam dicit *dona nobis pacem*, ſed nec ſchola cantorum." Sed poſtea etiam *Romæ*, præterquam in eccleſia *Lateranenſi*, immutata eſt ea conſuetudo. Onuphrius *Panvinus* ſcriptor ſæc. XVI. hunc uſum peculiarem eccleſiæ *Lateranenſis* eſſe dicit: „Quum miſſæ in ea celebrantur (ait de *Baſil. Lateran.* lib. I.) non dicitur tertia vice, qua repetitur *Agnus Dei*, *qui tollis peccata mundi*, *Dona nobis pacem*, ſed tantum *miſerere nobis*, idque tertio, quod in cœleſti aula, cuius iſta typum gerit, ſempiterna pax ſit." De hodierno uſu teſtis nobis eſt omni exceptione maior Benedictus XIV. „Nunc tamen (inquit) cum tertio dicitur *Agnus Dei* pro illis verbis *miſerere nobis*, in omnibus eccleſiis dicitur *dona nobis pacem*, excepta *Lateranenſi* eccleſia, ubi vetus etiamnum diſciplina retinetur dicendi ſemel, iterum ac tertio *miſerere nobis.* Conſtat enim a ſeculo ſeptimo ad decimum ſemper etiam tertio dictum eſſe *miſerere nobis*, ad tollendum vero ſchiſma, ſeu ad divinam opem implorandam, ut imminentibus eccleſiæ periculis Deus occurreret, loco motis illis verbis, ſubſtituta ſunt, *dona nobis pacem*;" quod teſtatur Innocentius III. Pontifex lib. *6. de myſteriis miſſæ* cap. 6. & fuſe probat Card. Bona *Rer. liturg.* lib. II. c. 16. num. 5. *Gabr.* Biel omnia ad pacem dandam hic refert.

Fol. 26. mſc. in archiv. Lateran. præf. in vet. miſſ. Later. p. XXXVII.

De feſtis lib. I. c. 8. n. 71.

Lect. 81.

Illuc nominatim referuntur verba *Dona nobis pacem* iuxta Panvinum: hincque, quando *Pax* non dabatur, & tamen *Agnus Dei*, præſcribebatur, ter-

Digitized by Google

tia etiam vice *miſerere nobis* repeti ſolebat. Quod in mſc. noſtro ordine operis Dei ad fer. V. in Cœna Domini notatur. Scriptus eſt autem ſæc. XIV. atque ſæc. XVI. etiamnum apud nos obſervatus fuit. Singulariter hoc loco nonnunquam temporibus difficilibus pro pace eſt oratum veluti in concilio *Salisburg.* an. 1281. ſtatuitur: „Ut per præſentis anni decurſum in inſtanti Adventu Domini inchoandum, in ſingulis cathedralibus, conventualibus, & parochialibus eccleſiis pſalmus: *Domine quid multiplicati.* cum oratione dominica & verſu: *Fiat pax in virtute tua. Eſto nobis turris fortitudinis.* & Collecta: *Deus a quo ſancta deſideria* &c. Clerus provolutus in terram genibus, & erectis in cœlum cordibus in miſſa poſt tertium *Agnus Dei* quotidie ſemel dicat.“

T. III. Concil. Germ. p. 656.

Oſculum Pacis.

De orat. c. 14.

Contra Iudæos c. 10.

XLII. A primordiis eccleſiæ uſum oſculi pacis obtinuiſſe ex Tertulliano diſcimus, tempore paſſionis dominicæ licet a pacis oſculo abſtineretur. „Sic (inquit) & die paſchæ, quo communis & quaſi publica ieiunii religio eſt, merito deponimus oſculum.“ Auctor Conſtitut. apoſt. lib. V. c. 13. totam illam ante diem reſurrectionis, *ſanctam paſcha hebdomadam* vocat, per quam *cuncti ieiunantes ſint cum timore & tremore.* Alibi item Tertullianus *paſcha eſſe Domini* dicit *paſſionem Chriſti.* Priori illo libro reprobat morem aliis etiam ieiunii diebus ab oſculo pacis abſtinendi, quem obtinuiſſe probat *Gabr.* Albaspinæus lib. I. obſervat. XVII. quod oſculum inſtar pignoris eſſet communionis euchariſticæ, a qua diebus ieiunii abſtinebatur, non tamen diebus ſtationum fer. IV. ſcil. & VI. ſtatis: quod tunc hora nona ſynaxis ſolveretur: neque autem a communione abſtinebatur. Exiſtimat porro probabilius eſſe ideo in mortuorum ſacris oſculum non perſolutum eſſe, quod olim privata eſſent illa ſacra non autem ſolemnia, hoc eſt, non eſſent inſtituta, ut in illis publice fideles omnes communicarent. Eandem affert rationem pro monachorum Sacris, in quibus pariter oſculo parcebatur. Nihil tamen de iſto diſcrimine in monumentis noſtris liturgicis annotatum legimus. Videturque mos ille non multum percrebuiſſe, cum in antiquiſſimis liturgiis in miſſis ieiuniorum pacis oſculum deſignetur apertiſſime, imprimis in liturgia *Gallicana* & *Mozarabica*: ſingularisque ſemper habeatur oratio *ad pacem*, mox poſt orationem *ad nomina*, hoc eſt ante precem ſeu Canonem, vel confecta myſteria contra morem eccleſiæ *Romanæ*, ut ex epiſtola Innocentii I. ad Decentium conſtat: „Pacem igitur (ſcribit) aſſeris ante confecta myſteria quosdam populis imperare, vel ſibi inter ſe ſacerdotes tradere: cum poſt omnia, quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, atque in eccleſia cele-

celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo demonſtrentur.“ In Capitulari *Aquisgranenſi* an. 789. urgetur ſtatutum INNOCENTII, *ut Pax detur omnibus, confectis Chriſti Sacramentis.* Et in concilio *Francofordienſi* an. 794. præcipitur: *Ut confectis ſacris myſteriis in miſſarum ſolemniis omnes generaliter Pacem ad invicem præbeant.* Diverſus eſt hic ritus ab uſu eccleſiæ Orientalis, ubi oſculum pacis ante confecta myſteria ſeu conſecrationem dabatur. Teſtimonia eam in rem collegit ALBASPINÆUS ad finem libri II. *Gallici* de Euchariſtia, ubi poſtquam c. 15. alios etiam oſculi ſancti uſus apud Chriſtianos recenſuiſſet extra miſſam, in qua non tam præparatio quædam erat ad communionem, quam myſterium quoddam ipſius ſacrificii miſſæ, ut deinceps cap. 17. oſtendit, demum capite ultimo explicat pluribus myſterium oſculi pacis, quod vel in miſſa, ſive in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, aut quavis alia occaſione dabatur. In antiquiſſimis noſtris ſacramentariis indicium pacis hic loci poſt precem ſeu Canonem, ac confecta myſteria datæ habemus. Verba *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, eadem quoad ſenſum ſunt, quæ S. AUGUSTINUS notat: „Poſt orationem dominicam dicitur *Pax vobiſcum*, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis.“ Unde in ſacramentario *Gelaſiano* ad Fer. V. in Cœna Domini rubrica habetur: „Non dicis *Pax Domini*, nec faciunt pacem.“

T. I. Conc. Germ. p. 278

Ib. p. 328.

Serm. 83. de Div.

In miſſa ILLYRICI, ac veteri ordine ann. circ. 700. quem ex codice monaſterii *S. Gregorii* in valle *Gregoriana*, diœceſis *Baſileenſis* edidit MARTENIUS in edit. ampliore in fol. de ritibus eccleſ. extat eadem, quæ hodieque dicitur oratio poſt oſculum altaris: „*Domine IESU Chriſte, qui dixiſti apoſtolis tuis, pacem relinquo vobis &c.* Deinde convertat ſe ad circumſtantes, pacemque ferat dicendo: *Habete vinculum pacis & charitatis, ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis.* Et ipſi invicem ſe pacificando dicant: *Pax Chriſti & eccleſiæ abundet in cordibus noſtris.*“ Non ſolum in mſſ. miſſalibus, quæ pleniorem ritum miſſæ continent, ſed etiam in impreſſis ante annos ducentos eadem præſcripta fere reperi, atque a *Gabr.* BIEL & *Iod.* CLITHOVÆO notata. Unum recenſeo miſſale ſcriptum an. 1418. quod articulatius omnia complectitur his verbis: „Poſt primam orationem *Domine I. Ch. qui dixiſti* &c. *Amen.* Deinde oſculato altari & libro dicat: *Pax Chriſti & eccleſiæ maneat ſemper in cordibus noſtris amen.* Poſtea convertens ſe ad circumſtantes dicat: *Habete vinculum pacis & charitatis, ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis Chriſti.* Et accipienti a ſe oſculum dicat: *Pax tecum.* Et reſpondeat: *Et cum ſpiritu tuo.* In miſſa tamen pro defunctis, in qua non datur Pax, non debet dicere præſcriptam orationem *Domine I. Chr.* &c. nec oſculare altare, patenam vel librum.“

T. I. p. 600.

In

In miſſali *Auguſtano* an. 1510. adnotatur: „Poſt primam orationem *Domine I. Ch.* &c. da oſculum altari dicendo: *Pax Chriſti & eccleſiæ abundet in cordibus noſtris. Habete vinculum pacis & charitatis:* Da oſculum Crucifixo. *Ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis Chriſti. Pax tibi & eccleſiæ.* Et hoc tantum dicatur, quando miniſter recipit a ſacerdote oſculum pacis.“ In miſſali *Teutonico* ſæc. XIV. oſculum patenæ aſſignatur. Alibi etiam calicis, corporalis, pallæ & calicis, vel calicis & altaris, item corporalis, calicis & hoſtiæ. *Petr.* le BRUN in explicatione cerimoniarum miſſæ multis documentis demonſtrat, presbyterum oſculo ipſius ſacræ hoſtiæ pacem accepiſſe a Chriſto aliis diſtribuendam. „Facta commixtione & finita oratione (inquit Cardinalis HUGO in Explicatione miſſæ c. 35.) ſacerdos Pacem ſumit ab Euchariſtia vel Corpore Chriſti, hoc eſt, oſculatur corpus Domini: & poſtea dat oſculum diacono in ſignum, quod pax ſpiritualis a Chriſto data eſt humano generi. Diaconus dat pacem aliis, & alii inter ſe.“ Vetitum hoc eſt in conſtitut. RICARDI *Sarum.* epiſc. ſæc. XIII. „In celebratione miſſæ hoſtiam conſecratam pacem daturus ſacerdos ore ſuo non adveniat (admoveat) quia ante perceptionem ore ſuo tangere non debet.“ Et nota (inquit *Gabr.* BIEL) quod ſub hac oratione ſacerdos oſculatur altare, vel calicem vel corpus Domini, ut dicit ALBERTUS. Vel ſecundum ritum quarumdam eccleſiarum primo oſculatur altare, ſecundo librum, & tertio diaconum, ſive miniſtrum, aut loco tertii oſculi imaginem vel tabulam ſibi per miniſtrum porrectam.“

pag. 603.

Lect. 81.

Præciſe epocha ſtatui nequit, quando oſculo oris ſubſtitutum eſt oſculum inſtrumenti, ſeu pictæ ſculptæque tabulæ. In *itinere liturgico* De MOLEON teſtatur iuxta ordinarium *Lugdunenſe* S. PAULI circ. 400. annorum diaconum cantoribus, deinde clericos ſibi invicem, ac tandem ipſos fideles pacem dediſſe. Idem teſtatur hodieque alicubi omnes in choro ſaltem exiſtentes ad oſculum pacis ſeſe amplecti, quod alias ſacerdos tantum ac miniſtri altaris faciunt. Id ſingulare eſt, quod MARTENIUS in *itinere litter.* P. II. p. 56. notat de eccleſia *Narbonenſi*, puerulos duos chori accepiſſe primum *Pacem*, quam diacono, ſubdiacono, thuriferariis ac choro dederint.

pag. 59.

pag. 427.

Semper cautum eſt in eccleſia de ſexuum etiam ſeparatione, ne quid inhoneſti hic locum haberet. „Interrogatus ſum ab aliquibus (ſunt verba AMALARII) quare non invicem porrigant ſibi oſcula viri & fœminæ in officio miſſæ? Quibus, quamvis tunc non reſponderem, reſpondendum nunc fore arbitror. Carnales amplexus quibus iunguntur ſæpiſſime viri & fœminæ vitandi ſunt in eccleſiæ conventu. Ac ideo ſequeſtrantur

De offic. eccleſ. lib. III. c. 32.

viri

viri & fœminæ in eccleſia non ſolum ab oſculo carnali, ſed etiam ſitu locali. Ab his perſonis dantur oſcula mutua in eccleſia, quæ nullam titillationem libidinoſæ ſuggeſtionis cogunt excitare.“

XLIII. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario poſt *Pax Domini &c.* mox ſequitur rubrica: „Poſt hæc commonenda eſt plebs pro ieiunio primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis temporibus ſuis, ſive pro ſcrutiniis, vel aurium apertione, ſive orandum pro infirmis, vel adnuntianda natalitia Sanctorum. Poſt hæc communicat ſacerdos cum ordinibus ſacris cum omni populo.“ Prout iisdem verbis eodem loco habetur in *Gelaſiano* ſacramentario. At in ordinibus *Romanis* abſoluta communione pontificis archidiaconus futuram ſtationem adnunciabat. In capitulari ordinis eccleſiaſtici eadem ſtationis denunciatio hic adnotatur. In breviario ordinis eccleſiaſtici poſt *Agnus Dei* ſic notatur: „Deinde communicentur ſacerdotes & levitæ in ordine ſuo. Poſtea quidem accipiens diaconus calicem in dextera parte altaris elevans eum in manibus ſuis pronuntiat natalitia Sanctorum in ipſa hebdomada venientia, ita dicendo: *Illa feria veniente natale eſt* Mariæ, *aut Confeſſoris, aut alius Sancti, qualis evenerit ſecundum martyrologium*, & reſpondent omnes: *Deo gratias.* Poſt hæc, canentibus interim antiphonam ad communionem, communicantibus omnibus, dat orationem ſacerdos, & dicat diaconus: *Ite miſſa eſt*, reſpondentibus omnibus *Deo gratias*, & completum eſt.“ Initio libri II. Sacrament. *Gelaſ.* occurrit *Denunciatio natalitii unius martyris. Item pluraliter.* In ordine Benedicti Canonici Fer. IV. cinerum ſtationis denunciatio ita præſcribitur: „Ante communionem ſtat ſubdiaconus regionarius iuxta altare dicens alta voce: *Craſtina die veniente ſtatio erit in eccleſia ſancti* Georgii *martyris ad vellum aureum.* Reſpondet ſchola: *Deo gratias.*“

Denunciationes olim hoc loco factæ.

N. 37.

Eodem loco miſſæ, nempe poſt illam ſalutationem *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, denuntiationem IV. temporum extra Quadrageſimam ſeu ieiunium quarti, ſeptimi & decimi menſis factam fuiſſe, poſt Menardum, & Bona annotavit Vezzosius ad ſacramentarium *Gelaſianum*, in quo poſt officium *Dominica Pentecoſten*, *item orationes ad veſperos infra octabas Pentecoſten* leguntur, moxque *incipiunt orationes & preces menſis quarti.* Alias eandem denunciationis formulam deprehendi poſt Canonem miſſæ ac verba illa *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Veluti in cod. *Turiceno*, in quo *Ambroſianum*, *Gelaſianum*, & *Gregorianum* mixta habentur.

T. VI. Opp. V. Thomaſii p. 100.

CAPUT IV.

De Communione uſque ad finem Miſſæ, nec non de Eulogiis & Agapis.

I.

Ante communionem olim non communicantes dimiſſi.

Dato oſculo diaconus denuo exclamabat: *Nullus cathecumenus, nullus auditor, nullus infidelis, nullus hæreticus. Qui primam orationem perfeciſtis, diſcedite. Pueros recipite matres. Ne quis contra aliquem! Ne quis in hypocriſi! Erecti ad Dominum cum timore & tremore manentes ſinamus offerri.* Quibus verbis, quæ in Conſtitutionibus apoſtolicis leguntur, ad dignam Euchariſtiæ participationem ſimul monebantur fideles, quod maxime fiebat ſolemni illa acclamatione: ἅγια τοῖς ἁγίοις: *Sancta Sanctis.* Diu perduravit ritus, ut non cathecumeni modo & pænitentes, ſed & omnes alii, qui non communicabant, diſcedere ſint iuſſi, monente diacono: *Si quis non communicat, det locum*: uti teſtatur D. Gregorius M. lib. II. dial. c. 23. „Propter hoc enim certe dicitur miſſa (inquit vetus expoſitor ordinis *Romani* apud Cassandrum) quoniam mittendi ſunt foras per diaconum, qui non participant ſacrificio vel communione ſancta. Proinde cum Chriſtus ſit iuſtitia, eccleſia autem iuſtitiæ forma, utpote ſuper Chriſtum fundata: verum enim vero iuſtitia dicitur, qua cuique ſua tribuuntur: cum hoc, inquam, ita ſit, quomodo miſſa erit, niſi id, quod ſuum eſt, ei permiſſum fuerit, ſc. ut diaconus faciat exire, quos non oportet ſacris myſteriis intereſſe.“ Statutum hoc idem legitur in canone apoſtolico X. nec non in antiquiſſimis conciliis *Eliberitano* & *Antiocheno*: unde coniicere licet, ante communionem olim miſſam fuiſſe expletam, quod adductis SS. Patrum teſtimoniis affirmat Mabillonius. Profert is præprimis celebrem locum ex Gregorii *Turonenſis* libro II. de miraculis S. Martini c. 47. De communione populi: „Cum expletis miſſis populus cœpiſſet ſacroſanctum Corpus redemtoris accipere &c.“ & ex S. Cypriani lib. de Lapſis: „Ubi vero ſolemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præſentibus cœpit &c.“ Luculentius eſt eam in rem

Liturg. pag. 35. &c.

Lib. I. de liturg. Gall. c. 4.

rem Iustini M. teſtimonium: „Diſtributio (inquit) communicatioque fit Euchariſtiæ cuique præſenti ἀπὸ τῶν εὐχαριστέντων ἑκάστῳ γίνεται:" Paullo ante autem commemoraverat, diaconos cuique præſentium ἑκάστῳ τῶν παρόντων, dare ſolitos Euchariſtiam. „Sciendum eſt (ait *Micrologus* cap. 15.) iuxta antiquos Patres, quod ſoli communicantes divinis myſteriis intereſſe conſueverant." Ad hunc primævæ eccleſiæ uſum reſpicit *Walafridus* Strabo exhortans: „Ut omnes Chriſtiani, maxime Clerici, per ſingulos dies ſacris occupentur officiis, imitantes primitivæ eccleſiæ ſalutare ſtudium." Loquitur autem de communione ſacra, quam in *Alemannia* noſtra ſæculo IX. adhuc frequentiſſimam fuiſſe teſtatur c. 22. „Sunt quidam (inquit) qui ſemel in die communicare, etiamſi pluribus interfuerint miſſis, pro dignitate Sacramentorum ſufficere credunt. Sunt vero alii, qui ſicut in una, ſic in omnibus, quibus adfuerint, miſſis in die communicare volunt." De qua frequenti communione dicemus paullo poſt. Diu dicta conſuetudo illos, qui non communicant, dimittendi viguit in eccleſia; poſtea tamen fuit abrogata, etſi medio adhuc ævo ſumme utilis eſſe potuiſſet ea diſciplina ob *Manichæos* præſertim, in cœtibus fidelium latentes, ob quos potiſſimum antiquioribus canonibus fuerat firmata.

Apol. 1 — *De rebus eccl. c. 20.*

II. Ex Canone Apoſt. IV. colligimus, ſacerdotali etiam ex genere quosdam fuiſſe, qui communionem ſacram neglexerint, unde ibidem ſtatuitur: „Ut ſi quis aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex ſacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit, aut cauſam dicat, ut, ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur; aut ſi non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo, qui ſacrificavit, quod recte non obtulerit." Ad hunc canonem provocatur in Capitulari *Aquisgranenſi* an. 789. c. 6. „De presbyteris miſſas cantantibus & non communicantibus. Auditum eſt aliquos presbyteros miſſam celebrare & non communicare, quod omnino in canonibus apoſtolorum interdictum eſſe legitur: vel quomodo dicere recte poteſt, ſi non communicaverit: *Sumpſimus Domine Sacramenta?* Hæc vero per ſingula capita in ſtatutis *Nicæni* concilii legere poteſtis, ſeu & in aliis ſanctorum Patrum ſynodalibus inſtitutis vel edictis." Refertur hic canon cum apoſtolico apud Burchardum ex concilio *Aurelianenſi*, atque in inquiſitionis libello de his, quæ epiſcopus, vel eius miniſtri in ſuo diſtrictu vel territorio inquirere debent &c. hæc apud Reginonem quæſt. 42. eſt: *Si miſſam cantat, & non communicat.* Quod crimen Iohanni XII. in ſynodo *Romana* coram Ottone M. impactum eſt, ut notat Mabillonius præf. in ſæc. V. Ord. S. Bened. cum aliis eiusmodi, apud Fulbertum in

Communio Sacerdotii.

Lib. III. Decreti cap. 78. 79. — *T. II. Conc. Germ. pag. 439.*

epiſtola 88. His obviam itum eſt a conciliis *Romano*, *Rothomagenſi* (quod etiam a Burchardo loc. cit. refertur) & aliis. Habetur in eandem rem canon 5. concilii *Toletani* XII. relatus apud Gratianum.

P. III. diſt. 2. c. 9.

Huc ſpectat, quod in conc. *Pariſienſi* an. 1212. c. 2. cavetur „De ſacerdotibus, qui miſſarum multitudine onerati conductitios alios ſacerdotes habent, vel ſiccas miſſas faciunt." Legi merentur, quæ *Caietanus* Merati in Gavanto comment. in rubricas miſſ. habet P. I. in rubr. gener. obſervat. prælimin. ex theologorum ultro citroque ſententia de miſſis ſiccis.

Miniſtrorum.

III. Honoratus *de S. Maria* inter primaria argumenta pro antiquitate ſumma miſſæ Illyrici habuit communionem presbyteris & diaconis datam in manibus. At oſtenſum eſt, morem illum adhuc ſæc. VII. perduraſſe ex can. 17. Conc. IV. *Toletani* an. 633. atque ex ordinis VI. *Rom.* verbis: „Presbyteri vero, & diaconi oſculando epiſcopum Corpus Chriſti ab eo manibus accipiant, in ſiniſtra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem oſculando manum epiſcopi ore accipiant Corpus Chriſti ab eo." Convenit hic ritus cum miſſa Illyrici, ubi ſic legitur. „Deinde presbyteris & diaconibus Corpus in manu accipientibus ac communicantibus dicitur ſingulis. *Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo &c.* Alia. *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis.* Calicem vero cum ſacroſancta commixtione dando unicuique dicat: *Hæc ſacroſancta commixtio &c.* ſubdiaconibus autem ac alio clero communicet hoc modo dicens: *Perceptio Corporis & Sanguinis &c.*" Videntur hæc explicari in miſſa Ratoldi apud Menardum: „Et epiſcopus communicet presbyteros, & diaconos cum oſculo pacis, ſicco tamen ſacrificio: & ſubdiaconos ſine oſculo mixto ſacrificio. Et diaconi & presbyteri ſummatim guſtent cum calice, tenente ſubdiacono, de ipſo ſanguine."

T. III. opp. S. Greg. p. 247.

Apud *Græcos* conſtanter diaconus ſaltem in miſſa communicat, ut obſervat De-Moleon. Eundem Martenius in *Itinere litterario* notat uſum in eccleſia cathedrali *Cadonenſi*. *Cluniaci* & apud *S. Dionyſium* etiamnum moris eſt, diaconum & ſubdiaconum etiam ſub utraque ſpecie communionem ſumere in ſolemnibus miſſis, fuitque apud nos paucis abhinc ſæculis adhuc frequentatum: id quod etiam rituale *Rothomagenſe* teſtante De-Moleon fieri peroptat p. 369.

Voyage liturg. p. 474. P. II. p. 41.

Fidelium.

IV. Refertur apud Burchardum ex concilio *Rothomag.* canon 2. eiuſcemodi: „Dictum eſt nobis, quod quidam presbyteri celebrata miſſa detrectantes ipſi ſumere divina myſteria, quæ conſecrarunt, calicem Domini

Lib. III. c. 76.

mini mulierculis, quæ ad miſſas offerunt, tradant, vel quibusdam laicis, qui diiudicare Corpus Domini neſciunt, id eſt diſcernere inter cibum ſpiritalem & carnalem. Quod quantum ſit omni eccleſiaſticæ religioni contrarium, pietas fidelium novit. Unde omnibus presbyteris interdicimus, ut nullus impoſterum hoc facere præſumat: ſed ipſe cum reverentia ſumat, & diacono aut ſubdiacono, qui miniſtri ſunt altaris, colligenda tradat. Illud etiam attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem laico aut fœminæ Euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in os eius cum his verbis ponat: *Corpus Domini & Sanguis &c.*" Antiquioribus temporibus aliter obtinuit, modumque etiam ſumendi in manus Euchariſtiam CYRILLUS *Hieroſol.* fidelibus exponit: „Siniſtram veluti thronum ſubiiciens dexteræ, utpote regem ſuſceptura, & concava manu *ſuſcipe Corpus Chriſti* reſpondens *Amen.*" Oſculum porrigenti dediſſe fideles ex S. HIERONYMO videtur colligi. „Quisnamne tibi (inquit) invitus communicat? Quisnamne extenta manu vertit faciem, & inter ſacras epulas IUDÆ oſculum porrigit." Mulieres linteamina nitida attuliſſe teſtatur S. AUGUSTINUS. *Omnes mulieres exhibent nitida linteamina, ubi Corpus Chriſti accipiant.* De frequenti fidelium communione idem agit ad interrogationem IANUARII. Et S. HIERONYMUS in apologia ad PAMACHIUM: „Scio *Romæ* hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unusquisque enim in ſuo ſenſu abundet: ſed ipſorum conſcientiam convenio: qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta PERSIUM: *Noctem flumine purgant.*"

Catech. V. myſtag.

Ep. 62. ad Ioan. Hieroſolymit.

Serm. 25.

In ordinibus *Romanis* hæc populi communio notatur, uti etiam in *Alemannicis* monumentis reperi, atque ex antiquiſſimo ſacramentario paullo ante notavi. *Poſt hæc communicat ſacerdos cum ordinibus ſuis, cum omni populo*; in ordine noſtro *Romano*: *Et communicat omnis populus ordine ſuo.* Pertinet huc locus *Walafridi* STRABONIS, ad initium huius capitis relatus, de frequentia communionis fidelium ſub pluribus nonnunquam in die miſſis.

Poſteriori ævo ipſa communio fidelium invaluit etiam extra ſacrificium. Rituale tamen *Pariſienſe* an. 1697. communionem Cleri & fidelium intra miſſam præſcribit teſte De-MOLEON, qui idem alibi quoque obſervari notat: optandumque, ut, quantum licet, ritus iſti ſervaretur, ac frequentia communionis fidelium intra ipſa miſſæ ſolemnia. Id vero concilium *Moguntinum* an. 1549. ſaltem concionatores & parochos inculcare monet fidelibus *ſacram Euchariſtiam cum celebrante, ſi non ore, ſaltem fide & deſiderio cordis ad percipiendum ſpiritalem eius fructum crebro ſumere.*

Voyage liturg. pag. 254. pag. 434.

Digitized by Google

Singularis pro humilitate S. Henrici Imp. mos refertur in vita eiusdem ſancti imperatoris apud Canisium: „Accidit ut quadam die ad altare S. Laurentii miſſam attentiſſime audiret. Qua completa, ſicut ſemper facere conſueverat, ablutiones calicis ſumere volebat, ſed interveniente magno negotio regni, quod vir ſanctus propoſuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato ergo cuſtode eccleſiæ, rogavit eum, ut calicem cum ablutione in loco mundo reponeret, quoaduſque ipſe expeditus aptum tempus & locum ad ſumendam illam inveniret. Excreſcentibus autem cauſis & placitis tota die illa beatus Dei famulus ſe non potuit expedire. Poſtera vero die poſt matutinas cum paucis ſecretariis ſuis clanculo monaſterium introivit, & calicem cum ablutione præcepit ſibi afferri, cumque allatus eſſet & diſcoopertus, invenerunt ablutionem illam in formam veri ſanguinis transmutatam.“ Moris etiamnum eſt, ut iam obſervavimus, in noſtra *Alemannia* quibusdam in locis, infantium ori guttulas quasdam ablutionis ſacerdotalis ad altare infundere.

T. III. P. II. pag. 32.

Quomodo, & quouſque ſub utraque ſpecie?

V. Quo tempore communio ſub utraque ſpecie communiter obtinuit; ſolebat more *Romano* parum tantum de ſacrato Sanguine refundi in ſcyphum ſeu calicem miniſterialem, quem tenebat acolythus, vino ex maiori ſcypho, ſeu amulis repletum, atque ſic ex calamo ſeu pugillari iuxta ordinem *Romanum*, ſacro Sanguine confirmari dicebantur communicantes. „Archidiaconus accepto de manu illius (primi epiſcopi) calice refundit in ſcyphum, quem ſupra diximus, & tradit calicem ſubdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum, calicem autem accipit ſubdiaconus ſequens, dans acolytho, quem ille revocat in paratorio, qui dum confirmaverit, id eſt, quos papa communicat, deſcendit a ſede... Ut communicet eos, qui in ſenatorio ſunt: poſt quem archidiaconus confirmat. Deinde tranſeunt in ſiniſtra, & faciunt ſimiliter, presbyteri autem annuente primicerio iuſſu pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant.“

Iſta ratio etiam in antiquioribus noſtris ordinibus præſcribitur, atque adhucdum habetur in ordine noſtro operis Dei, qui ſcriptus ſæc. XIV. & uſque ad ſæc. XVI. obtinuit, ut cum arundine ſanguis ſumeretur. „Hoc modo (ut ibi præſcribitur) incedant miniſtri in communicando. Sacerdos communicatis miniſtris, & percepto Sanguine Domini dat calicem diacono, quo accepto diaconus vadit in ſiniſtrum cornu altaris, & tam ipſe, quam duo ſubdiaconi primi communicent de Sanguine Domini cum harundine argentea. Subdiaconibus ad tenendam pallam altaris in dextrum cornu redeuntibus, cantor officii, ſi vult, primus communicet

cum miniſtris, quia ipſe de calice vinum cum harundine daturus eſt communicantibus.“ Et infra: „Interim cuſtos & ſocii eius præparent quinque lumina... duoſque calices & duas harundines, ponanturque hoſtiæ ut ſufficere videtur communicantibus, ita tamen ut impares ſint.“ *Ioannes* VOGT paſtor eccleſiæ cathedralis *Bremenſis* in hiſtoria fiſtulæ Euchariſticæ duplicem mutuo ſibi adverſantem errorem notat; alterum *Georgii* CASSANDRI, alterum *Ioannis* DALLÆI. Ille cum in conſultatione art. 22. aſſeruiſſet ad effuſionis periculum evitandum in plerisque locis fiſtulas inſertas fuiſſe calicibus, qui miniſteriales vocabantur; poſtea tamen huius periculi metum effeciſſe, ut intinctus in Sanguinem Domini panis Dominicus vulgo exhiberetur, qui mos hucusque per *Græciam* & *Armeniam* obtinet. Econtra DALLÆUS de *cultu* latin. religioſ. veriſimilius eſſe putat, demum poſt interdictionem Euchariſtiæ intinctæ, ab URBANO II. factam, fiſtulas a monachis excogitatas, & poſtea fuiſſe frequentatas. Nos fiſtularum uſum longe ante tempora URBANI II. ſupra, de vaſis ſacris tractantes, oſtendimus. §. 16. *Lib. III. c. 28.*

Ritum intinctionis panis Euchariſtici, prioribus eccleſiæ ſæculis uſitatum, ſatis aſſerunt auctores, quos ſuppeditat *Petrus* ZORNIUS in hiſtoria Euchariſtiæ infantum, quibus ita intincta ſub utraque ſpecie olim fuit data, ut & clinicis, ac demum etiam ſanis, more hoc in monaſteriis primum, deinde & in paræciis recepto, uti laudatus VOGTIUS obſervat ex ZORNIO, *Chriſtophori*que SONTAGII Triphillo adſertionum de intinctione panis Euchariſtici, *Iacobi* item BASNAGII *Hiſtoire de religion des egliſ. Reform.* qui panem intinctum decimo adhuc ſæculo porrectum fuiſſe probat, etſi concilium *Braccarenſe* abrogare voluerit ritum illum, poſtea in concilio *Turonenſi* denuo adprobatum. Notandum autem hic eſt peculiare caput in *Micrologo* de vitanda intinctione, ubi ſic loquitur: „Non *Cap. 19.* eſt autem authenticum, quod quidam Corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo *Romanus* contradicit, quia & in Paraſceve vinum non conſecratum cum dominica oratione dominici Corporis immiſſione iubet conſecrare, ut populus plene poſſit communicare. Quod utique ſuperfluo præciperet, ſi intinctum dominicum a priori die Corpus ſervaretur, & intinctum populo ad communicandum ſufficere videretur.“ Eſt in hanc rem canon concilii *Claromontani* an. 1095. „Ne quis communicet de altari, niſi Cor- *Can. 28.* pus ſeparatim & Sanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem, & per cautelam.“ Clare loquitur Io. *Abrincenſis*: „Non autem intincto pane, *De offic. eccl. p. 24.* ſed iuxta diffinitionem *Toletani* concilii ſeorſum Corpore, ſeorſum Sanguine ſacerdos communicet, excepto populo, quem intincto pane, non aucto-

auctoritate, ſed ſumma neceſſitate timoris Sanguinis Chriſti effuſionis permittitur communicare.“ In concilio *Weſtmonaſterienſi* an. 1175. abſolute idem prohibetur: *Ne quis quaſi pro complemento communionis intinctam alicui Euchariſtiam tradat.* Vitio iſtud iam ſæc. IX. vertit *Græcis* HUMBERTUS, apud quos, ac etiam hodieque apud *Moſcowitos* uſus eſt, ut cochleari Euchariſtia detur, ſervata per annum pro infirmis intincta, quibus idem in Occidente non infrequenter indultum, aut etiam Sanguis ſolum, pariter ac infantibus. Quam in rem ſcribit PASCHALIS II. ad PONTIUM abbatem *Cluniacenſem.* „Novimus enim per ſe panem, per ſe vinum ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in ſancta eccleſia conſervandum docemus, atque præcipimus, præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt.“ His inter alia argumentis poſt alios egregie imprimis eſt uſus *Ben.* BOSSUET tum in *Expoſitione* catholicæ eccleſiæ, cum peculiari libello in hac materia contra *Proteſtantes* elucubrato.

Ep. 32.

Hæc exempla infirmorum & infantium, item prohibitio intinctionis, periculum effuſionis, hæreſis eorum, qui alteram ſine altera ſpecie non valere ſentiebant, iudicio MABILLONII, eccleſiæ paſtores paullatim induxerunt ad unius ſpeciei communionem laicis impertiendam. Refert MABILLONIUS teſtimonia ALEXANDRI *Alenſis*, *Hugonis* VICTORINI, *Roberti* PULLI, qui de uſu ſuorum temporum ſæc. XII. nempe iam inoleſcente teſtantur, atque etiam D. THOMAS provide in quibusdam eccleſiis obſervari teſtatur, ut populo ſumendus Sanguis non detur, ſcilicet propter reverentiam & cautelam. *Petrus* de TARENTASIA, poſtea INNOCENTIUS V. papa renunciatus an. 1276. eandem rationem reddit in IV. Sent. diſt. 2. uſum ſui temporis referens, ut a ſolis maioribus, id eſt presbyteris & miniſtris altaris ſumatur ſub utraque ſpecie, quia maiorem cautelam & reverentiam ſervare ſciunt. Uſum adhuc communionis ſub utraque ſpecie ſæc. XIV. ſed rariorem atteſtantur *Nicolaus* de LYRA in c. 6. IOAN. *Thomas* de ARGENTINA in IV. Sentent. diſt. 8. & *Petrus* PALUDANUS pariter in IV. Sentent. diſt. 11. his verbis: „In quibusdam eccleſiis eſt conſuetudo, quod communicant ſub utraque ſpecie, nec eſt peccatum, quia quando mos erat, crimen non erat. Et ita caute in illis eccleſiis ſive monaſteriis faciunt, quod nihil effundunt; ſed ſi vulgo indifferenter daretur, eſſet maius periculum.“

Commentar. in ord. Rom. pag. LXI. ſeq.

P. III. q. 80. a. 12.

MARTINUS V. dum ob animoſitatem *Huſſiticam* communionem ſub utraque ſpecie *Romæ* omnino ſuſtulit, pro memoria antiqui ritus diaconi ſaltem & ſubdiaconi communionem ſub utraque ſpecie in miſſa pontificali retinendam duxit, ut apud GEORGIUM videre eſt T. III. de Liturgia *Rom.*

Pont.

Pont. p. 187. 183. & Mabillonium laudato in commentario pag. LXII. CXXIX. Rationem autem ſingularem adducit Cassander ex *Henrico* Calteisen, archiepiſcopo *Nidroſienſi* & *Cæſarienſi* contra *Bohemos*: „ Sic enim audivi feliciſſimæ memoriæ D. Martinum Pap. feciſſe, quod ſicut & alii pontifices conſuevit in feſto Paſchæ communicare laicos ſub utraque ſpecie. Accidit, ut quidam *Bohemus* baccularius in medicinis inter alios accederet, & ſub utraque ſpecie communicaret, qui de hoc mirabiliter gloriabatur, quod communio utriusque ſpeciei facta eſſet ſibi per ſummum pontificem. Sed tandem in *Vienna* captus & ſubmerſus eſt, quod percipiens papa Martinus ſic ſibi illuſum, ex tunc ſubtraxit calicis communionem laicis, nec unquam aliquem communicavit, niſi ſub ſpecie panis tantum in deteſtationem hæreſis *Bohemorum*, & factæ ſibi illuſionis.“ Et Augustinus Patricius de adventu imperatoris in urbem Friderici III. nimirum, quem alii V. vocant, ſub Paulo II. idem tradit generatius: „Communicavit ſummus pontifex altaris Sacramentum cum imperatore, diacono & ſubdiacono de pane tantum: de calice autem, etſi conſuetudo ſit communicantes cum pontifice participare, propter inſurgentem tamen *Huſſitarum* ac *Boemorum* damnatam hæreſim, quæ calicis potationem ad ſalutem neceſſariam putat, præter pontificem bibit nemo.“ Nuſpiam magis agitata eſt ea controverſia, quam noſtra in *Alemannia* tempore concilii *Conſtantienſis* ac *Baſileenſis*. Quæ ad rem utrimque fuerunt actitata, ſuccinctim collecta ſunt in diſſertatione hiſtorico-theologica de fatis calicis Euchariſtici in eccleſia *Romana* a concilio *Conſtantienſi* ad noſtra uſque tempora, quam ſub præſidio *Io. Andr.* Schmidii *Helmſtadii* an. 1708. ſolemni eruditorum diſquiſitioni ſubmiſit *David* Erythropel auctor, qui in recenſione rerum ſolum verſatus, refutatione haud eget. Quæſtionem hanc verſans non ita multo poſt motus *Huſſiticos* circa finem ſæc. XV. *Gabriel* Biel, „In oppoſitum eſt (inquit) communis ritus eccleſiæ *Romanæ*. Olim quæſtio illa poterat eſſe dubia, ſed nunc poſt determinationem concilii *Conſtantienſis*, veritatem catholicam determinantis, dicere, communionem ſub utraque ſpecie eſſe de neceſſitate ſalutis omni fideli, eſt hæreſis ibidem publice condemnata, & ideo ſuperfluum eſt; imo nunc velle ad probationem oppoſitæ veritatis multum niti, cum omni humana probatione maior eſt eccleſiæ auctoritas, in cuius fidei obſequium intellectum noſtrum captivare tenemur.“

Liturg. pag. 78.

T. I. Muſ. Ital.

Lect. 84. in Canon.

Haud importune hic locum eiusdem ſcriptoris *Alemanni* addo, quem ex *Aloyſii* Novarini Agno Euchariſtico Excurſ. LXI. p. 310. *Io. Frid.* Meierus recenſet in commentario hiſtor. theol. *de Euchariſtia infantibus olim data* his verbis: „Parvulos olim ad communicandum novarum ve-

Digitized by Google

ſtium ornatu ſe præparabant, quod reprehendit Biel Serm. V. in Cœna Domini, dum ait: Contra hoc faciunt qui hoc tempore parvulos ſuos ad communicandum præparant per novarum veſtium exornationem, oris, faciei, & manuum lotionem.“

Ex miſſali Mſc. *Benedictoburano* coævo illis turbis *Bohemicis* exſcribam hic ritum ſingularem communionis fidelium in miſſa: *De communione fratrum.* „Poſt primam purificationem ſacerdotis fratres dicunt *Confiteor.* Tunc ſacerdos dicit *miſereatur.* Et *Indulgentiam.* In fine addit: *Pro pœnitentia ſalutari dicatis Pater noſter, vel Ave Maria.* Dein ſacerdos recipit particulas ſuper patenam, & vertens ſe ad communicantes cum ſacramento facit largam crucem. Tunc communicandi ter dicunt *Domine non ſum dignus.* Quo expleto ſacerdos dicit: *Accipite fratres viaticum Corporis Domini noſtri Ihesu Chriſti, qui vos cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat animas veſtras in vitam æternam Amen.* Et faciens crucem ante quemlibet communicantem dicit: *Corpus Domini noſtri Iheſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam Amen.* Poſt fratrum communionem accolythus præparatum vino calicem ſingulis offert flectentibus ad dexteram ſecundum ordines ſuos.“

De Communione laica & peregrina.

VI. De κοινωνίᾳ λαικῶν concilio *Laodiceno* dicta, vel peregrina, quarum in antiquioribus monumentis eccleſiaſticis fit mentio, non eſt, quod ſingulariter ad illuſtrandam veterem liturgiam *Alemannicam* afferam. Quarum illam τὴν μετὰ τῶν πιςῶν κοινωνίαν iuxta S. Basilium quidam cum Bellarmino ad communionem ſub una ſpecie referendam exiſtimarunt. Alii quos inter Baronius & Pamelius eam communionem olim laicam dictam rentur, quæ more laicorum extra cancellos & ſepta altaris accipiebatur. *Gabriel* Albaspinæus vero in obſervationibus eccleſiaſticis putat, laicam communionem etiam ſine Euchariſtiæ perceptione eſſe potuiſſe: ut idem ſit, ac eſſe in eccleſia, & de eccleſia tanquam laicum: ita ut eccleſiaſticus, qui laicæ communioni deputabatur, gradu ſuo perpetuo excideret: ſique Euchariſtiæ participaret, id faceret laicorum more: atque adeo ipſa Euchariſtiæ communio ſub una etiam ſpecie fieri potuit, quod in ſacrificio, munereque ſacerdotali nunquam licuit. Faciunt huc canones, in quibus *ab officii communione* clerici ſegregandi decernuntur, veluti canones conciliorum *Aurelianſis* II. & III. quæ *Alemanniam* noſtram propius attingunt. In illo, can. 9. *Clerici qui ſine epiſcopi voluntate ſæcularibus cohabitant, ab officii communione* ſegregantur. In tertio, can. 4. *Clerici, qui cum uxores non habuerint benedictione ſuſcepta, coniugia crediderunt eligenda, qui volentes abſque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipſis mulieribus, quas acceperunt excommunicatione*

Obſerv. IV.

per-

percelluntur. *Quod ſi invitus vel reclamans fuerit ordinatus ab officio quidem deponendus, ſed non a communione pellendus* decernitur, moxque *adulter clericus* HONORATUS *depoſitus eſt ab officio, communione conceſſa, in monaſterium toto vitæ ſuæ tempore detrudendus*: & can. 5. *Clericus ſi furtum aut falſitatem commiſerit, communione conceſſa, ab ordine* degradandus. Sæpius ea vox *communio laica* in ſcriptis S. CYPRIANI occurrit: quæ aliaque loca collecta legi poſſunt in diſſertatione theologica de communione veterum laica, quam ſub præſidio *Io. Michaelis* LORENTZ examini ſiſtebat *Ioannes* FRANZ auctor *Argentorati* 1741. Copioſior eſt *Henrici* RIXNERI liber *de laica & peregrina priſcæ ac primitivæ eccleſiæ communione.* Utramque hanc aliqui cum BELLARMINO confundunt, ac unam eandemque eſſe exiſtimant. Alii communionem peregrinam habent pro peregrinantium communione clericorum, qui literis forte communicatoriis ſui epiſcopi deſtituti clericis quidem in choro ſociati conſiſtebant, ad myſteria tamen ſacra obeunda non admittebantur. Exempla literarum communicatoriarum, formulæ antiquioris, medio adhuc ævo occurrunt: ex quibus ad *Alemanniam* noſtram ſpectat, quæ apud GRATIANUM diſt. 83. legitur, qua BURCHARDUS epiſcopus *Wormatienſis* HERMANNUM quendam presbyterum, WALTERIO epiſcopo *Spirenſi*, commendavit anno 1012. indict. decima. Ceſſit vero communio peregrina in pœnam clericorum matriculæ eccleſiaſticæ adſcriptorum, his ſcilicet ab officio ad tempus remotis ſeu ſuſpenſis.

Rarius nomen peregrinæ communionis occurrit, vixque ſolertiſſimus ALBASPINÆUS quatuor aut quinque loca notavit, in quibus pro pœna inuritur clericis, qui maximorum facinorum criminibus obnoxii ſunt, & ob delicta, quæ anathemate coerceri debeant, ut probra, contumacia, furtum, ſacrilegium. Unde recte colligit, veriſimile haud eſſe rem tam ſanctam, communionem nimirum ſub una ſpecie adhibitam fuiſſe pro pœna graviſſimorum criminum: etſi vero communionem peregrinam pro communitate & conſociatione presbyterorum ſeu aliorum clericorum habeat, qui ſine formatis aut commendatitiis literis peregrinabantur, qua interdum puniebantur clerici matriculæ adſcripti, additur nihilominus in margine edit. *Pariſienſis* anno 1679. ad calcem operum S. OPTATI *Milevit.* ſignificaſſe auctorem hoc in loco in ſcholiis, ſecunda ſe editione planius & uberius eſſe dicturum, hancque ſuam ſibi diſplicere ſententiam, ſed morte præventus mentem non declaravit ſuam. Mihi, ut innuimus, genus quoddam pœnitentiæ ſeu ſuſpenſionis fuiſſe videtur, quo tempore clerici immunes a pœnitentia publica ſola depoſitione plectebantur, communione peregrina medium quoddam ſeu pœnitentiæ locum tenente: *ita*

Obſerv. III.

Gabr. Albaſp. opp. varia p. 11.

ut cum eos, cum concilio *Agathenſi* loquor, *pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum dignitatemque recipiant.*

Preces ad Communionem.

pag. 246.

VII. *Pariſiis* apud *B. Virginem*, & AURELIANI, teſte DE-MOLEON in *itinere liturgico*, qui communicant de manu ſacerdotis ad verba *Corpus Domini noſtri IESU Chr.* reſpondent *amen* iuxta vetuſtiſſimum uſum eccleſiæ *Græcæ* & *Latinæ*, uti conſtat ex epiſtola CORNELII P. ad FABIUM *Antiochenum* de NOVATIANO ſchiſmatico ita narrante: „Miſer homo non ante deguſtavit, quam ita illi ſe devoviſſet. Et qui illum acceperat, pro *amen*, quod dicere debuerat, hoc dixit: *Non deinceps ad* CORNELIUM *revertar.*" S. AUGUSTINUS ſermone VI. ad infantes, auctor librorum de Sacramentis ſub nomine S. AMBROSII idem teſtantur. Et S. LEO: „Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtra ab illis *amen* reſpondetur, a quibus contra id, quod accipitur, diſputatur." Servatur id adhuc ritu *Ambroſiano*, & quidem iisdem ſolemnibus his verbis: *Corpus Chriſti.* ℟. *Amen.* quæ ſolebant olim dici; vel *Sancta Sanctis*, quæ ritu *Mozarabico* hodieque obtinent, ac aliæ ſolemnes preces ad communionem, cum *Græcis* potiſſimum monumentis liturgicis congruentes.

Serm. 6. De Ieiun. menſis 7.

Paſſim in liturgiis invenies varias formulas ad communionem fidelium, quando adhuc obtinuit communio ſub utraque ſpecie. In noſtris vero antiquioribus ſacramentariis deſiderantur, haud raro recentiori manu adſcripta una ac altera ex orationibus, quæ pro ſacerdote habentur in miſſali *Romano*, prout iam in miſſali veteri *Lateranenſi*, an. 1754. *Romæ* edito, occurrunt, ac unacum aliis, quæ etiam hodie in uſu ſunt, in miſſa ILLYRICI, ac noſtris ordinibus precum miſſæ ex codicibus *San-Blaſiano*, *San-Gallenſi*, ac in pontif. *Salisburgenſi* apud MARTENIUM leguntur; plures vero pro more in miſſa ILLYRICI, & nonnullæ etiam in poſterioris ævi miſſalibus mſs. & editis ante annos 200. adnectuntur preces, quæ nunc abſunt a miſſalibus *Romanis*. De his & ſimilibus ita loquitur *Micrologus*: „Orationem, quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine, ſed ex religioſorum traditione habemus, ſcilicet hanc: *Domine IESU Chriſte, qui ex voluntate Patris.* Item & illud: *Corpus & Sanguis Domini noſtri IESU Chriſti*, quod dicimus, cum aliis Euchariſtiam diſtribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidam ad Pacem & communionem privatam frequentant: ſed diligentiores antiquiorum traditionum obſervatores nos in huiusmodi privatis orationibus brevitati ſtudere docuerunt, potiusque publicis precibus in officio miſſæ occupari voluerunt." Quæ RADULPHUS *Tungrenſis* repetit Prop. 23. de Canon. obſervantia.

C. 18.

Formula

Formula autem illa *Corpus & Sanguis &c.* adhiberi ſolebat, quando communio ſub una tantum ſpecie iam dari conſuevit. Inter opuſcula S. Thomæ eſt quoddam de officio ſacerdotis n. 65. in quo ſic ritus communicandi præſcribitur. „Quando communicat ſanum vel infirmum, debet in porrectione ſacræ Euchariſtiæ facere ſignum crucis cum ipſa hoſtia in facie recipientis, dicens: *Corpus & Sanguis &c.* Cum vero porrigit calicem dicat: *In nomine Domini noſtri* Iesu *Chriſti*; quia illud eſt purum vinum cum aqua, & non Sanguis, cum non ſit conſecratum myſtica prece ſacerdotis: Sanguis enim datur cum Corpore per modum unionis &c.“ Forte, ut hoc fideles commonerentur, formula illa adhibita fuit, cum primum communio ſub una ſpecie inolevit.

VIII. Nota vero eiusdem Radulphi verba ex eodem fere *Micrologo* expreſſa. „Cum diſtribuit Euchariſtiam, dicit: *Corpus & Sanguis Domini noſtri* Iesu *Chriſti proficiat tibi in vitam æternam Amen.* Omnes debent communicare, & interim cantatur antiphona, quæ de communione nomen mutuavit, cui & pſalmus ſubiungendus ſecundum *Micrologum* c. 18. cum *Gloria Patri*, ſi neceſſe fuerit. Et hæc antiphona ſemper habet eundem pſalmum cum Introitu, ſi non habet proprium, ex quo ſumpta videatur. *Romæ* in antiquis libris huiusmodi verſus annotantur. In *Ambroſiano* appellatur tranſitorium.“ Unus adhuc eiusmodi verſiculus ſeu potius pſalmi deſignatio *Te decet hymnus* habetur in miſſa pro defunctis; nonnunquam vero in antiphonariis antiquis, veluti in editione S. Gregorii videre licet eiusmodi verſus ex pſalmo. In ordine autem *Romano*, ac noſtris antiquioribus ordinibus ad eum compoſitis, modus ac ratio exprimitur, nimirum pro communione fidelium donec eſſet conſummata. „Nam mox ut cœpit pontifex in ſenatorio communicare, ſtatim ſchola incipit antiphonam ad communionem, ut pſallant, uſquedum communicato omni populo annuit pontifex, ut dicant *Gloria*, & tunc repetito verſu quieſcunt.“ Eadem fere habes in Capitulari noſtro ordinis eccleſiaſtici. Patet vero ratio cur ceſſante communione fidelium una remanſerit antiphona ad communionem. **Antiphona ad Communionem.**

IX. Nihil vero in ordine *Romano*, ac aliis antiquioribus monumentis noſtris de ablutione occurrit. In ordine VI. hoc ſolum habetur: *Sedente vero epiſcopo ſecundum prædictum ordinem tres acolythi genu flexo ante eum aquam manibus miniſtrant.* Quod hodie peculiariter in miſſa pontificali obſervatur. In ſermone ſynodali ex cod. Mſc. *Neresheimenſi*, qui S. Udalrico *Auguſtano* epiſcopo tribuitur: „Locus in ſacrario, aut iuxta **Ablutio.** *pag. 76.* *T. XI. Concil. ed. Ven. p. 1075.*

ta altare ſit, ubi aqua effundi poſſit, quando vaſa ſacra abluuntur, & ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ibique ſacerdos manus lavet poſt communionem. Io. *Abrincenſis*: „Acolythus vero alterum calicem ſacerdoti ad mundandos digitos deferat. Subdiaconus autem ad mundandum calicem & patenam diacono ſerviat. Poſt mundationem patenæ & calicis acolythus utrumque mantili involutum teneat, uſque ad completionem primæ poſtcommunionis."

De off. eccl. p. 24.

Id De-Moleon in *itinere liturgico* notat in eccleſia B. M. *Rothomagenſi*, *Lugduni*, *Carnoti*, & apud *Carthuſianos* eſſe in uſu, ut acolythus peculiare vas afferat, quin presbytero exhaurire opus ſit vinum perfuſionis, ſeu ablutionem digitorum. Quod etiam De-Vert obſervat ex Durando, qui dicit perfuſionis aquam debere in locum mundum & honeſtum diffundi. Ordo *Rom.* X. hæc præcipit: „Feria ſexta præcedenti (præſentis ſcilicet Paraſceves) & quando celebratur pro defunctis perfuſionem facit in calice, & ipſe ſumit, & poſtea lavat cum aqua in bacilibus."

Explic. T. IV. p. 307.

Prima eſt calicis, altera digitorum perfuſio. De prima ſcribit Innocentius III. clericis ſancti Petri *Magalon.* ut refertur in decretal. Gregorii IX. „Poſtulationi veſtræ taliter reſpondemus, quod ſemper ſacerdos vino perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum, niſi cum eadem die aliam miſſam debuerit celebrare: ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret." Supra memini, S. Henricum Imp. ſolitum eſſe quotidie in miſſa ablutionem ſumere, eandemque alicubi apud nos ſolere infantibus lactentibus ſub miſſa præberi, cum his alicubi verbis: *Hæc ablutio calicis ſit tibi ſalutaris, & ad vitam æternam capeſſendam amen.* Quam formulam in *itinere litterario* notat P. Martene: paſſim vero in impreſſis etiam vetuſtioribus miſſalibus peculiares quædam preces præter conſuetas reperi adiunctas, e. g. *Lac & mel &c. Lavabo inter innocentes &c.*

Lib. III. tit. 41. *c.* 5.

P. II. p. 141.

Oratio ad Poſtcommunion.

X. Sequitur oratio ad *Poſtcommunionem*, ſeu *ad complendum*, prout apud Walafridum notatur ad finem capitis vigeſimi ſecundi de rebus eccleſiaſticis, & in ſacramentariis *Gregorianis.* Peculiaris illa ad ſingulas miſſas in ſacramentariis, ac quidem numero plures haud raro in ſacramentario *Gregoriano* apud Pamelium adnotantur, ſicut contra prima oratio plerumque duplicatur in *Gelaſiano*, & noſtro antiquiſſimo, ubi plures ordine poſt Canonem ad finem libri primi eiusmodi orationes præſcribuntur *poſt Commun.* uti etiam in *Gelaſiano*, ac inter alias penultimo loco ea, quæ poſt ablutionem hodie præſcribitur. In ordine *Rom.* autem, & in tractatu

Qualiter

Qualiter quædam orationes & cruces in Te igitur *agendæ ſunt* pro oratione ad complendum notatur: „Et veniens ad altare ſalutat, altius dicens: *Dominus vobiscum*, Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde dicit orationem: *Quod ore ſumpſimus Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. Per.*" Alicubi, ut obſervat De-Moleon, loco *de munere temporali*, habetur, *ut de Corpore & Sanguine Domini noſtri IESU Chriſti fiat nobis remedium ſempiternum in vitam æternam, amen.* *pag. 65.*

De oratione ad *complendum* nota, quæ dicit *Walafridus* Strabo: „Eſt autem legitimum tempus communicandi ante ultimam orationem, quæ dicitur *ad complendum*: quia eius petitio maxime pro eis eſt, qui communicant. Unde etiam eorum, qui per ſingulas miſſas communicare volunt, accendi videtur voluntas. Quia per totam miſſam pro eis quam maxime, & quaſi nominatim oratur, qui ibi offerunt, atque communicant. Poſſumus autem & debemus (ut eadem ſancta miſſarum celebratio non paucis ſed multis prodeſſe credatur) dicere, cæteros in fide & devotione offerentium & communicantium perſiſtentes eiusdem oblationis & communionis dici, & eſſe participes. Quamvis autem, cum ſoli ſacerdotes miſſas celebrant, intelligi poſſit, illos eiusdem actionis eſſe cooperatores, pro quibus tunc ipſa celebrantur officia, & quorum perſonam in quibusdam reſponſionibus ſacerdos exequitur. Tamen fatendum eſt, illam eſſe legitimam miſſam, cui interſunt ſacerdos, reſpondens, offerens, atque communicans, ſicut ipſa compoſitio precum evidenti ratione demonſtrat. Statutum eſt autem in *Aurelianenſi* concilio, ut populus ante benedictionem ſacerdotis non egrediatur de miſſa. Quæ benedictio intelligitur illa ultima ſacerdotis oratio." *Micrologus* idem de veteri more dicit, aliud vero de poſteriori: „Nam ſoli communicantes confectioni ſacramentorum antiquitus intererant: quibus & oratio poſt communionem, quæ pro ſolis communicantibus inſtituta eſt, pro benedictione potuit ſatisfacere. Apud modernos autem, cum iam populus communicare ceſſaret; nec tamen a divinis myſteriis ſe ſubtraheret, neceſſario permiſſum eſt, ut a presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus diſcedere videretur." *De rebus eccl. c. 22.* *Cap. 22.*

XI. Ritu *Gallicano* duæ hic occurrunt orationes, una, quæ dicitur *Poſtcommunio* vel *poſt Euchariſtiam*; altera vero vel ſimpliciter *collectio*, vel *conſummatio Miſſæ.* In ſacramentarii *Gelaſiani* libro III. præter duas orationes, unam nimirum poſt communion. alteramque ad populum, poſt Canonem miſſæ plures coniunctim orationes poſt communionem collectæ ſunt, Oratio super Populum.

ſunt, *item benedictiones ſuper populum poſt communionem*, ut in noſtro antiquiſſimo *Alemannico*. Suntque plures orationes non eius generis, quales ſupra notavimus, trinas ſemper pro benedictione epiſcopali ante communionem fuiſſe dictas; ſed, ut recte advertit VEZZOSIUS p. 177. n. 1. eadem omnino ſunt, ac orationes ſuper populum. Huc quoque is poſt Card. BONA interpretatur conc. *Agathenſis* canonem 47. *quo miſſas die dominico ſæcularibus totas tenere ſpeciali ordine* præcipitur, *ita ut ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat*. Hocque concilium (ſed perperam, cum etiam in *Aurelian. I.* ſimilis canon ſit) ſubſtituendum *Aureliano* notat in laudato WALAFRIDI loco, quem de oratione ſuper populum ſumit, *Micrologi* item allatum locum, atque hunc AMALARII lib. III. de off. c. 36. „Hunc morem tenet ſacerdos, ut poſt omnia ſacramenta conſummata benedicat populo, atque ſalutet. Deinde revertitur ad Orientem, ut ſe commendet Domini aſcenſioni: dicitque diaconus: *Ite miſſa eſt.*“ Et RHABAN. *Maurus* lib. I. de inſtit. cleric. c. 33. „Poſt communionem ergo & poſt eiusdem nominis canticum data benedictione a ſacerdote ad plebem, diaconus prædicat miſſæ officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi.“ Hæc autem oratio non in ſola quadrageſima, ut hodie fit, dicebatur, quem uſum ſpectans HONOR. *Auguſtod.* in *gemma animæ* c. 59. „Statutum quoque eſt (inquit) ut panis ante miſſam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur, hocque eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadrageſima fieri non licuit, orationem ſuper populum dici eccleſia ſtatuit, ut per hanc particeps communionis ſit.“ Nota vero, quæ idem *Micrologus* dicit de oratione *ſuper populum*, qualis quidem ritu *Ambroſiano* ſolet ſemper prima oratio appellari, ritu autem *Romano* hodie ſolummodo in Quadrageſimæ feriis frequentatur. Sic vero de hac oratione ſingulari capite inter alia loquitur *Micrologus*: „Oratio poſt communionem pro ſolis communicantibus ſolet orari. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione, & communione careret, adiecta eſt oratio ſuper populum, in qua non de communicatione, ſed de populi protectione ſpecialiter oratur. In dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus perſolvebatur.“ Nota in libro ordinis an. 600. inter monumenta noſtra: „In ſabbato XII. lectionum in *Martio* non dicitur oratio *ſuper populum*, quia iſtud officium frequenter circa noctem dominicam ſolet finiri, in qua minime genuflectitur.“

T. VI. opp. V. Thomaſii.

Cap. 51.

Hæc vero etiam ratio iuxta noſtrum antiquiſſimum ſacramentarium, *Gelaſiano* conforme, haud valet, cum non ſolum in dominicis Quadrageſimæ,

mæ, ſed aliis etiam feſtis per annum, & quidem tempore paſchali, ubi ſemper de genu orare publice vetitum erat, oratio hæc ſuper populum occurrat. MURATORIUS in veteri codice *Ambroſianæ* eccleſiæ, in quo fuerat ſcriptum miſſale ritus *Romani*, quæ ſcriptura aut vetuſtate temporis exciderit, aut dedita opera a *Græco* amanuenſi deleta ſit, cum iam textum *Græcum* exhibeat, ut tamen veteris ſcripturæ non plurima ſolum elementa, ſed & integræ orationes, epiſtolæ & evangelia appareant, inter cætera notavit ad ſingulas fere miſſas Præfationes proprias & poſtremam miſſæ orationem *ſuper populum.* Tales item occurrunt paſſim apud PAMELIUM, quas ille ob rationem ex *Micrologo* allatam *Gregorianas* eſſe haud exiſtimat. Similes orationes ſuper populum etiam extra Quadrageſimam SCHULTINGIUS ex veteri miſſali *Anglicano* bibliothecæ ſuæ eccleſiaſticæ inſeruit.

T. IV. antiq. Ital. p. 858-859.

T. II. p. 184.

AMALARIUS in ecloga ubi ſermonem habet de benedictione *poſt communionem* „Hanc (ait) orationem AUGUSTINUS poſtulationem vocat, *poſt communionem* namque dicit, quia poſtquam populus communicat, hæc ſequitur: ſuper populum vero, quia tunc benedicitur populus, ut noſtro ſancto conveniant evangelio.“ Senſus plerumque harum orationum hoc innuit, ac ipſa etiam diaconi acclamatio: *Humiliate capita veſtra Deo.* „Propterea (alibi ait AMALARIUS) iubet per miniſtrum, ut humiliemus capita noſtra Deo, & ita tandem infundit ſuper milites protectionem benedictionis ſuæ.“ Aliam rationem affert HONORIUS *Auguſtodunenſis* de eulogiis ſeu pane benedicto, ſed eam rationem reſtringit pro more poſteriore ad Quadrageſimam. „Quia (inquit) hoc in Quadrageſima fieri non licet, orationem ſuper populum dici eccleſia inſtituit, ut per hanc particeps communionis fiat.“

Lib. III. de eccleſ. off.

Lib. I. c. 61.

XII. Mox ſubditur in ordine *Romano* poſt notatam orationem ad *complendum*: „Qua finita, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, aſpicit ad pontificem, ut ei annuat, & dicit ad populum, *Ite miſſa eſt* ℟. *Deo gratias.*“ Et in breviario ordinis eccleſiaſtici, cui cæteri eius generis reſpondent: „Dat orationem ſacerdos, & dicat diaconus *Ite miſſa eſt*; Reſpondentibus omnibus *Deo gratias*, & completum.“ Intelligitur hinc, quod AMALARIUS profert: „ſolet vulgus indoctum requirere, a quo loco totius officii miſſa inchoetur, ut ſi forte ad totum non occurrerit, poſſit ſcire, quibus officiis ſe præſentare debeat ſine retractatione? Nobis videtur miſſam vocari ab eo loco, quo incipit ſacerdos ſacrificium offerre Deo uſque ad ultimam benedictionem, id eſt, ab offerenda uſque ad *Ite miſſa eſt.*“ Similia verba occurrunt apud *Rhabanum* MAURUM in additione libri I. de inſtitutione clericorum de miſſa. Atque ſic etiam ſumenda ſunt

Ite miſſa eſt &c.

Lib. III de off. eccl. c. 36.

eiusdem Amalarii verba in ecloga illis gemina, quæ Menardus not. 100. in ſacram. *Gregor.* ex Mſſ. bibl. *Thuanæ* & *Corbeienſis* refert, nimirum de benedictione orationum prædictarum. Sic vero loquitur Amalarius de benedictione poſt communionem; „Noſtra quippe benedictio poſtulatio eſt apud Dominum, ut benedicere dignetur. Epiſcopus namque data benedictione revertitur ad propria. Poſtea adnuntiat diaconus. *Ite miſſa eſt*. . . . Quid eſt namque *Ite miſſa eſt*, frater mi, niſi ite cum pace ad domos veſtras, legata eſt pro vobis oratio ad Dominum.“ Formula illa habetur in liturgia conſtitut. apoſtolic. *Ite in pace* ad dimiſſionem populi.

Notionem vero noſtræ formulæ, quæ conſtanter ab antiquiſſimis temporibus uſurpata ipſi miſſæ nomen dedit, optime exprimit ſacramentarium *Gregorianum* Pamelii: „Deinde communicat ipſe & omnis clerus.
3. p. q. 83. a. 4. ad 9. Et fiant miſſæ. In fine miſſæ (inquit D. Thomas) diaconus populum licentiat dicens *Ite miſſa eſt*.“ Nota vero, quod de Natali Domini dicit
C. 49. Beleth. „In prima miſſa Natalis Domini non debet dici *Ite miſſa eſt*,
Lib. 4. c. 57. ne videatur populus licentiam habere redeundi.“ Et Durandus: „Prima tamen miſſa in Natali Domini in quibusdam locis clauditur per *benedicamus Domino*.“ Quod ego paſſim in ordinibus operis Dei, ac miſſalibus tam Mſſ. quam editis, ſuperioris quoque ætatis, notatum reperi, etiam ad ſecundam miſſam, ubi eadem occurrit ratio. Plura in eam rem
Explic. p. 664. afferunt Le-Brun, & De-Vert, qui rem clare explicat, quomodo ſtante
T. III. pag. 415. eadem ratione diebus ieiunii, ac vigiliarum *Benedicamus Domino* loco *Ite miſſa eſt* dicatur, occurrentibus ſcilicet officiis *nonæ* vel *veſperæ*. Nihil vero de hoc reperio in antiquioribus monumentis, nec etiam, quod in miſſis defunctorum loco *Ite miſſa eſt* dici ſolet, *Requieſcant in pace*, cum nonnullis additionibus in ſuperioris ætatis miſſalibus: nonnunquam in præcipuis feſtis quædam interpolationes fieri ſolebant inter *Ite miſſa eſt*.

Benedictio populi.

XIII. Quod De-Moleon, & Le-Brun teſtantur de miſſalibus *Gallicis*, idem paſſim in *Germanicis* etiam impreſſis reperi, benedictionem nempe communem presbyteris, quæ hodie pontificibus propria eſt, *Sit nomen Domini benedictum &c.* cum peculiaribus haud raro formulis, antequam a Clemente VIII. uniformis ratio eſſet ſtabilita. „Unde non
Lect. 89. in Canon. miſſæ. videtur (inquit *Gabr.* Biel) quod illa verba, *ſit nomen Domini benedictum*, reddant benedictionem ſolemnem, cum communis uſus habet, quod etiam ſacerdotes hæc benedicendo proferant. Sacerdos igitur miſſa conſummata, benedicit populum, ut qui miſſarum ſolemniis interfuit, licentiatusque

que eſt abire ad propria, ſine ſpirituali munere non abſcedat, ac recedens ab infeſtationibus malis præſervetur, dicens ſecundum morem quarumdam eccleſiarum: *Cœleſti benedictione benedicat, & cuſtodiat vos divina maieſtas, & una Deitas Pater, Filius & Spiritus ſanctus.*" Quam eandem apud Clicthoveum habes, & quidem ante orationem *Placeat &c.* ſimilem fere refert De-Moleon p. 200. ex miſſali an. 1504. S. Crucis *Aurelian.* his verbis: „Erigat ſe, & cum patena ſignet ſe & benedicat populum: *Adiutorium noſtrum &c.*

De benedictionibus epiſcopalibus, quæ tribus conſtare ſolebant orationibus, atque ritu *Gallicano*, & *Mozarabico* ante *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* fiebant, diximus ſuo loco, prout eæ in antiquiori ſacramentario noſtro *ſan-Blaſiano* inveniuntur. At in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* & *ſan-Gallenſi* hic loci poſt Canonem & poſt communionem ſunt plures orationes cum titulo *Item benedictiones ſuper populum* eædem, ac in ſacramentario *Gelaſiano* habentur cum eodem titulo, ubi additur præterea *ſuper populum poſt communionem.* Sed reſpondent potius orationibus *ſuper populum*, de quibus paullo ante diximus.

Non dubito tamen benedictionem hic loci in fine miſſæ provenire ab illa benedictione, quæ notatur in antiquiſſimo ordine *Romano* in receſſu pontificis ad ſecretarium: „Deſcendente autem illo in presbyterio epiſcoſcopi primum dicunt *Iube domne benedicere.* ℟. *Benedicat nos Dominus. Amen.*" Et in capitulari ord. eccleſ. *Deinde redit pontifex ad ſacrarium cum omnibus ſacerdotibus & candelabris vel omni ornatu, ſicut prius exierat, & accepta benedictione de manu ipſius confirmatt ſingulos meros.* In iconibus veteribus noſtris *Alemannicis* epiſcopi, manum dextram ad benedictionem elevantes, repræſentantur plerumque compreſſis duobus poſterioribus digitis, tertio ſecundoque erectis cum pollice, quæ ratio paullulum a *Græco* benedicendi more differt, quem explicat, atque ex veteribus muſivis operibus exhibet *Io.* Ciampinius Veter. monument. P. II. cap. 9. & 19. de ſacris ædificiis a Constantino M. conſtructis cap. 4. ſect. 2.

Quando vero hæc benedictio etiam a presbyteris uſurpari cœperit, non liquet. *Micrologus* ſingulari capite 21. *de benedictione poſt miſſam: Prius tamen* (inquit) *ab epiſcopo, benedictus ſi adeſt: ſin autem, a presbytero, qui miſſas celebravit.* Dicit, hoc Leonem M. & Gelasium tantum indulſiſſe epiſcopo abſente, licet Damasus contrarium ſtatuiſſe videatur, *ſi tamen nos* (addit) *mendoſitas exemplaris non fefellerit:* Quodcunque illud fuerit. Opponit autem, quæ S. Hieronymus ad Rusticum *Narbonenſem* ſcribit hiſce verbis: „Si presbyter Chriſtum conſecrat, cum in

 altario

altario Dei ſacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Chriſtum etiam meruit conſecrare?" Et paullo poſt: „Hoc in eccleſiis tuis faciant, quod *Romæ*, ſive quod in Oriente, quod in *Italia*, quod in *Creta*, quod in *Cypro*, quod in *Africa*, quod in *Illyrico*, quod in *Hiſpania*, quod in *Britannia*, quod etiam ex parte per *Gallias*, quod in omnibus locis, ubi humilitas perſeverat." In concilio *Aurelian*. I. an. 511. ſtatuitur: „Cum ad celebrandas miſſas in Dei nomine convenitur, populus non ante diſcedat, quam miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat ſacerdotis." Mendoſe haud dubie legitur hic canon in collect. Reginonis demta particula negativa, quæ tamen in editione *Helmæſtadienſi* habetur. At nec ea ex lectione conſtat, an de hac benedictione intelligendus ſit canon in fine miſſæ, an de ea, quæ veteri ritu *Gallicano* ante communionem obtinebat, ſeu potius de oratione ſuper populum, de qua ſupra interpretati ſumus, auctoritate veterum & recentiorum doctorum, canonem concilii *Agathenſis* anni 506. Idem dici poteſt de eo, quod in coll. Anſegiſi habetur: „Ut intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad miſſarum ſollemnia, & non exeant ante completionem benedictionis ſacerdotalis." Alia eam ad rem ſupra notavi.

C. 28.

C. 196.

Lib. VI.

Obſerva autem, quod apud Burchardum lib. II. refertur ex concilio *Ven.* c. 20. „Ut nullus in diebus dominicis genua flectat: nec a Paſcha uſque ad octavas Penteſtotes. Benedictionem ſuper plebem facere presbyteris non licet in dominicis diebus, vel in aliis feſtis, populo in eccleſia conveniente." De urbis *Remenſis* metropolitana eccleſia refert Ruinart in *itinere lit.* per *Alſat.* & *Lotharing.* in fine miſſæ neminem unquam, niſi archiepiſcopum benedicere; ſed dicto per diaconum *Ite miſſa eſt*, niſi adſit archiepiſcopus, omnes in ſacriſtiam reverti. In eccleſia *Altiſiodorenſi* S. Stephani ſacerdotem nec benedictionem dare, nec evangelium S. Ioannis ad altare dicere, perhibet De-Moleon in *itinere liturg.* p. 159.

Apud Caniſ. T. III. P. I. p. 397.

Opp. poſth. Mabill. T. III. p. 495.

Cætera cum receſſu ab altari.

XIV. „Poſtquam diaconus dixit *Ite miſſa eſt* (ut habet miſſa Illyrici) veniat ſacerdos ante altare, & oſculando dicat. *Placeat tibi ſancta Trinitas &c.*" Idem pariter in ordinibus precum miſſæ *ſan-Blaſiano* & *ſan-Gallenſi*, & aliis ſimilibus apud Menardum ac Martenium iuxta hodiernum etiam uſum notatur, absque tamen eo, quod ſequitur in miſſa Illyrici: „Finita miſſa accedat ad altare, & oſculetur illud dicens: *Meritis & interceſſionibus beatæ Mariæ ſemper virginis & iſtorum atque omnium Sanctorum ſuorum miſereatur noſtri omnipotens Deus qui vivit & regnat &c.*"

&c." Concordant dicti ordines precum cum hodierno uſu, additis vero non paucis orationibus præſertim in miſſa Illyrici cum hac rubrica: „Expletis omnibus epiſcopus de altari ad ſacrarium rediens cum diaconibus & cæteris, quibus voluerit, cantet hymnum *trium puerorum*: *Benedicite omnia opera &c.*" Ubi tamen Micrologus & poſt eum Ra- *C. 22.*
dulphus *Tungrenſis* falluntur in explicatione concilii *Tolet.* IV. de hoc *Prop. 32.*
hymno *trium puerorum* ritu *Mozarabico* non hic loci, ut iam ſupra obſervavi, ſed in ipſa miſſa inter lectiones decantando. „Deinde (ſunt verba *Micrologi*) ſacris veſtibus ſe exuens cantat hymnum *trium puerorum*, iuxta quod Patres in quarto *Toletano* concilio decreverunt capitulo 14. videlicet ut excommunicationi ſubiaceret, quicunque ſacerdos eundem hymnum poſt miſſam dicere negligeret. Pſalmum quoque *Laudate Dominum in Sanctis eius* in gratiarum actione ſubiungens cum *Pater noſter*, & verſibus ad hoc competentibus, concludit eam cum oratione illa. *Deus qui tribus pueris &c.*" Oratio hæc quod ultimo loco in miſſa prima cottidiana ſacramentarii *Gallicani* notetur cum hoc titulo: *oratio poſt benedictionem*, nempe poſt hymnum *benedicite*, coniicio, hic etiam pro gratiarum actione in ea ſaltem miſſa quotidiana hymnum illum cum oratione dictum fuiſſe.

In concilio *Salegunſtad.* an. 1022. ſingulariter de evangelio & miſſis pe- *T. III.*
culiaribus cavetur in hunc modum: „Quidam laicorum, & maxime ma- *Conc. Germ.*
tronæ habent in conſuetudine, ut ſingulos dies audiant evangelium: *In* *p. 56. & 59.*
principio erat Verbum; & miſſas peculiares, hoc eſt, de Sancta Trinitate, aut de S. Michaele. Et ideo ſancitum eſt in eodem concilio, ut hoc ulterius non fiat, niſi ſuo tempore, & niſi aliquis fidelium audire pro reverentia Sanctæ Trinitatis voluerit, non pro aliqua divinatione." Nuſpiam vero aliquid de evangelio S. Ioannis in antiquis monumentis occurrit ante ſæculum XVI. ut De-Vert, De-Moleon, Le-Brun, & alii notarunt, dum ſacerdos veſtes exueret, aut in receſſu ab altari dici primum ſolito, prout id hodie, uti multa ex veteri inſtituto, ſervatur in miſſa pontificali.

In mſc. ordine miſſæ monaſterii *Urſineuſis*, qui adhuc ad ſæculum XV. referri queat, benedictio ante *Placeat* præſcribitur, uti etiam in miſſali ſæc. XIII. eiusdem monaſterii: „Poſtea oſculatur altare, & erigens ſe dicit, *Dominus vobiſcum. Initium ſancti evangelii ſecundum* Ioannem. *In principio.*" Martenius de antiquis monachorum ritibus primam eius *Lib. II. c. 4.*
mentionem occurrere ſibi teſtatur in ordinario *Burſfeldenſium.* Sequentia *n. 19.*
autem præſcribuntur in miſſali Ord. S. Bened. reformatorum nigrorum *Burſfeld. Badenſis* ed. 1608. per *Germaniam*: „Subiungitur, niſi ſit pro de-

defunctis, *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace amen. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Oremus cœleſti benedictione bene✠dicat nos omnipotens Pa✠ter & Fi✠lius & Spiritus ✠ Sanctus Amen. Placeat tibi &c. Dominus vobiscum. Initium S. evangelii ſecundum* IOANNEM. ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam &c.* Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus dirige actus noſtros &c.* Ant. *Trium puerorum.*"

Eulogiæ.

XV. Eſt hic etiam aliqua *eulogiarum* mentio ingerenda. In conſtitutionibus apoſtolicis lib. VIII. caput 31. Περὶ περισσευμάτων, ſeu *de iis, quæ ſuperſunt*, aut *de reliquis* inſcribitur, quod apud S. HIPPOLYTUM de *Chariſmatibus* titulum habet περὶ εὐλογιῶν, eſtque huius ſententiæ: „*Eulogiæ*, quæ poſt ſumta myſteria ſuperſunt, de ſententia epiſcopi aut presbyterorum, diaconi diſtribuant clero. Epiſcopo quatuor partes, presbytero duas partes, diacono partem unam: reliquis autem hypodiaconis, lectoribus, pſaltis aut diaconiſſis partem unam." In Conſtitutionibus apoſtolicis presbyteris aſſignantur partes tres, diaconis duæ, quæ etiam *ſportulæ* vocabantur, unde & *fratres ſportulantes* apud S. CYPRIANUM leguntur, non ii tamen, qui *eulogiarum* ſic dictarum erant participes. Hoc nomine primitus ipſa etiam Euchariſtia ad abſentes miſſa in ſignum mutuæ communionis veniebat. Quam in rem antiquiſſimum apud EUSEBIUM legitur teſtimonium in epiſtola S. IRENÆI ad VICTOREM Pont. *Rom.* ob diſſenſum eccleſiarum *Aſiaticarum* de tempore celebrandi Paſchatis, ut VICTOREM a rumpenda pace abſterreret exemplo anteceſſorum PII, HYGINI, TELESPHORI, SIXTI, qui „pacem (inquit) inter ſe & concordiam perpetuo retinuerunt, ac nunquam propter iſtum varium illius feſti obſervandi modum fuere ulli aliquando ab Eccleſia eiecti; ſed presbyteri illi, qui te anteiverunt ætate, tametſi minime illud ita obſervabant, his tamen epiſcopis, qui in aliis eccleſiis idem ſic obſervabant, Euchariſtiam miſerunt." Conſtat etiam fermenti nomine eandem veniſſe, ſucceſſuque temporis religioni ductum fuiſſe ipſam mittere Euchariſtiam, ſeu εὐλογίας μυστικὰς, ut in epiſtola CYRILLI *Alexandrini* ad NESTORIUM vocantur. Pertinet huc concilii *Laodicenſis* canon 14. „Sanctas oblationes ad vicem *Eulogiarum* per feſtivitatem paſchalem ad alias parochias mitti minime oportet."

T. II. Bibl. PP. ed. nov. Venet. 1766. p. 507.

Lib. V. hiſt. eccl. c. 24.

Referri huc etiam poteſt, quam EVAGRIUS notat in Hiſtoria eccleſiaſtica antiquam eccleſiæ *Cpolitanæ* conſuetudinem: „Si quando multæ particulæ immaculati Corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, ut impuberes pueri, qui ſcholas frequentabant, accerſerentur, qui eas manducarent." Sic in concilio *Matiſconenſi* can. 6. legitur ſtatutum: „Quæcunque reli-

Lib. IV. c. 36.

quiæ

quiæ ſacrificiorum poſt peractam miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocentes ab illo, cuius intereſt, ad eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio, eaſdem reliquias vino percipiant.

Neque vero huius generis reliquiæ oblationum ſunt, de quibus canon ſeptimus THEOPHILI *Alexandrini* hæc ſciſcit: „Quæ in ſacrificii rationem offeruntur, poſteaque in Sanctorum uſum conſumuntur, clerici dividant, & nec catechumenus ex iis bibat aut comedat, ſed ſolum clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres.“ De Catechumenis dicemus poſtea: quod ad præſens vero argumentum attinet, noſtramque *Alemanniam*, BURCHARDUS [*Lib. V. c. 27.*] in decreto, ceu ex epiſtola PII P. refert canonem concilii *Nannetenſis*, cum ſubiecta oratione ad oblationes ſeu eulogias benedicendas: „Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad eccleſiam, vel certe de ſuis presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, ut poſt miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt parati, *eulogias* omni die dominico, & in diebus feſtis inde accipiant, & illa, unde *eulogias* presbyter daturus eſt, ante in hæc verba benedicat. Oratio ſimplex *eulogiæ*: *Domine ſancte Pater &c.*

Apud HINCMARUM idem ſtatutum habes Capitulari I. c. 7. In libello inquiſitionis: „De his, quæ epiſcopus, vel eius miniſter in ſuo diſtrictu inquirere debet,“ habetur art. 61. *Si de oblationibus, quæ a populo of-* [*T. II. Conc. p. 440.*] *feruntur die dominico, & in diebus feſtis expleta miſſa eulogias plebi tribuat.* In ſermone ſynodali RATHERII *Veronenſis*, ac iiſdem verbis in [*T. III. Concil. Germ. p. 7.*] altero edito ex codice *Neresheimenſi Auguſtanæ* diœceſis, cuius auctor S. UDALRICUS creditur, hoc etiam ſtatuitur; „*Eulogias* poſt miſſam in diebus feſtis plebi tribuite.“ HONORIUS *Auguſtodun.* „Statutum eſt (inquit) ut [*T. XI. Conc. ed. Ven. pag. 1077.*] panis poſt miſſam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur: hoc & eulogia dicebatur.“ DURANDUS conſtitutionem hanc tertiam notat, ut „Pro communione, quæ ſingulis diebus domini- [*Gemma an. lib. I. c. 67.*] cis fieri ſolebat, daretur in diebus dominicis panis benedictus ſanctæ communionis vicarius, qui & εὐλογία dicitur.“ Monachis in refectorio di- [*Ration. lib. IV. c. 53.*] ſtribuebatur illa, ut ex UDALRICI conſtit. *Cluniacenſ.* lib. II. c. 30. probat MABILLONIUS præfat. I. in ſæc. III. *Bened.* Et monachi *Fuldenſes* in libello ſupplici ad CAROLUM M. poſtulant: *ut communicationem fracti panis ante cibum quotidie ſumere non reſpuatur, ſecundum exempla præcedentium Patrum.* Synodus *Aquiſgr.* an. 817. c. 68. ſtatuit, *ut eulogiæ fratribus a presbyteris in refectorio dentur.* Hæc ibi MABILLONIUS, qui dicit ſe aliquando vidiſſe priſcarum eulogiarum uſum in quibuſdam parœciis diœceſis *Remenſis*; ego vero in diœceſi *Senenſi* & *Tullenſi* iter faciens ipſe fui particeps factus ſolemni aſſiſtens ſacrificio. Eius rei etiam

PAME-

Pamelius meminit in notis ad S. Cypriani ſermonem de *eleemoſyna*, memoratque apud *Græcos* adhuc ſervari hunc ritum, benedicti panis, quem ἀντίδωρον appellant. *Chriſtoph.* Browerus ad laudatum libellum ſupplicem monachorum *Fuld.* ad Carolum M. lib. III. antiq. *Fuld.* etiam ad regulam S. Benedicti provocat, in qua caput 54. ſic inſcribitur: *An debeat monachus litteras vel eulogias accipere?* ſed generatius ibi accipi, textus palam facit: *Nullatenus liceat monacho neque a parentibus ſuis, neque a quoquam hominum, nec ſibi invicem litteras, aut qualibet munuſcula accipere, aut dare, ſine præcepto abbatis ſui.*

Apud Goldaſt. Rer. Alem. T.I. p. 22. Ad noſtram vero *Alemanniam* ſpectat, quod apud Ekkhardum iuniorem de caſibus monaſterii S. Galli c. 2. legitur de die ſolemni Paſchæ: „Communione autem finita, quaſi presbyter ille feſtinus, tanquam populo ſuo adhuc officium facturus ingreditur, manibus apprehenſos ad aram duxit, pixide communionis aperta, fletu perfuſos communicavit, & feſtinans quaſi ad ſuos rediturus reveſtiri eos, & epulari pace & oſculis datis edixit & rediit. Lætati quoque ſunt omnes talis viri auctoritate illos communicatos. Diem tandem in læticia & eleemoſynis agentibus, parteſque presbytero illi ſancto, & eulogia per equitem mittentibus &c." Eſt hoc aliud eulogiarum genus, quales potiſſimum reſurrectionis dominicæ die mitti ſolitas, diſcimus ex indiculo *epiſcopi ad alium* in reſurrectione Domini eulogias dirigendo in Marculphi formulis lib. II. n. 42. Huc ſpectat can: 14. concilii *Laodiceni: Quod ſancta nullo modo inſtar eulogiarum per paſchale feſtum ad alias parochias ſint deſtinanda.* In eodem conc. cavetur *Non oportere ab hæreticis eulogias accipere.* Idem in concilio *Bracar.* II. c. 70. repetitur. Sic narrat Gregorius *Turon.* lib. V. hiſt. c. 14. Meroveo apoſtatæ ſe eulogias negaſſe. Levior cauſa induxit Carolum M. ne ab epiſcopo ipſe acciperet, ut narrat monachus *S. Galli* lib. I. c. 13. „Ab alio epiſcopo cum benedictionem peteret, & ille ſignato pane primum ſibi perciperet, deinde honeſtiſſimo Carolo porrigere voluiſſet, dixit ei: *Habeas tibi totum panem illum*; & ſic eo confuſo benedictionem illius accipere noluit." Sunt, qui fermentum in vita Melchiadis ac Siricii, & in epiſtola Innocentii ad Decentium de his eulogiis potius, quam conſecrato pane intelligant, ut videre eſt apud *T.IV. Variorum. p. 525.* Sirmondum diſquiſ. de Azymo c. 5. In S. Paulini epiſtolis frequens eſt miſſitatio *panis eulogiæ*, ut vocat in ep. ad Alypium & S. Augustinum, qui viciſſim eidem miſit.

Alterius generis ſunt, de quibus etiam apud S. Augustinum in ep. Valentini abb. & in epiſtolis S. Bonifacii paſſim fit mentio, diverſa munuſcula ſub eulogiarum nomine. De his omnibus copioſe agit Gretserus

ſerus lib. II. de benedictionibus c. 24. &c. Breviter vero ac ſolide *Gabr.* Albaspinæus lib. I. obſervat. 8.

XVI. Nec omitti hic debent *Agapæ* ſeu convivia quædam ſacra Chriſtianorum, ac collectæ eleemoſynarum, de quibus in epiſtola D. Pauli ad *Corinthios*, & in S. Iudæ catholica epiſt. ỳ. 12. a) ipſum nomen occurrit, de quo Tertullianus in Apolog. mox laudandus: unde palam fit, quæ iam vitio verterat D. Paulus, ea in bonum fuiſſe converſa pio fidelium ſtudio. Ethnicorum nihilominus criminationes incurriſſe ex Origene diſcimus primi ſtatim contra Celsum libri initio. „Primum (inquit) contaminationis caput Celso eſt, a Chriſtianis clancularios conventus haberi ſolere, legibus vetitos. Nam conventus alios propalam celebrari legitime, alios occulte fieri, eosque damnari legibus. Quæ eo tendunt, ut calumnietur *Agapen*, quam Chriſtiani occulte communis periculi metu inſtituant, ſitque validior omni Sacramento." S. Clementis *Alex.* locum cum aliis in Princ. theol. liturg. S. I. c. 2. §. 26. retulimus: quo a minus ſobriis convivationibus id nomen removet: „Has enim (addit epulas *ἀγάπας*) id eſt charitates non vocavit Dominus." Aliter deſcribit haſce pias *Agapas* Constantinus Imp. Orat. ad Sanctos. *Sobria convivia celebrantur a multis, tum ad mendicorum, qui patria & bonis exciderunt, inopiam ſublevandam &c.* In concilio *Gangrenſi* anathemate perſtringitur: *ſi quis contemnat eos, qui agapas ex fide faciunt, & propter Dei honorem fratres convocant, ſit anathema.* Legitur canon iſte in decreto Gratiani diſt. 42. c. 1. in eum vero ſic commentatur Zonaras: „Antiqui moris olim fuit apud fideles, ut ſacrorum myſteriorum participatione refecti, ſimul ad epulandum poſtea convenirent, ita ſcilicet, ut cibis e ditiorum penu ſubminiſtratis, ad convivium ipſi quoque pauperes ab eisdem advocarentur. . . Quod autem convivia *Agapes* nomine hic canon ſignificare voluerit, quadrageſimo ſynodi *Carthaginenſis* canone indicatur, quo in eccleſiis convivia quomodocunque celebrari vetantur, neve epiſcopis aut clericis convivia inſtituere liceat, interdicitur." Et Balsamon in eundem canonem: „Aliis canonibus vetitum eſt fieri *agapas*, id eſt, fraternitates, & convivia. Quia autem nonnulli, ut eſt veroſimile, eos etiam reprehendebant, qui bono inſtituto, & propter Dei honorem faciebant *Agapas*, & egentium fratrum miſerabantur, & nolebant eis communicare bona opera agentibus, vilipendentes id, quod fit in Dei honorem, ſtatuerunt Patres eos anathematizari. Quare ex hac diſpo-

Agapæ. a C. 12. C. 11.

a) *Αυτοί εισιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες.*

ſpoſitione condemnatur quiſpiam, qui facit *Agapas*, vel non." Sic in concilio *Laodic.* c. 28. ſtatuitur: *Non oportere Agapas in dominicis ſeu eccleſiis facere; neque in domo Dei manducare.* Et ex concilio *Carthaginenſi* BURCHARDUS refert canonem in decreto: *Ut nulli epiſcopi vel clerici in eccleſia conviventur, niſi forte tranſeuntes hoſpicii neceſſitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiusmodi conviviis, quantum fieri poteſt prohibeantur.*

Agente id potiſſimum S. AUGUSTINO, exemplo vero præeunte *Mediolani* S. AMBROSIO, factum fuit, ut in memoriis martyrum convivia eiusmodi ob abuſus abrogarentur. Nihilominus rem ipſam contra FAUSTUM *Manichæum* defendit: *Nec ſacrificia gentilium vertimus in Agapes, ſed ſacrificium illud, quod paullo ante commemoravi, intelleximus, dicente Domino: Miſericordiam volo, quam ſacrificium.* Sacrificium nempe intelligit, de quo ibidem: *Agapes noſtræ pauperes paſcunt, ſive frugibus ſive carnibus.* Item: *Plerumque in Agapibus etiam carnes pauperibus erogantur.* Ab hoc pio uſu deflectebant convivia illa, quæ apud magnates ſublimioresque perſonas remanſiſſe ex *Georgio* CUROPALATO de officiis palatii *Cpolitani* notat *Ioannes* CIAMPINI; hucque revocat conviviorum gratia *Romæ* a ſummis pontificibus inſtaurata triclinia. Taceo ob baptiſmum celebrari paſſim ſolita convivia, & de quibus ſynod. II. *Moguntina* c. 16, parochos & eccleſiarum miniſtros monet: „ut mane intra officia divina, aut mox poſt ea peracta cum multa ſobrietate & accurata devotione baptiſmum adminiſtrent, commeſſationes vero & parum ſobria convivia, quæ quibusdam in locis poſt baptiſmum fiunt, per civiles magiſtratus inhiberi, aut ſaltem ad moderationem chriſtianis dignam reduci volunt Patres." Ad rem magis eſt, quod peculiari capite 119. apud BELETH de offic. div. agitur *de parvo prandiolo in Paſchate, quando communicatum eſt*: ad inſtar quoddam primæ *Agapum* inſtitutionis. Eo nomine etiam utitur WARNEFRIDUS de geſtis *Longob.* lib. I. c. 26.

Lib. XX. c. 20.

Vet. monum. P. II. c. 21.

Signat adeſſe dapes Agapes, ſed lividus obſtat.

Id enim vero de *Agapis* notandum, quod *Gabr.* ALBASPINÆUS obſervat. 18. lib. I. probatum it, in *Agapis* nullam fuiſſe Euchariſtiæ mentionem, nec ibi ſumi omnino aut conſecrari ſolitam. Diebus igitur dominicis, poſtquam iam ante lucem iuxta celebratam PLINII ad TRAIANUM epiſtolam conveniſſent, ad Euchariſtiam nempe, rurſus omnes die dominico coibant, veſpere ad *Agapas* in privatam aliquam domum, ubi poſt fuſas, ut rem ex TERTULLIANO potiſſimum explicat l. c. ALBASPINÆUS,

ad

ad Deum preces ſimul cœnabant, cœnati manus abluebant, candelas cereosque accendi iubebant, Deum precabantur, precibus functi, ſcripturam ſacram legebant, quo peracto præſes unum aliquem a cœtu de fide ſua interrogabat, mox inter ſe omnes de rebus divinis ſermones ſerebant, pecunias aliquas colligebant in alimenta viduarum, inopum, & pupillorum, naufragorum, atque martyrum.

Nemo dubitat *Agapas* originem ſuam ab apoſtolis ducere, eſſeque δεῖπνον κυριακὸν ab apoſtolo expoſitum I. *Cor.* XI. 20. &c. *Convenientibus vobis in unum iam non eſt dominicam cœnam manducare.* Graves vero interpretes, quos inter ex recentioribus Maldonatus & Estius (qui ſtudioſe imprimis in hoc argumento verſatus, antiquorum etiam Patrum ſententiam diſcutit) negant Paulo de Euchariſtia ſermonem eſſe; ſed cœnam ibi dominicam vocari convivium commune, *Agapas* nempe, in quibus promiſcue fideles divites & pauperes epulabantur. Qua de re quidquid ſit, Iustinus M. qui ſæculo poſt apoſtolicum altero circa annum ſcilicet 150. Antonino *Pio* primam ſuam pro Chriſtianis obtulit apologiam, ordinem ac ſeriem ſacræ ſynaxis n. 66. & 67. deſcribit, nec verbo quidem *Agaparum* meminit. Plinius vero iunior, auctoris ſcilicet hiſtoriæ naturalis ex ſorore nepos proconſul in *Pontum* & *Bithyniam* a Traiano miſſus, ad imperatorem de conventibus Chriſtianorum referens, tempus expreſſis diſtinguit verbis utriusque conventus ad Euchariſtiam & convivium: „Chriſtianos nempe ſtato die ante lucem convenire, carmenque ſecum invicem Chriſto dicere, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent. Quibus peractis morem diſcedendi fuiſſe, rurſusque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium.“ Eſſe hic de *Agapis* ſermonem *Auguſtus* Buchnerus probavit in commentario animadverſione 724. ad epiſtolam illam, quæ eſt lib. X. nonageſima ſeptima, notatque inter alios Baronius ad an. 104. Add. *Ioh.* Vossius in commentario ad laudatam Plinii epiſtolam, & *Iac.* Pamelius in not. 24. ad Tertulliani Apologet. c. 2. ubi mentio fit eius Plinii epiſtolæ, atque antelucanorum chriſtianorum conventuum, omiſſa tamen altera de conviviis ſeu *Agapis* parte, ut tamen idem antiquiſſimus e *latinis* Patribus auctor poſtea in eodem apologet. cap. 39. *Agapas*, ſeu convivium veſpertinum pluribus deſcribat: „Cœna noſtra (inquit) de nomine rationem ſui oſtendit, id vocatur, quod dilectio penes *Græcos*. Quantiſcunque ſumtibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumtum. Siquidem inopes quosque refrigerio iſto iuvamus, non qua penes vos paraſiti

pag. 83

affectant ad gloriam famulandæ libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi; ſed qua penes Deum maior eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate, qui fit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: Editur, quantum eſurientes cupiunt: bibitur, quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde diſceditur non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam diſciplinam." At in abuſum etiam iam tunc veniſſe, maleque uſurpatum nomen *agaparum* ex Clementis *Alexandrini* Pædag. lib. II. diſcimus: „Eſcæ ventri, ex quibus hæc carnalis, & quæ interitum parit, vita dependet: quam audent nonnulli *Agapen* vocare, effrenata lingua utentes: nempe quædam prandiola, nidorem & ius redolentia. Pulcrum ac ſalutare verbi opus, ſacram *Agapen*, ollis neſcio quibus, & liquido iure dedecorantes, potuque, delitiis, & fumo illud nomen maledicto proſequentes, falluntur exiſtimatione, ut qui Dei promiſſum prandiolis ſe poſſe emere exſpectaverint. Quæ enim lætitiæ cauſa fiunt congregationes, ipſi quoque recenſentes & cænulas, & prandia, & epulas, hanc cœtum iure vocaverimus, rationem ſequentes. Has enim epulas *agapas* non vocavit Dominus." Brevius nec minus tamen ſignificanter S. Gregorius *Nazian.* in præceptis ad virgines uſurpationem pravam nominis damnat;

- - - - Hoſtis
Sæpe animis & mente pares collegit in unum,
Et lucis ſpeciem præſetulit, atque decorum
Cognomentum Agapes ſubiit: mox callidus omnem
Ex animo ad carnes vicinas flexit amorem,
Et flammam, aut flammæ triſtiſſima ſigna reliquit.

Quis vero in animum ſibi inducat, cum iſtiuſcemodi epulis coniunctam
Lib. VII. C. 29. fuiſſe S. Euchariſtiæ celebrationem? Nihilominus Sozomenus & Socra-
Lib. V. c. 1. tes hiſtor. eccleſ. quarumdam eccleſiarum morem memorant, in *Ægypto* præprimis, poſt cœnam vulgarem exemplo Chriſti celebrandi Euchariſtiam. Idque

Idque in *Africa* obtinuiſſe anniverſaria die Cœnæ Domini palam fit ex ſequenti S. AUGUSTINO a IANUARIO propoſita quæſtione: „ Quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadrageſimæ fieri debeat, an offerendum ſit mane, & rurſus poſt cœnam, propter illud quod dictum eſt, *ſimiliter poſtquam cœnatum eſt*: an ieiunandum, & poſt cœnam tantummodo offerendum, an etiam ieiunandum, & poſt oblationem, ſicut facere ſolemus, cœnandum.“ Revocat autem S. AUGUSTINUS in reſponſione hunc morem ad id genus obſervantiæ, *quod per loca regionesque variatur.* Id univerſæ eccleſiæ in more poſitum teſtatus, *quod a ieiunis ſemper accipiatur. Ex hoc enim*, addit, *placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim, quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant, quos apoſtolus arguit, & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Namque Salvator, quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat, Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, ut apoſtolis, per quos eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet. Cum vero ait apoſtolus de hoc Sacramento loquens:* Propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate: ſi quis eſurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis: *ſtatim ſubtexuit:* Cætera autem cum venero, ordinabo. *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat eccleſia) ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit tanquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri, & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini. Honeſtius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam ieiunaverit, poſt refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem poſſit recurrere.*

Epiſt. 54.

Volui omnia hæc ex Sancto Doctore exſcribere, ut plenius de illius ſententia conſtet, quoad eam etiam apoſtolo memoratam Cœnam dominicam, quam cum Euchariſtia coniunctam putavit, perinde ac S. CHRYSOSTOMUS etiam poſt apoſtolorum tempora *agapas* illas, ut tamen poſt myſteriorum communionem initas exiſtimaverit. „ Statis diebus (in illum apoſtoli locum perorat) menſas faciebant communes, & peracta ſynaxi poſt myſteriorum communionem, commune inibant convivium, divitibus quidem

Homil. 27. *in ep.* 1. *ad Corinth.*

 cibum

cibum afferentibus, pauperibus autem, qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus.“ Poſſunt hæc conciliari etiam cum illis, quæ ſupra ex Plinio de duplici conventu fidelium attulimus, atque ſignificantius adhuc, quæ idem alibi in homilia ſuper verba apoſtoli *Oportet hæreſes eſſe*, in eandem dicit ſententiam: „Diebus ſolemnibus menſas communes & publicas præparabant, & poſt myſteriorum communionem egregio conventu omnes ſimul in communia convivia deſcendebant, & qui divites cenſebantur, epulas atque obſonia in medium afferebant, & pauperes ac nihil habentes ad publica, & in commune propoſita prandia convocabantur, atque una eodem convivio veſcebantur. Verum morem hunc etiam impoſterum aboleverunt.“ Sic nempe in concilio *Laodiceno* ſtatutum eſt canone 28. *Non oportet in dominicis ſeu eccleſiis agapen facere, aut in Dei domo comedere, vel accubitus ſternere.* Idem ſtatuit concilium *Carthaginenſe* III. can. 45. & *Trullanum* can. 74. ubi tamen diverſam interpretum ſententiam notat Balsamon de voce κυριακὸς, quam Zonaras pro eccleſia paſſim canones accipere recte annotavit, eo etiam conviviorum genera in natalitiis martyrum, nuptiis, funeribus, dedicatione eccleſiarum celebratorum refert. Hæc a recto aberrare proclive admodum fuit. Quare S. Gregorius *Nazianz.* in libello de Vitæ differentiis „Non inſuper (inquit) ad ſacrum aliquod epulum vel natalitium, vel funebre, vel connubiale cum plurimis currens omnia partim ipſe comedam, partim aſſeclis h. e. rapacibus *Briarei* manibus obiiciam, feroque cibis onuſtus, ac vivum quoddam ſepulcrum trahens, aqualiculo miſere diſtento atque vexato, domum redibo, vix præ ſaturitate ſpiritum ducens, & tamen ad alias epulas, nondum exhalata ac diſcuſſa priore crapula, feſtinans.“ De huiusmodi conviviis plura coacervavimus in opere de Cantu & Muſica ſacra ob cantilationes, & balationes ſeu ſaltationes coniunctas, in quas paſſim SS. Patres invehuntur, atque de paganorum obſervatione remanſiſſe dolent. a) Eo pertinet canon 9. concilii *Altiſiodorenſis* an. 590. *Non licet in*

eccleſia

a) S. Augustinus omnem movit lapidem ad eliminandas has ineptias, nihilominus S. Cæsarius, vel quisquis eſt auctor ſerm. 265. in append S. Augustini T. V. reperit adhuc, quod quereretur: „Iſti infelices (inquit) & miſeri homines, qui „balationes & ſaltationes ante ipſas baſilicas Sanctorum exercere nec metuunt, „nec erubeſcunt, & ſi Chriſtiani ad eccleſiam venerint, Pagani de eccleſia revertuntur, quia iſta conſuetudo balandi de Paganorum obſervatione remanſit.“ Indultum eſt aliquid primum in feſtorum celebratione, ut a convivationibus profanis natalitiis revocarentur Chriſtiani. Faciunt huc *oblationes natalitiæ*, Tertulliano in libro de Corona militis, memoratæ. Diſſertius vero, quæ apud Origenem Homil. 8. in *Levit.* leguntur: „Et ut ſcias, eſſe in hoc grande, neſcio „quid, & tale, quod nulli Sanctorum „ex ſententia venerit, nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem feſtum vel „convivium magnum egiſſe in die nata-

eccleſia choros ſecularium vel puellarum cantica exercere, nec convivia in eccleſia præparare, quia ſcriptum eſt, domus mea domus orationis vocabitur. Convivia hæc, in lætitiæ ſignum inita, minus tuentur nomen *agaparum* in refocillationem pauperum.

Unde etiam, poſtquam ſacra illa convivia, ſeu *agapæ* ceſſarunt, id nomen transſumtum eſt ad collectas eleemoſynarum: quo pertinent in antiquis noſtris ſacramentariis orationes, ac miſſæ ad *agapen pauperum* ſeu *Pro agapen facientibus.* S. CAROLUS, *Borromæus* in concilio provinc. I. curare vult epiſcopos, „ut retento piæ eleemoſynæ inſtituto tollantur publicæ illæ comeſſationes, cæteraque huius generis, quæ a ſodalitatibus, quas confratrias, vel confraternitates vocant, præſertim intra ambitum eccleſiarum die Pentecoſtes, & die Cœnæ Domini, & certis aliis ſolemnibus feſtis diebus pietatis ſpecie fieri ſolent, non ſine bonorum offenſione.“ Haud raro in antiquis calendariis & necrologiis *Alemannicis* nomen *Staupus*, *Stoupus* occurrit. KERONI in Gloſſar. *Stoupus* dicitur ciphus certæ menſuræ. Vide alia apud DUCANGIUM, veluti in charta *Laurishamenſi:* „Undecima vero *huba* villicationi attinet, quatenus inde 8. parapſides, 8. ſtaupi, unum mortarium in Natali Domini, 40. quoque ſcutellæ in Paſcha fratribus miniſtrentur. In Ephemeridibus monaſterii *S. Galli* 3. Non. *Aprilis*: „Ille inſtituit in S. die Paſchæ ſtoupum cum ciſo & maiori leibunculo.“ *Leibunculus* germanice *Leib*, *Laib*, portio panis. Ibidem 8. Id. *Aprilis*: „In cuius anniverſario datur minor *ſtoupus* de balnea *ſtupa* retro muros.“ Alia loca adnotavit DUCANGIUS ex his ephemeridibus & ex GOLDASTO in Anniverſariis *Alem.* T. II. p. 190. & ſequentibus. Porro reperio id nomen pro deſtinatione pecuniarum ex oblationibus vel legatis ad annuas certis anni diebus ac feſtis elargitiones. In ordine divini officii mſc. an. 1260. ſecundum conſuetudinem chori præpoſituræ *Turicenſis* recenſentur præcipua feſta, quibus theſaurario ſeu cuſtodi datur *ſtaupus*, videlicet IIII. denarii monetæ uſualis. Et in die Natalis Domini de tribus miſſis unus ſolidus eiusdem monetæ: reſervata ſibi nihilominus in prædictis feſtis de publicæ miſſæ oblationibus *ſtaupi* canonica portione &c. Theſaurarius ſeu cuſtos de oblationibus ad S. Crucem in Paraſceve dabit *ſtaupos* cantori, ſacerdoti, diacono, duobus ſubdiaconis cuilibet IIII. denarios monetæ uſualis.“ Magis

P. III. Conſtitut. cap. de piorum locorum adminiſtrat.

„ lis filii vel filiæ ſuæ. Soli peccatores „ ſuper huiusmodi nativitate lætantur. Invenitur enim in veteri teſtamento PHARAONEM, in novo teſtamento vero HERODEM. Uterque tamen eorum ipſam „ feſtivitatem natalis ſui profuſione ſanguinis humani cruentavit. Ille enim „ præpoſitum piſtorum, hic S. prophetam „ IOANNEM obtruncavit in carcere. Sancti vero non ſolum non agunt feſtivitatem in die natalis ſui, ſed & Spiritu „ ſancto repleti exſecrantur hunc diem „ &c.

Magis ad rem eſt nomen ac uſus *Largæ*, germanice *Spenn*, *Spenda*, *ſpenden* (*Latinorum* exſpenſa, expendo, ac *Græcorum* σπένδω, σπένδη, *libo*, *libamen*, ſive oblatio uſu ſacro, haud abludit) pro eleemoſyna in anniverſariis mortuorum paſſim adhuc diſtribuenda tum in numerata pecunia, cum etiam cibo ac potu, pane & vino. Sic e. g. in libro Anniverſariorum eccleſiæ *Villinganæ* notatum reperi: *Debet dare largam de panibus. Idem Capellanus* (altaris S. Ottiliæ) *providebit duo ſepulchra eorum cum pane & vino, & candelis, ut moris eſt.* In eodem libro: *Urſula* Marpachin *legavit unum florenum Rhenenſem annui cenſus. Item panem, vinum, & candelam ad ſepulchrum.* Alibi: *Et debemus dare panem & vinum & candelam ad ſepulchrum cum duobus* miserere *&c.* Et ſic paſſim. Hæc & alia eiuscemodi ex antiquarum oblationum ac *agapum* more ſunt ſervatæ reliquiæ magis piæ, quam epulæ ac convivia fieri ſolita.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Digitized by Google

INDEX
PARTIS PRIMÆ.

Lit. *i.* denotat initium, *m.* medium, *p. i.* poſt initium, *c. m.* circa medium, *p. m.* poſt medium, *c. f.* circa finem, *f.* finem paginæ. *p. t.* integram pag.

A.

Ablutio poſt Comm. olim non ſumta. 398. *i.* Infantibus alibi miniſtratur. *ib. c. m.*
Abſida eccleſiæ, eiusque partes. 184. *m.*
Abſolutio data in miſſa Pont. 295. *c. m.*
Acolythi ſeptem ad miſſam Pont. 297. *c. m.*
Acta Martyrum ante miſſam lecta, 64. *p. i.* & in miſſa. 306. *c. f.* 307. *i.*
Ædes ſacræ olim dictæ Martyrium, Memoria, Baſilica &c. 178. *p. i.*
- - Earum variæ ſtructuræ. 179. & 180. *i.*
Afra (S.) Martyr *Auguſtæ.* 15. *m.*
- - Eius Capella. 180. *i.* & *f.*
Africanæ eccleſiæ liturgia. 63. *m.*
Agapæ olim frequentes, ob abuſus poſtea prohibitæ, 409. *p. i.* & *c. f.* 410. *i.* quo ritu celebratæ? *ib. c. f.* 413. *p. i.*
- - Earum nomine etiam veniunt collectæ eleemoſynarum. 415. *p. i.*
Agaunenſes martyres. 15. *p. i.*
Agnus Dei in quibusdam ſacramentariis plane deſideratur; in aliis ſemel tantum præſcribitur. 381. *p. i.*
- - Eidem cur tertio addatur: *Dona nobis pacem. ib. c. f.*
Agricola hæreſin Pelagii in *Britanniam* invehit. 30. *c. f.*
Albæ ſeu lineæ tunicæ talaris, 232. *m.* varia forma. 236. *m.* Eam alii poderem lineum dicunt. *ib. p. i.*
Albigenſium ex *Alemannia* proſcriptorum 54. *m.* errores. 55. *c. f.*
Alemanni Francis Auſtraſiis accenſentur 48. *p. m.* provincias *Romanas* infeſtant. 14 *m.* Decentium ſuperant. 16. *c. f.* fuſi poſtea a Iuliano. *ib.*
- - Eorum ſuperſtitioſus arborum &c. cultus, 24. *i.* Lex vero religioni utilis. *ib. c. m.*
Alemannia veteris limites. 3. *i.* & *m. a.* urbes. 20. *c. f.* fidei initia. 3. *m.* ſeqq. 9. *i.* Epiſcopi tempore S. Bonifacii. 40. *p. i.* & *c. f.*
Alemannicæ eccleſiæ miſer ſtatus ſæc. X. 53. *p. i.*
Alleluia quibus temporibus in *Africa* cani ſolitum. 64. *p. m.*
Alphonsus VI. Rex *Hiſp.* ritum *Romanum* præſcribit. 78. *p. i.*
Alſatia ſuperior quando receperit fidem chriſt. 9. *p. i.*
Altare unde dictum? 186. *p. i.* *Princeps* ubi poſitum? 188. *i.* *Germanis Fron-altar* nuncupatum. *ib.*
Altaria in eccleſiis plura. 187. *c. f.* cur non ſine reliquiis conſecrentur? 187. *p. i.* in quibusdam eccleſiis nuda, & demum ante ipſam celebrationem, 199. *m.* & ad Offertorium veſtiri ac ornari ſolita. 317. *i.*
- - Eorum varia nomina. 186. *m.* pallia. 199. *p. i.* & alia pretioſa tegumenta. 200. *i.* munditiea commendata. 199. *p. m.*
- - *Portatilium* origo, uſusque. 187. *c. m.*
Amalarius, *Paſib.* Ratperti, ut alii volunt, Adverſarius profitetur transſubſtantiationem. 163. *f.*
Amandus (S.) *Traiecti* Epiſc. 43. *c. m.*
Ambones Eccleſiarum. 185. *m.*
Ambroſiana de liturgia a *Romana* diverſa 66. *p. i.* quinam ſcripſerint? 65. *c. f.*
Ambroſianus ritus varie mutatus, repurgatus, & reſtitutus. 65. *m.*
Amen a populo reſponſum. 305. *i.*
Amictus dictus *Ephot*, in miſſa Illyrici. 235. *c. m.* it. Anabolagium. *ib.*
Amphibalum ſeu caſula. 245. *c. m.*
Ampullæ ad ſubminiſtrationem aquæ & vini. 214. *p. m.*
Analogium in eccleſia ubi poſitum? 185. *c. m.*
Annulus ſignum honoris Pontif. 255. *c. f.*
Annum eccleſiaſticum olim *Germani* a vig. Natalis Dni auſpicabantur. 96. *i.*
Anselmi (S.) ad Walerannum de diverſitate rituum reſponſio. 77. *i.*

INDEX

Antiphonarium & Reſponſale in *Galliam Roma* miſſum. 77. *m.*
Apologiæ variæ ante miſſæ initium. 295. *p. i.*
Aquileienſis eccleſia antiquiſſima. 4. *c. f.*
Aquisgranenſis eccleſiæ ſtructura. 182. *p. i.*
Arbon Romanorum *Felix arbor.* 34. *m.*
Argentoratenſes epiſcopi ſub *Merovingis.* 49. *m.*
Armeni qua liturgia utantur? 62. *c. f.*
Arnaldus *Brix.* *Turegi* errorum ſemina ſparſit. 53. *f.*
Audomarus (S.) *Burgundiæ* Apoſtolus. 41. *p. m.*
Augienſe miſſale longe aliud, quam *Romanum.* 75. *p. i.*
Auguſtani epiſcopi. 49. *m.*
Augustinus (S.) ad defendendam gratiæ divinæ virtutem frequenter ad orationes Eccleſiæ provocat. 169. *ſeqq.* Eius locus de liturgia *Africana.* 63. *m.*
Augustinus & ſocii qua in eccleſia primum convenerint in *Anglia.* 58. *p. m.*
Aureliæ (S.) cultus antiquus. 35. *p. i.*

B.

Baculus olim fidelibus ſub ſacro commune ſuſtentaculum. 256. *p. i.*
- - Epiſcopalis variæ figuræ. 257. *c. f.*
Bainvariorum lex religioni utilis. 24. *c. m.*
Baſileenſes epiſcopi ſæc. VII. & VIII. 257. *c. f.*
Basnagii (*Iac.*) ſententia de ſacramentarii *Gelaſiani* & ordinis *Romani* antiquitate notatur. 82. *c. f.* 151. *c. f.*
Beatus (S.) an a S. Petro *Vindoniſſam* miſſus epiſcopus? 21. *m.*
Beguardi & *Beguinæ* damnantur. 54. *c. f.* eorum dogmata. 56. *i.*
Beinbergæ ſeu caligæ. 253. *p. i.*
Benedicti (S.) regula S. Columbani regulæ quando iuncta? 45. *p. i.*
Benedictio populi quandoque ante communionem, 113. *c. m.* quandoque poſt Orationem Dominicam vario ritu, 377. *p. t.* etiam a Presbyteris 403. & 404. variis ſub formulis, 402. *c. f.* olim data, ante cuius expletionem populo diſcedere vetitum, 378. *c. m.* viguit ſæculo adhuc XVto. 379. *p. i.*
Blasii (S.) patrocinium in monaſterium huius nominis ex *Rhenaugia* derivatum. 105. *f.* Monaſterii illius ſitus. 10. *p. m.*
Bohemi qua olim liturgia uſi? 62. *c. f.* 63. *p. i.* 65. *p. i.*
Bonifacius (S.) *Franciæ* & *Germaniæ* Apoſtolus, 38. *c. f.* 39. *p. i.* plura præter *Fuldenſe* excitavit cœnobia. 45. *f.* 46. *i.* Eius in prædicando ſocii. 42. *c. m.*
Breviarium Ord. eccleſiaſtici 1000. annorum. 74. *p. i.*
Buchovium ab Hildebrando, devictis *Hunnis*, in monaſterium erectum. 29. *p. i.*
Burchardus (S.) primus *Wirceburgi* epiſcopus. 41. *i.*
Burgundiones converſi. 18. *c. f.*

C.

Caligæ uſu profano *Beinbergæ* dictæ. 253. *p. i.*
Calix olim non in medio, ſed ad dextram hoſtiæ ſitus. 216. *p. i.* & corporali fuit tectus. *ib. c. f.* incredibilis pæne magnitudinis *Moguntiæ* adſervatur. 218. *f.*
Calices aurei. 207. *p. m.* imaginati, ſeu imaginibus decorati. 219. *p. m.* Lignei olim & ſacerdotes aurei dicti. 220. *p. i.* lignei poſtea vetiti. 220. *m.* an plures ſimul conſecrare liceat? 221. *p. i.*
Cambutta baculus epiſcoporum. 257. *i.*
Cancelli eccleſiarum deſcripti. 183. *m.*
Canon Miſſæ, 336. *p. m.* ſecreto dicendus, 340. *m.* etiam ritu *Gallicano.* *ib. p. m.* & quare? *ib. f.* antiquitus oratione dominica finitus. 92. *c. f.* *Romanus* vix non omnibus eſt communis. 336. *p. i.* & *m.*
- - Eius auctor S. Gregorio eſt quidam ſcholaſticus. 336. *c. f.* aliis alii. 337. *p. t.* & *ſeqq.* ad eius initium, quod ritu *Mozarab.* & *Gall.* eſt: *Vere Sanctus*, 336. *i.* pedes Crucifixi deoſculati, 341. *c. f.* & *ſeq.* manus extenſæ, 342. *c. f.* & cruces fuerunt formatæ. 343. *p. i.* & *ſeq.*
- - Eundem per partes eſſe compoſitum probat Walafridus. 356. *f.* 357. *i.* Hoc durante miniſtri ſtant inclinati. 339. *p. m.*
Cantores in *Galliam Roma* miſſi. 77. *c. m.*
Cantus *Romanus* quo tempore inſtitutus? 76. *f.*
Canzel, vox *Germ.* unde? 185. *m.*
Capellæ unde dictæ? 180. *p. m.*
Cappa, ſeu Pluviale cum adſuto caputio. 250. & 251. *p. t.*
- - Earum varia genera. 251. *c. m.* & *f.*
Capſa Euchariſtiæ reconditorium. 223. *p. i.* aurea. 207. *p. m.*
Capſæ evangeliorum pretioſiſſimæ. 209. *p. i.*
Cardinales miniſtri in feſtis olim Pontifici concelebrabant. 275. *c. f.* 276. *i.*
Carlomannus *Alemanniæ* & *Thuringiæ* imperans de religione chriſtiana optime meritus. 29. *c. m.*

Caro.

Carolus M. ubique ritum *Romanum* introducere nitebatur. 78. *m.* Eius decretum, ut quiſque Presbyter ordine *Romano* celebret. 77. *c. f.*
Caſula unde dicta? 246. *c. m.* an eadem cum pænula apoſtolo memorata? 244. *c. f.* antiquarum forma diu retenta, & hodieque alibi ſervata. 249. *p. t*
Celtæ quinam dicti? 8. *p. m.*
Ciboria ſuper Sanctorum aras frequentia. 191. *p. i.* antiqua. 189. *f.* *Conſtantienſe.* 191. *p. i.* *Ratisbonenſe.* 190. *p. m.*
Cicendelarii ad cuſtodienda eccleſiarum luminaria aliaque vaſa pretioſa deſtinati. 198. *f.*
Clauſulæ orationum. 304. *p. t.* 305. *i.*
Clementis (S.) eccleſia *Romæ.* 185. *f.*
Clodoveus converſus. 25. *f.* 26. *p. i.* *Alemannos* devincit. *ib. p. i. & m.*
Clovesbovienſis Conc. decretum, ut ritus *Romanus* ſervaretur. 76. *c. f.*
Cœmeteria quo in loco fuerint? 180. *m.*
Colæ argenteæ & aureæ, per quæ vinum poterat colari. 214. *p. i.*
Collecta unde dicta? 302. *f.* & 303.
Columba Spiritus S. ſymbolum. 205. *p. i.*
Columbæ non tam ornatus quam reliquiarum inibi contentarum cauſa in eccleſiis ſuſpenſæ. 191. *m.* in Eccleſia tam *græca* quam *latina* uſitatæ. *ib. p. m.* In iis recondebatur quoque Euchariſtia. 192. *p. i.* 224. *p. i.*
Columbanus (S.) quando in *Alemanniam* venerit? 32. *p. m.* 33. *i.* ſolo halitu vas confringit. 33. *m.* *Zugio* dira imprecatur. 34. *c. m.*
Comites fiſcales a Carolo M. conſtituti. 28. *m.*
Communicantes uti olim, ita & hodie alibi reſpondent *Amen.* 396. *p. i.*
Communio cum variis precibus, 396. *p. t.* & 397. *i.* in pluribus eodem die Miſſis frequentata a fidelibus ſæc. adhuc IX. 387. *p. i.* ſub utraque ſpecie etiam laicis miniſtrata vario ritu ſæc. adhuc XVI. 390 *ſeq* Diacono & Subdiacono hodieque alibi conceſſa. 388. *c. f.* alicubi tamen iam ſæc. XII. fuit denegata, 392. *p. m.* & quare? *ib. c. m.* *Laica* & *peregrina* olim pœnitentiæ ſpecies. 394. & 395. *c. f.*
- - Eandem manibus olim accipiebant ab Epiſcopo. 388. *c. m* Recipientium confeſſio cum pœnitentia iniuncta. 394 *p. i.* Presbyteri abſque cauſa non recipientes olim communione privati. 387. *m.*
Conciones poſt Evangelii lectionem habitæ. 314. *m.*
Confeſſorum nomina in Canone memorata. 357. *c. m.* 358. *p. t.*
Conſecrationis forma *Ambroſiana* olim adhibita, 360. *c. m.* & *c. f.* cui ſingularis præmittenda præſcribitur intentio. 361. *f.* Eandem ad orationem dominicam ab apoſtolis factam quomodo intelligat S. Gregorius? 361. *m.*
Conſtantiam ſedes epiſcopalis *Vindoniſſa* transfertur. 28. *p. i.*
Conſtantienſes epiſcopi ſæc. VI. VII. 48. *f.*
Coronæ ornatus ergo in eccleſiis ſuſpenſæ. 190. *f.*
Corporalia ac palla, 214. *c. f.* ab aliis linteis, quibus altaria tegebantur, diſtincta. 199. *f.* duplicia alia, alia ſimplicia. 215. *m.* ex lino ſint, non ex alia materia. 217. *p. i.* Eorum magna quandoque virtus contra incendia aliaque mala, 215 *p. i.* ne tamen contra eadem adhibeantur, poſtea cautum. *ib. m.*
Crescens (S.) de quo D. Paulus, num *Galliæ* fuerit apoſtolus? 8. *p. i.*
Crux Constantino in *Galliis* apparet. 16. *p. m.* pretioſa *Moguntinenſ.* eccleſiæ. 195. *c. f.* 196. *i.* ſuper aras poſitæ cruces. 195. *i.* portatiles. *ib. m.* variæ. *ib. c. f.*
Cuſtodes eccleſiarum. 207. *i.*

D.

Dallæus de antiquitate ordinis *Romani* perperam ſentiens notatur. 151. *c. f.*
Dalmaticæ ſolis Diaconis olim permiſſæ. 264. *i.* Earum origo ex mente P. Coustant, 243. *c. f.* 244. *p. t.* & figura Rhabani ævo. 244. *c. m.*
Deicola (S.) mon. *Luxov.* *Lutrenſe* monaſterium exſtruit. 35. *c. f.*
Denuntiationes feſtorum aut ieiunii quandonam & a quo factæ? 385. *p. i.* & *f.*
Diptycha ſunt ſigna communionis eccleſiaſticæ. 346. *p. i.* ritu *Gall.* & *Mozarab.* ante præfationem lecta, 354. *p. t.* Papæ nomen recenſent, 346. *p. t.* & Epiſcoporum, 347. *i.* diœceſis item propriæ. 348. *i.* nec non & abbatum, *ib. m.* ſimulque Regum & Imperatorum, 349. *p. t.* 350. *i.*
- - Eorum varia forma. 344. *m.* genera *ib. f.* & nomina. *ib. c. m.*
Diptycha, ſeu tabulæ ligneæ, aureæ item & argenteæ. 208. *p. m.* vivorum. 343. ſeqq. & mortuorum. 364.
Dom, eius etymologia, 176. *p. i.*
Dominicæ quinque Adventus Domini aliquando numeratæ. 98. *c. m.*

E.

Eccleſia portatilis Constantini M. 187. c. m. Eccleſiæ & Imperii harmonia ſub regimine *Francico*. 47. c. m.
Eccleſiæ *Alemannicæ* primitus ut plurimum ligneæ, 181. m. pleræque poſtea ſæc. XI. auguſtiores redditæ. 182. m.
Elevatio ſpecierum Euchariſt. ante earum conſecrationem olim facta, ſed poſtea fuit prohibita. 362. p. i. & m. 363. p. i. *minor* fit ad illa verba: *Per ipſum & cum ipſo* alibi cum incenſo & pulſu cymbali. 373. i. cur eandem comitetur ſonitus campanæ? 362. f.
Emboliſmo orationis Dominicæ varia SS. nomina olim fuere adjecta, 375. m. pro lubitu ſacerdotis. 376. c. m.
Ephot amictus ſeu humerale. 235. c. m.
Epiſtolarum lectiones lingua vernacula in liturgia. 125. f.
Erintrudis (S.) S. Ruperti ſoror. 43. c. f.
Et omnibus orthodoxis: hæc verba in multis codicibus cur deſiderentur? 351. c. f. leguntur tamen in miſſali *Gall. &c.* 352. i.
Evangelium diverſo ritu decantatum, 310. c. f. 311. p. t. etiam ab Imperatoribus. 311. f. 312. i. quo durante gladii exerti, baculi depoſiti, & reclinatoria fuerunt relicta. 312. p. i.
Euchariſtia non ſemper & ubique in altari ſummo fuit ſervata. 192. m. Eius celebrandæ forma aut non, aut ſummatim tantum quarto ſæculo in Oriente ſcripta. 61. m.
Eulogiæ fidelibus communionis loco diſtributæ. 406. c. m. quod hodiedum alibi fit. 407. c. f. 408. c. m. Earum uſus in *Gallia* adhucdum viget, 318. p. i. & hoc nomine veniunt diverſi generis munuſcula. 407. f.
Exomologeſis præmiſſa miſſæ celebrationi. 294. c. f. & 295. i.

F.

Faldiſtorium in eccleſia unde dictum? 184. c. f.
Fanonis diverſus ſignificatus. 239. p. t.
Feſta Sanctorum proxima olim ante S. Communionem promulgata. 99. m.
Fintanus (S.) recluſus *Rhenaugiæ*. 44. p. i.
Fiſtulæ ſeu calami, quo ſanguis Chriſti olim ſumebatur, 224. m. uſus quo tempore in *Gallia* obtinuerit? 226. i. *Cluniaci* hodiedum perſeverat. ib. c. m.
Flabelli quis uſus in ſacro? 228. p. m. 229. i.
Flagellantium ſecta proſcripta. 54. f. 55. i.
Flectamus genua olim a Diacono dictum, uti & *Levate*. 302. p. m.
Florezii ſententia, quod *Hiſpanicus* ritus fuerit primitivus *Romanus*. 68. c. f.
Fontes ad templi atrium, 290. f.
Franci fines ſuos quando potiſſimum dilataverint? 23. c. m.
Francia regnum unde duxerit originem? 2. i.
Fratricelli in *Alemannia* perſecutionem paſſi. 54. c. m.
Fridolinus (S.) monachatus apud *Rauracos* auctor, 44. f. *Pictavos* venit circa an 653. 31. p. m. varias in honorem S. Hilarii ædificat eccleſias, ib. f. 32. i. fundator cœnobii *Heleram*. 44. m.

G.

Galatia nomine an *Gallia* veniat? 8. p. i.
Gallia cur *Francia* nuncupetur? 1. f. quando ei lux chriſtiana affulſerit? 6. f. 7. i. *ſeq.*
Gallicana an *Mozarabica* liturgia ſit antiquior? 70. i. Eius variæ inſcriptiones, 71. i. Convenientia cum *Mozarabica*, 69. f. & antiquitas. 70. c. m.
- - Miſſa ab *Illyriana* longe diverſa. 74. p. m.
- - ſacramentaria. 73. i.
Gallicanum circa miſſale variæ opiniones. 72. i.
Gallicanus ritus antiquiſſimis temporibus in *Britanniam* invectus, 76. p. i. a *Romano* diverſus. 70. m.
Gallus (S.) cœnobii *S. Galli* fundator, 35. c. f. *Brigantii* idola comminuit. 34. f.
Gebhardus e ducibus *Zaringenſibus* ortus, epiſcopus *Conſtantienſis*. 52. i.
Germania Alemannia dicta, 1. c. f. *Romanorum* impatiens imperii, 4. i. nunc fœdere iuncta, nunc inimica, ib. c. m. Chriſti fide demum imbuta, 13. c. f. 14. p. i. quæ *Benedictinis* debeat beneficia? 46. p. i. Eius primævi limites. 3. i.
Germanus (S.) *Autiſiod.* expugnat Pelagii hæreſin. 30. c. m.
Getæ ad fidem converſi. 17. c. f.
Gloria in excelſis græcæ eſt originis, diciturque hymnus matutinus, 299. c. m. S. Marco adſcriptus. ib. Eius uſus in *Hiſpania*, ib. & alibi. 300. c. m. f. 301. i.
Goar (S.) *Aquitanus* in *Germania* prædicat evangelium. 43. c. m.

Digitized by Google

Grabius (*Erneſt.*) *Anglus* ſacrificium a Luthero & Calvino ſublatum deplorat, atque reduci cupit. 161. *c. m.*
Graduale unde dictum? 309. *i.*
Gratiæ divinæ efficacia ex orationibus eccleſiæ demonſtratur. 167. *ſeqq. m.*
Gravio ſeu Comes. 29. *f.*
Gregorii (S.) M. P. ſingulare in rem liturgicam ſtudium. 83. *ſeq. p. i.* Eius ad S. Augustinum *Angliæ* Apoſt. de diverſitate liturgiarum reſponſio. 75. *m.*
Gunna veſtimenti genus. 231. *f.* 232. *i.*

H.

Habitus Cleri a laicali antiquitus diſtinctus. 231. *c. f.*
Hanc igitur oblationem &c. hæc oratio olim variabat. 359. *p. i. & f.*
Hebdomadarius div. Officii cibis nonniſi quadrageſimalibus veſcebatur olim. 289. *i.*
Heleram monaſterium exſtructum a S. Fridolino. 31. *c. f.*
Hercyniæ ſylvæ termini. 10. *m.*
Hieronymus (S.) ſcholas *Trevirenſes* frequentat. 17. *p. i.*
Hirſaugienſis eccleſiæ ſtructura. 181. *i.*
Hiſpanicus ritus, iuxta Florezium, fuit primitivus *Romanus*, idemque, quem ſæc. I. S. Petrus inſtituit. 68. *c. f.*
Homiliæ SS. Patrum ante eiectionem Catechumenorum lectæ. 73. *c. f.* 315. *p. m.*
Hoſtiæ fractio vario olim ritu peracta. 379. *c. f.* 380. *p. i.*
Huss (*Io.*) *Conſtantiæ* combuſtus. 55. *p. i.*

I.

Iacobi (S.) liturgia. 61. *c. f.*
Ieiunium feriæ V. in Quadrageſ. a Gregorio II. ſæc. VIII. inſtitutum. 99. *i.*
Illyrici miſſa quomodo inſcribatur? 59. *c. f.* Summa eiusdem raritas antehac unde? 157. *c. f.* 172. *m.*
Imagines varii generis in parietibus eccleſiarum pictæ, aut adpenſæ, 201. *c. m.* 202. *m.* procaces vetantur. 205. *c. m.* Earum cultus. 201. *f. ſeq.*
Imperatorum munificentia in oblatione pretioſorum vaſorum. 207. *c. m.*
Imperii diviſio in Lotharium, Pipinum & Ludovicum. 50. *c. m.*
Incenſatio ſuper altare a ſacerdote, circum altare a duobus diaconis, alibi ab uno facta, 297. *p. i.* cur adhibeatur in Miſſa? 328. *c. f.* 329. *p. i.*
Infula ſæpe totius veſtitus ſacerdotalis nomine venit. 259. *c. f.* 260. *i.*
Introitus an olim a Celebrante decantatus? 293. *p. i.* 294. *p. i.*
Ioannis (S.) Evangelium ante ſæc. XVI. non legitur dictum. 405. *p. m.*
Irenæus (S.) num fidem in *Germania* propagaverit? 12. *i. & p. m.* & quocum progreſſu? *ib. f.*
Ite miſſa eſt cur dicatur? 402. *p. i.*
Iustini M. de pane & calice doctrina. 60. *p. i.*
Iudica pſalmus privatim in ſacriſtia, & in proceſſu ad altare dictus. 291. *c. f.*

K.

Kilianus (S.) *Francis* orientalibus evangelium prædicat. 43. *i.*
Kirch eius etymologia. 175. *p. i.*
Κυριακὸς nomine paſſim eccleſia denotatur. 414. *c. m.*
Kyrie eleiſon novies dicendum, 297. *c. f.* quis inſtituerit? 298. *p. i.*

L.

Lampades penſiles in eccleſiis. 198. *c. m.*
Larga germ. *Speun*, *Spenda* i. e. eleemoſyna in anniverſariis mortuorum diſtribuenda. 416. *i.*
Laudo (S.) an *Conſtantienſis* epiſcopus? 21. *p. m.*
Laureacenſis metropolis, 5. *p. i.* ab apoſtolis iuxta quosdam fundata. *ibid. m.* Monaſterium huius nominis ducis Marsilii olim ſedes. 29. *p. i.*
Lectiones quæ? 306. *c. f.* & an plures ſemper obtinuerint in Miſſa? 307. *p. m.* Earum ritus. 308. *c. m.*
Legitima Miſſa quæ dicatur Walafrido? 277. *m.*
Leopardus *Maurimonaſterii* fundator. 35. *c. f.*
Liturgia, 57. & 58. *i.* olim diverſa in *Germania.* 93. *c. f.* *Pragæ Sclavica* lingua peracta. 63. *p. i.*
- - *Africanæ* eccleſiæ. 63. *m.*
- - S. Chrysostomi hodiedum in Oriente uſitata. 62. *p. m.*
- - *Gallicana* an *Mozarabica* antiquior? 70. *i.*
- - *Hibernorum* qualis fuerit, incertum. 75. *f.*
- - S. Iacobi. 61. *c. f.*

Liturgia *Maronitarum.* 62. *c. f.*
- - *Mediolanenſis* ab AUGUSTINO in *Africam*, iuxta quosdam, inducta 64. *f.* eius auctor. 66. *i.*
- - *Mozarabica.* 67. *i.* & *m.*
- - *Romana* a S. PETRO compoſita, 79 & 80. *i.* in *Bohemiam* invecta, 63. *p. i.* cum liturgia orientali ſæc. VI. fuit permixta. 69. *m.*

Liturgici libri Orientis & Occidentis in quo conveniant? 62. *i.*

Lotio manuum alibi poſt *Sanctus*, 330. *p. i.* etiam diaconis diverſimode præſcripta, *ib. m.* cur adhibeatur? 330. *f.*

Lumen perpetuum in eccleſiis. 198. *i.*

Luminaria in eccleſiis uſitata, 196. *c. m.* quando accenſa, aut extincta? 197. *p. i.* Eorum pro ratione feſtorum diſpar numerus. *ib.*

M.

Magdeburgenſis eccleſia in metropolitanam erecta. 51. *p. i.* quinam epiſcopatus eidem ſubditi? *ibid.*

Manipuli circa tempus communionis olim depoſiti. 238. *p. i.* Eosdem olim gerebant moniales etiam. 237. *c. f.*

Mappula non uniusmodi in ornatu ſacro. 237. *m.*

MARCUS (S.) *Aquileiam* miſſus a D. PETRO. 4. *c. f.*

Maronitæ qua liturgia utantur? 62. *c. f.*

Martyria in *Galliis* quando primum viſa. 9. *c. f.*

Martyrum acta ante Miſſam lecta. 64. *p. i.* & in Miſſa. 306. *c. f.* 307. *i.*

Matutinum cum Prima & Tertia præmittendum Miſſæ. 289. *c. f.*

Mediolanenſis liturgiæ quis auctor? 66. *i.* eandem a D. AUGUSTINO in *Africam.* 64. *f.* & a CAROLO IV. *Pragæ* in eccleſiam *S. Ambroſii* inductam quidam putant. 65. *p. i.*

Memento Domine: antiquitus in miſſa dictum, 352. *m.* ſimulque Diptycha tunc lecta, *ib. i.* ſingulare pro ipſo Celebrante olim fuerat in uſu. 364. *i.*

Meſs vocantur nundinæ, & quare? 274. *i.*

Miniſterium pro univerſa ſupellectili ſacra ſumtum. 210. *p. i.*

Miſſa, 386. *m.* publica. 277. *f.* 278. *p. i.* baſſa, 280. *f.* privata, *ib. i.* hæc ante publicum officium, & in domibus privatis celebrari vetita. *ib.* & 188. *c. m.* ſine libris quandoque peracta. 60. *c. f.* nunquam ſolo ſacerdote præſente. 280. *p. i.* *Gallicana* ab *Illyriciana* longe fuit diverſa. 74. *p. m.* Pontificalis ſplendido cum apparatu. 292. *p. i.* ſeqq. in Paraſceve non fuit celebrata. 60. *m.* Miſſæ ILLYRICI raritas antehac unde? 157. *c. f.* 172. *m.* Officia aucta ſucceſſu temporis, & cur? 60. *p. m.* tres in Natali Domini celebrandi conſuetudo ex ritu *Romano.* 96. *f.* Miſſis ſolemnibus Clerus ruralis in principe eccleſia intereſſe tenebatur. 275. *c. m.* Hoc nomine olim dies feſti quoque veniebant. 273. *p. i.*

Miſſale *Augienſe* longe aliud ac *Romanum.* 75. *p. i.*

Miſſales libri quomodo antiquitus appellati? 59. *p. i.*

Miſſalis *plenarii* notio. 116. *c. m.*

Mitrarum origo, 260. *p. i.* & variæ formæ. 259. *p. i.*

Moguntina ſedes ante S. BONIFACIUM iam erat metropolitana. 16. *i.* 22. *p. i.* 41. *p. i.* Eius ſuffraganei, 41. *c. m.* & theſaurus. 264. *m.*

Moguntiæ calix incredibilis pæne magnitudinis aſſervatur. 218. *f.* ibidem Chriſtiani in eccleſia a RAUDONE *Alemanno* necati. 17. *i.*

Moniales olim manipulos gerebant. 237. *c. f.*

Mortuorum commemoratio in miſſa olim ante conſecrationem, 103. *m.* duplex quandoque, 173. *p. i.* ab apoſtolis provenit, 364. *c. f.* continuo eccleſiæ uſu frequentata. 365. *p. i.* Eorum nomina ex diptychis olim poſt conſecrationem lecta, 366. 367. *p. i.* & extra Sacrum ex necrologiis. 368. *c. f.*

Mozarabes obliſtunt *Romanis* liturgiam ſuam abrogantibus. 67. *f.*

Mozarabica liturgia in *Hiſpania* olim uſitata, hodiedum in quibusdam regni iſtius locis ſervatur, 67. *i.* mutata ſub GREG. VII. 67 *p. i.* an antiquior *Romana?* 70. *i.* Illius exemplaria quædam cur combuſta? 67. *m.*

Munſter vox germ. & *Moutier* Gall. quid indicent, & unde originem ducant? 177. *i. ſeq.*

Murenſis monaſterii vaſa pretioſa. 208. *m.*

N.

Natales ſuos nonniſi peccatores agunt. 414. not.

Navis eccleſiæ. 183. *i.*

Nundinæ cur paſſim vocentur *die Meſſen?* 274. *i.* illas diebus dominicis improbat S. BASILIUS *ib. c. m.*

O.

Oblatæ rotulæ dictæ, 325. *i.* ſummo ſtudio & religione confectæ, 323. *p. m.* 324. *p. i.* 325. *p. m.* ubinam poſitæ ſuper altari? 328. *p. i.* Earum forma plerumque rotunda, 323. *c. m.* pro iisdem conficiendis a Nobilibus olim legata ſunt prædia &c. 326. *p. i.*

Ob-

Digitized by Google

Oblationes cum diverſis precibus, 322. *p. t.* factæ diebus dominicis & feſtis ab omnibus, 320. *p. i.* a mulieribus datæ intra & extra chorum ſunt ſuſceptæ, 319. *i.* & *m.* quo ſæculo deſierint? 317. *f.* Earum varia genera. 320. *p. m.* 321. *p. t.*
Offertoria, ſeu vaſa ad oblationem faciendam deſtinata, aurea & argentea. 213. *p. i.*
Officia divina ſecundum apoſtolicæ ſedis traditionem ſunt peragenda, 79. *i.* aucta ſucceſſu temporis, & cur? 60. *p. m.*
Oralis & Orarii quæ diſtinctio? 240. *p. t.*
Orarium idem cum *ſtola.* 240. *c. f.* 241. *p. i.* Iisdem presbyteri ſemper utantur. 241. *f.* 242. *i.*
Orate fratres cum diverſis reſponſoriis, & pſalmis excipiebatur a plebe, & clero. 331. *p. i.* & *m.*
Oratio Dominica in liturgia ſemper adhibita, 373. *c. f.* & 374. *p. t.* alibi ad ſingulas petitiones *Amen* a plebe interpoſitum. *ib. c. f.*
- - *Super populum* quando & quare dicta? 400. *m.* & *ſeq.*
- - Orationes in miſſa quot dicendæ? 303. *p. t.* 304. *i.* Liturgicarum pars magna tempore graſſantis *Pelagianæ* hæreſeos compoſita. 169. *p. i.* Ex iisdem gratiæ divinæ efficacia demonſtratur. 167. *ſeqq.*
Oratoria intra eccleſiam. 184. *f.*
Ordini *Romano* præcipuus in illuſtranda *Alemannia* liturgia locus debetur. 148. *f.*
Orientales ritus antiquos ſervare iuſſi. 79. *p. m.*
Ornamenta eccleſiæ recenſita. 210. *c. f.*
Oſculum altaris. 296. *f.*
- - crucis poſt Introitum. 296. *c. m.*
- - Pacis poſt confecta myſteria in Occidente, in Oriente ante myſteria confecta ſingulis dabatur, exceptis alibi ieiunii diebus. 382. *c. m.* Cur non & in defunctorum miſſis? *ib. p. m.* formulæ ad Pacis oſculum variæ. 383. *p. m.* ritusque varius. 384. *p. t.*

P.

Pænula Apoſtolo memorata an ſimile cum noſtris Planetis veſtimentum? 244. *c. f.* earum forma antiqua. 245. *p. i.*
Palla myſtica ſignificatio, 216. *p.m.* & forma. 215. *c.f.*
Palladius primus *Scotorum* Epiſcopus. 30. *f.*
Pallium cur petatur a ſede Apoſtolica? 261. *i.* eius forma. 260. *m.*
Patena in quibusdam eccleſiis in altum elevatur & oſtenditur ante communionem. 218. *i.* veteres noſtris ampliores. 218. *p. m.* & *c. f.* earum uſus. 217. *c. f.*
Paternus (S.) an *Vindoniſſæ* epiſcopus? 21. *p. m*
Patritius (S.) Palladii ſucceſſor monaſteria exſtruit in *Hibernia.* 31. *i.*
Patrum (SS.) homiliæ ante eiectionem Catechumenorum lectæ. 73. *c. f.*
Pax data olim poſt Introitum. 295. *c. f.* Papæ cum tabula eburnea. 229. *c. f.*
Pax Vobis, olim a presbyteris etiam dictum; 301. *c. f.* cur non & hodie? *ib. p. i.*
Pelagii (S.) martyrium. 15. *p. i.*
Per Dominum noſtrum: hac clauſula collectæ omnes finiuntur. 304. *p. i. ſeq.*
Per quem hæc omnia &c. ad hæc verba diverſæ res olim benedictæ. 371. *p. t.* 372. *i.* & *m.*
Pertica pretioſa in eccleſia *Moguntina.* 204. *p. i.*
Peyrati opinio de liturgia *Anglicana.* 76. *m.*
Pfaffii (*Chriſtoph.*) ſententia de ſacramentarii *Gelaſiani* antiquitate reiicitur. 82. *c. f.*
Pirminius (S.) *Hybernus*, Epiſcopus in *Meltesheim*, 37. *p. i.* plura exſtruit cœnobia, 38. *p. i.* 45. *c. m.* inter alia *Hornbacenſe*, 37. *p. i.* *Alemannos* convertit, 37. *c. f.* moritur in *Hornbach.* 38. *p. i.*
Pixis, in qua ſervabatur Euchariſtia propter infirmos. 223. *p. m.*
Plenarii evangelicarum lectionum in miſſa notio. 125. *p. i.*
Plumaria ars quæ? 268. *i.*
Pluviale unde dictum? 250. *m.*
Pœnitentiales pſalmi ante miſſam dicendi. 290. *c. m.*
Polycarpus (S.) Apoſtolorum diſcipulus. 8. *c. f.*
Pontificalis miſſæ apparatus ſplendidus. 292. *p. i.*
Pontificis Laudes in miſſa inaugurali decantatæ. 305. *c. m.* Eidem olim miniſtri Cardinales in feſtis ſimul concelebrabant. 275. *c. f.* 276. *i.*
Pontificum (SS.) ritus propagandi *Romanæ* eccleſiæ ſtudium ad conſervandam unitatem. 146. *c. m.*
Pragæ liturgia peragitur *Sclavica* lingua. 61. *p. i.*
Præfatio miſſæ fidelium initium, 332. *f.* geſta inſignia Sanctorum & paſſionem refert. 334. *c. m.* aliquando *Conteſtata*, *Illatio*, *Conteſtatio* vocatur, *ib. i.* *Græcis* una eſt, ritu *Ambr. Gall.* & *Mozarab.* ſingulæ ſingulis miſſis. *ib. c. m.*
Purpurarum pretioſarum magna copia in eccleſia *Moguntina.* 203. *p. m.*

R.

Reliquiæ Sanctorum olim ſub altari poſitæ. 193. *p. i. ſeqq.* quandoque in locis etiam privatis ſervatæ. 194. *p. m.*
Remedius Ep. cuius olim in canone fiebat mentio, quinam fuerit? 104. *m.*
Reſponſorium ubi, a quibus, & quando decantatum? 309. *p. i. ſeq.*
Rochet tunica linea. 235. *p. i.*
Rogationum dies ante aſcenſionem Domini in eccleſia *Romana* a Leone III. inſtituti. 98. *m.*

Romana

Digitized by Google

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

Romana eccleſia veræ fidei & veritatis magiſtra. 3. *p. m.*
Romani ritus a *Gallicano* diverſitas. 70. *m.*
Romano ordini præcipuus in illuſtranda *Alemanniæ* Liturgia locus debetur. 148. *f.*
Romanorum in *Alemannia* ditiones ſæc. I. 11. *i.*
Romaricus monaſterii *Habendi* (alias montis ſancti) conditor. 35. *c. f.*
Rudolphus *Habsb.* imperium adeptus pacem imperium inter & ſacerdotium reſtituit. 52. *c. f.*
Rugæ eccleſiarum. 184. *m.*
Rupertus (S.) *Boiariæ* Apoſtolus. 43. *c. f.*

S.

Sacramentarium, 59. *c. m.* a libro Sacramentorum eſt diſtinctum. *ib. m.* Eiusmodi *Roma* in *Galliam* mittitur. 77. *m.*
Sacriſtæ vocabulum unde? 206. *c. f.*
Sacriſtia eccleſiæ. 184. *c. f.*
Sanctorum feſta proxima olim ante communionem annuntiata, 99. *m.* Complurium nomina aliquando in ſecunda commemoratione ſunt recitata. 170. *p. i.*
Saroth tunica linea. 235. *p. i.*
Scholæ qua ratione ſub Carolo M. per monaſteria & epiſcopia inſtitutæ? 46. *m.* & *c. f.*
Scholaſtici, qui divinæ gratiæ vim enervare allaborarunt, ex orationibus eccleſiæ revincuntur. 171. *c. m.*
Seckingæ vita cænobitica per S. Fridolinum inſtituta. 32. *p. i.*
Secreta aliquando ante oblationem, 331. *c. f.* ritu *Ambroſiano* una ſuper ſindonem, altera ante Præfationem alta voce, 332. *p. i.* ritu autem *Aleman.* antiquiſſimo dicitur ſecrete. *ib. p. m.*
Seſſio trium horarum quid indicat? 305. *m.* 306. *p. i.*
Severinus *Pannoniæ* Apoſtolus. 6. *m.*
Solium pontificale quo loco in eccleſia poſitum? 185. *i.*
Spenn ſeu *Spenda* dicitur eleemoſyna in anniverſariis mortuorum eroganda. 416. *i.*
Staupus ſeu *ſtoupus* vox variæ ſignificationis. 415. *c. m.*
Stauracinæ veſtes quæ dicantur? 269. *p. i.*
Subdiaconorum tunica olim erat ſubtilis linea. 264. *p. i.*
Sueviæ limites. 3. *c. m.*
Symbolum quando in miſſa recitari cœpit? 312. *c. f.* quibus temporibus cantatum? 313. *c. f.* & quomodo? 314. *p. i.*
Symmyſtæ dicuntur, qui cum Epiſcopo ſimul celebrant, 277. *i.* quod hodieque fit. 276. *f.* 277. *i.*

T.

Tabulæ ad canendum auro argentoque ornatæ. 208. *c. f.*
Thaboritæ Huſſitarum progenies, 56. *c. m.* eorum nefanda dogmata. *ib. m.*
Theologorum catholicorum negligentia in diſquirendis rebus liturgicis notatur. 157. *i.*
Theſaurarius eccleſiæ. 206. *f.*
Thuribula, 212. *p. i.* & *m.* tria interdum adhibita. 212. *f.*
Tonſuræ forma Rhabani ætate. 230. *m.* & *c. f.*
Transſubſtantiatio in libris liturgicis *Paſchaſio* Ratperto vetuſtioribus palam indicatur. 160. *f.* 164. *i.*
Treuga Dei, ſeu: *Pax Dei.* 52. *m.*
Trinitatis (SS.) imago. 204. *c. f.*
Triſagii decantandi diverſus ritus, 135. *p. i.* cum ſingularibus collectis. *ib. c. f.*
Trudpertus (S.) *Briſgoiæ* prædicat evangelium. 43. *f.* 44. *i.*
Turicenſe manuſcriptum inſigne collectionem liturgicam continens. 65. *c. m.*
Turicenſis eccleſiæ antiquitas. 182. *p. i.*
Turres aureæ & argenteæ ad recondendam Euchariſtiam. 222. *m.*

V.

Valentiniani Auguſti pretioſa oblatio. 201. *p. i.*
Vaſa eccleſiæ varia recenſentur, 206. *p. i.* 210. *f.* 211. *i.* pretioſa in quibusdam eccleſiis. 207. *c. m.* ad lavandas manus deſtinata, *Aquamanilia*, ſeu *Aquamanus* ſunt dicta. 211. *c. f.* ut ex auro vel argento, vel ſaltem ex ſtanno fiant, præcipitur. 220. *p. m.* Eorum ablutio. 217. *c. m.*
Vela picta. 202. *c. f.*
Verenæ (S.) capella *Zurzachii.* 180. *c. f.*
Veſtiaria ſeu ſecretaria eccleſiarum. 206. *p. m.*
Veſtimenta Clericorum tempore S. Bonifacii peculiaria. 230. *p. i.*
Veſtitus Clericorum ſacris vacantium diſtinctus a communi. 234. *p. i.*
Veſuntio Sequanorum metropolis. 15. *c. f.*
Victorinus (S. M.) ubinam fuerit epiſcopus? 5. *c. f.* 6. *i.*
Viri a mulieribus in eccleſia ſtabant ſeparati. 184. *i.*
Votiva dona coram Reliquiis ſuſpenſa. 198. *p. m.*

W.

Walburgis (S.) oſſa cum ſuper altare ponerentur, ceſſarunt miracula. 194. *p. i.*
Waldenſes damnati. 54. *m.* Eorum errores 56. *c. m.*
Wicbertus ſine fructu in *Friſia* prædicat 41. *f.*

Digitized by Google

Digitized by Google